


RR. PP. Eremitarum Camaldulen. Montis Regij prope Varsaviam.

IN PRIMA SECUNDÆ PARTIS
THEOLOGIÆ SPIRITUALIS,

SEU

SCIENTIÆ SALUTIS,

Bené Beatéque vivendi in Tempore, ac Æternitate.

CONTINUATUR

TRACTATUS SECUNDUS.

DE

MEDIIS AD FINEM SUPERNATURALEM:

SIVE

DE ACTIBUS SALUTARIBUS, ET EORUM OPPOSITIS, IN SPECIE.

HOC LIBRO

DE VIRTUTIBUS FUNDAMENTALIBUS, UNIVERSALIBUS, CARDINALIBUS: ET DE GRATIIS GRATIS DATIS,

SALUTARITER UTENDIS AGITUR.

AUTHORE
R. P. FELICE SIMPLICI ŁACKI,
S. Theologiæ Professore, & Priore Monasterii B. MARIÆ V. de Oliva, S. O. Cisterciensis.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE MEDIIS AD FINEM SUPERNATURALEM, SIVE DE ACTIBUS SALUTARIBUS STATUS VITÆ CHRISTIANÆ: ET EORUM OPPOSITIS, IN SPECIE.

ABsoluto Tractatu præcedenti de actibus ſalutaribus, & eorum oppoſitis in genere, nunc de iiſdem reſtat agendum in ſpecie. Et ſicut in priori tractatu cap. 1. ſect. 4. ſub acceſſu ad praxim virtutis dedimus rationem connexionis Materiarum ibidem propoſitarum, nè quadrata rotundis viderentur permiſta; pariterque eaſdem Materias ita coordinavimus, ut pro cujuſque hominis ſtatu applicatæ ad particularia virtutum exercitia, eorum jucundam redderent harmoniam: ita & in præſenti tractatu idem facere neceſſarium eſſe duximus. Agimus igitur hìc *Primo* de Theologicis virtutibus, quibus homo diſponitur circa ultimum Finem ſuum (ut ex *Angelico Doctore* ſuprà ſub *Bona Voluntate* inſinuavimus)Et quidem intellectus per *Fidem* circa DEUM ut Summum Verum diſponitur, juxta quod Apoſtolus dicit: *Sine fide impoſſibile eſt placere* DEO. *Credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia eſt; & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Deinde per *Spem*, & *charitatem*, voluntas circa DEUM ut Summum Bonum recta efficitur, ſpe amando, ut Bonum ipſi homini, charitate amando DEUM ut Bonum in ſe. Verùm antequam quis accedat per Amorem ad Bonum, priùs recedere debet à malo per *Timorem*. Qui & ipſe eſt actus Spei: Hinc dicitur: *Timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruina mortis.* Porrò Timore incitatus, quibus mediis recedere poſſit à malo: vel Spe, aut Charitate animatus, quomodo faciat & aſſequatur Bonum, *Prudentia* oſtendit.

S. Thom. 22. q. 4. art. 7.

Heb. 6. 11.

Prov. 14.

Et quidem *Incipientibus* inter cætera præclarum Converſionis exemplar & forma proponitur Converſio S. Pauli, qui in ſua incredulitate perſequens Eccleſiam Chriſti, dum ab eo in via Damaſcum

 maſcum

Actor 9. maſcum pergens, ad veritatis notitiam illuminatur, Reſpondit:
S. Bernard. ſerm. 1. de converſ. S. Pauli. *Domine quid me vis facere?* Supra quod *Mellifluus Doctor* inquit: Hæc planè Fratres, perfectæ converſionis eſt forma. *Paratum*, inquit,
Pſal. 56. Pſal. 118. „ *cor meum DEUS, paratum cor meum. Paratus ſum & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. Domine quid me vis facere?* O verbum breve, ſed plenum, ſed vivum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione! Quàm pauci inveniuntur in hac perfectæ o-
„ bedientiæ forma, qui ſuam ita abjecerint voluntatem, ut ne i-
„ pſum quidem cor proprium habeant, ut non quid ipſi, ſed quid
„ Dominus velit, omni horâ requirant dicentes ſine intermiſſio-
„ ne: *Domine quid me vis facere?* Et paulò infra: *Et Dominus ad il-*
„ *lum: Surge & ingredere civitatem, ibi dicetur tibi, quid te oporteat fa-*
„ *cere.* O Sapientia ſuaviter verè univerſa diſponens! Eum, cui tu
„ loqueris erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, ut
„ ſocialis vitæ commendetur utilitas, & edoctus per hominem,
„ diſcat & ipſe ſecundùm datam ſibi gratiam hominibus ſubve-
„ nire. *Et paulò poſt:* Sanè quòd triduo Paulus ſine cibo manet per-
„ ſiſtens in oratione, ad eos maximè pertinet qui noviter ſeculo
„ abrenunciantes, necdum in cæleſti conſolatione reſpirant. Su-
„ ſtineant ergo & ipſi Dominum in omni patientia, orent ſine
„ intermiſſione, quærentes, petentes, pulſantes: quia exaudiet
„ eos Pater cæleſtis in tempore opportuno. Non obliviſcetur e-
„ orum in finem, veniet & non tardabit. Si triduo ſuſtinueris e-
„ um non habens quod manduces, confide quia miſerator & mi-
„ ſericors Dominus, jejunum te non dimittet.)) Præmiſerat autem S. Doctor eodem ſermone dicens: *In hac memoria* (converſionis) *& peccator ſpem veniæ concipit, & provocatur ad poenitentiam, &*
S. Bernardus In converſione S. Pauli ſer. 2. *qui jam poenitet, perfectæ converſionis accipit formam.* Porrò ſermone
„ ſecundo in eodem feſto idem S. Pater ait: Saulus converſus eſt
„ in Paulum, ſiquidem factus eſt tanquam Evangelicus ille par-
Matth. 18. „ vulus (id eſt humilis) de quo Dominus ait. *Niſi converſi fueritis*
„ *& efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum.*))
Et paulo poſt oſtendit *S. Bernardus*, qualiter S. Paulus in ipſa ſtatim ſua converſione fuerit tentatus ſuper patientia ſua, in verbo increpationis, in damno, in corporis læſione)) Ex quibus omnibus collige, quàm rectâ normâ & ordine pro Incipientibus con-

verti

verti ad DEUM, collocaverimus tum in Schemate supra erecto, tum infra, positas virtutes *Resignationis sui in DEI voluntatem, Obedientiæ ad superiores, Contemptûs mundi, Humilitatis, Pænitentiæ, Mortificationis, Patientiæ.* Sed de ejusmodi virtutum connexione paulò fusiùs infra hoc Tracta: in accessu Capit: 5. & priori Tracta: cap. 1. sect: 4. subsect: 4. Multùm namque interest scire benè cœpisse vivere: qui enim benè cœpit, medium facti habet. *In Summa Theol. Spirit. sub statu vitæ Christianæ.*

Jam verò *Proficientibus*, & *Perfectis*, quomodo illi spe, isti charitate permoti, uti possint tum supradictis fundamentalibus virtutibus, tum aliis cardinalibus scilicet *Justitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ*, tum *Gratiis gratis datis*, quomodo inquam uti possint in ratione Medii supernaturalis ad assequendum Finem supernaturalem, alibi ex dictamine *Prudentiæ* ostenditur. Unde patet conveniens ordo, dispositio, connexio earundem virtutum, & exercitiorum spiritualium, inter se, tum in Schemate supra, tum in hoc Tractatu facta, & quidem commodè ad *Praxim* adaptata. *V. 1.2. tract. 1. c. 1. sect. 2.* *In Summa Theol. spirit. sub statu vitæ Christ.*

CAPUT I.

DE FIDE.

AGemus sequentibus Sectionibus de Fide Theologica, ejusque correspondentibus Donis Spiritûs S. Tum de horum omnium Oppositis.

SECTIO I.

De Fide Theologica.

DIco. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ita Apostolus. Quam definitionem explicans D. Thomas inquit: *Fides est habitus mentis, quo inchoatur Vita æterna in nobis, faciens intellectum assentiri non apparentibus.* Vel: *Est habitus & donum DEI, quo intellectus, ex imperio voluntatis à DEO motæ per Gratiã & per motiva Credibilitatis, firmiter assẽtitur omni Divinæ revelationi per Ecclesiam propositæ, propter summam DEI Veritatem indicendo, & cognoscendo.* Hæc explicantur per talem processum ad actum fidei: qui antequam eliciatur v. g. de Incarnatione Christi imo *Hebr. 11.* *2.2. q. 4 art. 1.* *Collector.*

 requi-

requiritur, ut proponatur per congruos Ecclesiæ DEI Ministros, DEUM revelâsse, quòd Filius DEI sit homo factus juxta illud: Rom. 10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* 2do requiritur: Siquidem in Prædicatore illa revelatio seu locutio DEI de Incarnatione est obscura & incerta, opus est ut per aliquid moraliter evidens, & certum comprobetur, quo discernatur rationabiliter & prudenter verum dicere Prædicatorem, quod DEUS revelaverit incarnatum esse Filium DEI, falsum autem dicere, si prædicaverit DEUM revelâsse incarnatum esse Spiritum Sanctum: Atque ut ita moveatur Auditor ad practicum judicium formandum; esse id verum quod proponitur, nimirum esse revelatam à DEO Incarnationem Verbi, adeoque esse prudenter credibilem, honestúmque esse credere, & imprudenter ac inhonestum discredere, indeque obligari Auditorem sine formidine ad credendam Incarnationem Filii DEI. Hoc autem *Discerniculum* seu *Motivum* aliud est intrinsecum, aliud extrinsecum. *Intrinsecum* est Illustratio DEI & Inspiratio supernaturalis seu Apprehensio quædam singularis, potenter suasiva & fundans experientiam, quâ fidelis etiam rudis experitur in seipso potestatem & obligationē credendi sine formidine, obscurè propositum articulum fidei, v. g. de Incarnatione Filii DEI; quam non experitur, dum proponitur falsum, ad credendum v. g. de Incarnatione Spiritûs S. Atque ita DEUS ipse internâ illuminatione supplet id, in quo externa propositio deficit. *Extrinsecum* motivum est, nempe quæ vulgò appellantur *Motiva credibilitatis*, quæ collectivè simul sumpta reddunt *Testimonia DEI credibilia nimis* (ut Propheta loquitur) probantque Psal. 92. evidenter solam Catholicam fidem esse veram, cæteras verò sectas esse stultas: adeoque in sola Ecclesia Catholica esse Locutionem verè Divinam, seu Revelationem DEI in rebus fidei. Sed de his motivis mox fusiùs.

3tio: Tam internis quàm externis motivis persuasa ratio de proposita Incarnatione Christi, quòd sit Locutio verè Divina, seu vox nil mortale sonans; elicit judicium ultimum practicum evidens, ita dicens: *Hic & nunc, honestum est credere sine formidine Incarnationem Christi.* Tum voluntas imperat intellectui assensum fidei super omnia de Incarnatione. Ac tandem intellectus elicit eundem assensum, locutioni, cognitæ moraliter tanquam Divinæ, propo-

proponenti per Ecclesiæ Ministrum de Incarnatione: assentiur autem propter summam authoritatem & infallibilitatem ejusdem Locutionis Divinæ in cognoscendo & dicendo ipsam veritatem: etsi etiam simul propter rationes humanas assensus fidei possit præberi, ut scilicet magis & firmiùs credat; neq; hoc diminuit meritum fidei; diminuit autem imò absolutè tollit meritum fidei, si propter solas rationes humanas præstetur assensus fidei ut D. Grego: dicit. *Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* *Hom: 26, in Evang.*

§ I.
De Motivis Credibilitatis.

QUoniam totius Vitæ Christianæ seu Spiritualis fundamentum, origo, & principium est Fides vera: hæc verò ut in ejus descriptione patuit, sequentibusque patebit haberi prudenter nequit (quoad actualem loquor) nisi per motiva externa, vel interna (quæ potissima sunt) credibilitatis: Igitur de ipsis, sequentibus necessariò paulò fusiùs agendum.

Solent infideles ut ait Basil: in Psalm. 115. reprehendere Christianos, eò quòd sine ratione vel ut ipsi putant, contra rationem credant: qua de causa dixit Paul. 1. ad Cor. 1. *Verbum crucis pereuntibus videri stultitiam*: Et similiter ait *Christum crucifixum Judæis esse scandalum: Gentibus autem stultitiam.* Porphirius etiam, & Julianus. Apostata ut refert D. Hieronymus Matth. 9. irridebant stultitiam eorum, qui Christi doctrinam, & vocationem sequuntnr. Unde alii hæretici ad vitandam hanc reprehensionem, in aliud extremum inciderunt, dicentes, nil esse credendum, nisi quod ratione ostenditur, ut videri potest apud Aug. lib. de utilitate credendi, & Bernard. Epist. 109. Vera autem, & Catholica doctrina mediam viam tenet: nam & levitatem animi, & duritiem cordis reprehendit in credendo: docetque quamvis non semper possimus rationem reddere propriam earum rerum, quas credimus: posse nihilominus sufficientem rationem reddere cur credamus, sic enim dixit Petrus. 1. Cap. 3. *Paratos nos esse debere ad reddendam rationem ejus, quæ in nobis est spei, & fidei.* Hanc ergo rationem in præsenti inquirimus, nam ex hoc pendet, ut sciamus,

Suarez de fide disp: 4. sect: 2.

Ejusmodi hæresis etiam nūc videtur resuscitari ab orco.

amus, quomodo posſit talis eſſe propoſitio fidei, ut ſit rationi conſentaneum, illam recipere.

Ibidem n. 3. Dico 1mo. *Ad ſufficientem obiecti fidei propoſitionem, non ſatis eſſe obiectum utcunque proponi tanquam dictum, ſeu revelatum à DEO, ſed neceſſarium ſaltèm eſſe cum talibus circumſtantiis proponi, ut prudenter appareat credibile, eo modo, quo proponitur.* Hæc aſſertio indubitata eſt apud omnes, & ratio eſt, quia *Qui citò credit, levis eſt corde.* Eccleſiaſt. 19. Dicitur autem citò & leviter credere, qui imprudenter credit: Ergo qui ſic credit, non poteſt credere fide Divinâ: ergo neceſſaria eſt talis propoſitio obiecti credendi per hanc fidem, ut prudenter credi poſſit.

Ibidem n. 4. Dico 2do. *Ut propoſitio obiecti fidei ſit ſufficiens, neceſſarium eſt, ut id quod proponitur, fiat evidenter credibile tanquam dictum à DEO, ac ſubinde ut certum & infallibile.* Hanc aſſertionem inſinuavit ſatis D. Thom. 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. cum de fidelibus dicit. *Non crederent, niſi viderent eſſe credibile.* Ubi notanda eſt diſtinctio, & variatio illorum verborum *credere*, & *videre*, nam prius dicit obſcuritatem, unde poſterius, ut condiſtinctum ab illo dicit claritatem & evidentiam, neque illa duo repugnant; quia verſantur circa diverſa, nam creditur aliquid ſub ratione veri, videtur autem ſub ratione credibilis. Et ita intellexerunt D. Thomam Caiet. & alii Theologi, qui cõmuniter ſeqvũtur hanc ſentẽtiam: ideoq; in id maximè incumbunt, ut oſtendant naturæ fidei myſteria eſſe evidenter credibilia, quia nimirum non minorem credibilitatem ad illam ſufficere iudicârunt. Eſt denique conſentanea Patribus (quos Suarez ibidem 3. Sectione allegat) Probatur autem ratione, quia ante fidem neceſſarium eſt velle credere, & ante hanc voluntatem neceſſarium eſt judicium, quo voluntas inducatur ad volendum credere, quod non eſt aliud niſi judicium de credibilitate obiecti: ergo vel illud judicium eſt certum, vel incertum: ſi eſt certum eſt etiam evidens: ſi autem eſt incertum, non eſt ſufficiens ad credendum Fide Chriſtianâ. Ergo neceſſe eſt, ut tale judicium ſit evidens.

Ibidem n. 6. Dico 3tio. *Ut Objectum fidei ſufficienter proponatur, non ſolùm objectum debere fieri evidenter credibile, ſed etiam evidenter credibilius quocunq; alio objecto, ſeu doctrinas ſibi contrarias*

vel

vel repugnātes incredibilitate superare. Hæc assertio sequitur ex præcedēti: nam fieri potest in humana fide, & cognitone, ut duæ propositiones contradictoriæ sint probabiles, etiā evidēter quoad probabilitatē. Nam hoc non involvit repugnantiam, quia multa falsa sunt probabiliora veris, & quia ex vi illius, probabilitatis solùm datur judicium formidolosum, & incertum, de veritate seu de re ipsa: at verò in præsenti repugnat aliquid esse evidenter credibile fide Christianâ, & simul contrarium etiam esse credibile, non solùm evidenter, verùm nec etiam prudenter: quia judicium, quod fieri debet ex tali credibilitate debet esse certum, & sine formidine; ergo impossibile est ut contraria doctrina sit evidenter, vel prudenter credibilis. Aliàs talis credibilitas necessariò pareret formidinem: imò etiam licitum esset homini, inter illa credibilia eligere quod mallet, si utrumque esse evidenter credibile, non solùm absolutè spectatum, sed etiam comparativè: hoc autem repugnat, & certitudini, & obligationi fidei Christianæ: nam si sufficienter proponatur, tenemur illam credere cum certitudine, ac præferendo etiam illam omni doctrinæ contrariæ; ergo necesse est ad hanc sufficientem propositionem, ut tale obiectum fiat evidenter credibile, non solùm absolutè sed etiam comparativè.

Dico 4to. *Omnes quibus fides Catholica sufficienter proponitur habere evidentiam saltèm practicam credibilitatis, etsi non omnes speculativam evidentiam habeant nisi doctiores.* Porro *Evidentia practica est,* *Dictamen intellectûs, quo crediturus cognoscit evidenter honestum esse credere, & inhonestum discredere. Speculativa verò Evidentia est, quâ aliquis notitiam habet evidenter reducendi ejusmodi honestatem in aliqua prima, vel quasi prima principia.* Ratio Conclusionis est, ab ipsa Experientia; quia omnes practicâ evidentiâ credibilitatis informati, sentiunt se obligatos ad prudenter & sine vitio credendum illa, quæ debitè & sufficienter proponuntur, & nonnisi stultè & cum vitio discredendum. Et hæc in genere sunt dicta de motivo externo & interno, quæ particulariter proponenda sunt

§ II.
De Motivis Externis Credibilitatis.

Suarez de fide disp. 4. sect. 3.

I. DIco *mysteria fidei Christianæ esse evidenter credibilia*: Est assertio certa, de qua nullus Catholicus potest dubitare: tradit illam D. Thom. 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. ubi Caietanus & omnes: Idem D. Thom. 3 p. q. 42. 43. & 44. agens de doctrina & miraculis Christi & 1. contra gentiles C. 6. reliqui scholastici in Prolog. sententiar. ubi bene Scot. q. 2. & ex modernis latè illam ostendit Medin. lib. 2. de recta in DEUM fide, & latiùs Bosius in duobus tomis de signis Ecclesiæ. Valentia to. 3. disp. 1. q. 1. pun. 4. Et ex antiquis in hac veritate demonstranda laboravit. Tertul. in Apol. Justin. Martyr in Apolog. pro Christianis, Euseb. Cæsar. ferè toto opere de præpar. Evang. & nomine Augustin. lib. de fide rerum invisib. præsertim c. 7. & certiùs idem August. lib. contra Epistolam fundamenti c. 4. ubi habet illa verba præclara. *Multa sunt quæ in Ecclesia me justissimè tenent, consensio populorum, & gentium: authoritas miraculis inchoata, spe aucta, charitate firmata, & vetustate nutrita: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli cui pascendas oves Dominus mandavit, usq; ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum: tenet deniq; ipsum Catholicæ nomen quod non sine causa inter tam multas hæreses sola hæc Ecclesia obtinuit.* Consonat etiam huic veritati Scriptura dicens. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Psal. 92. Et quod dixit Paulus ad Hæbre. 2. *Quomodo nos effugiemus*: scilicet iram DEI? *Si tantam neglexerimus salutem, quæ cùm initium accepisset narrari per Dominum, in nos confirmata est, contestante DEO signis, & portentis* &c. Cui consonant illa verba Christi Domini Joan. 15. *Si opera non fecissem in eis* &c. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Probatur authorit: scholasticorum. Et antiquorum Patrum. Consonat scriptura.

II. Ut autem veritatem hanc ratione ostendamus, oportet fundamenta, seu motiva hujus credibilitatis paulò fusiùs afferre, & explicare, & *primum* quidem *motivum* principale sumi potest ex conditionibus, vel qualitatibus ipsius doctrinæ, quæ possunt ad tres revocari. *Prima* est *veritas* sine admixtione alicujus falsitatis. Nam cùm DEUS sit prima veritas, non potest, vel minimam falsitatem testificari. Unde eo ipso, quod aliqua doctrina misceat ali-

Motivum Primum credendi sumptum ex triplici prærogativa fidei. Prima prærogativa.

at aliquid falſum, etiamſi multa vera doceat, eſt ſufficiens ſignum, illam non eſſe à DEO, atque etiam è contrario, ſi doctrina ſit omnino pura, & quæ non poſſit de aliqua falſitate convinci, magnum argumentum eſt, quod habeat DEUM authorem: tum quia homines facilè decipiuntur, quia *omnis homo mendax*: tum etiam quia multò faciliùs decipiuntur, non enim poteſt homo ſine DEI auxilio veritatem in omnibus aſſequi, quin interdum, vel ſæpe erret, & maximè in rebus Divinis, & quæ ad immortalitatem ſpectant, (quod in materia de Grat. Suarez probat, eſt li. 1. c. 1. & li. 2. à principio) & ipſa experientia ſatis oſtendit in omnibus philoſophis, & gentibus: non poſſumus autem evidenter oſtendere, omnia quæ fides docet eſſe vera, neque in hoc ſenſu accipienda eſt hæc conditio, quia non de veritate, ſed de credibilitate agimus. Intelligendum eſt ergo duo eſſe genera veritatum in hac fidei doctrina. Quædam quæ naturali lumine cognoſci poſſunt: aliæ verò omnino ſunt ſupernaturales. In prioribus invenimus, & cum evidentia cognoſcimus, ſaltèm in multis fidem hanc docere ea, quæ ſunt maximè vera, & rationi conſentanea. Primum in his, quæ tradit de DEO ipſo, ut eſt unus, & Creator omnium, & finis ultimus hominum: deinde in his, quæ ſpectant ad immortalitatem animæ, & ad veram beatitudinem, præſertim vitæ futuræ; in quibus etiam multos errores Philoſophi docuerunt. Ex his ergo magnâ credibilitate colligimus, cætera etiam, quæ rationem ſuperant, vera eſſe, ſeu maximè credibilia: tum quia tota doctrina ab eodem authore profecta eſt, tum etiam quia ipſa ratio naturalis docet DEUM eſſe incomprehenſibilem humano ingenio, & eſſe altioris ordinis ab omni creatura, & ideo altiùs & excellentiùs eſſe de illo ſentiendum, quàm naturale lumen aſſequi poſſit. Illa verò, quæ fides de DEO docet ſupra naturale lumen, omnia commendant excellentiam divinæ Majeſtatis, & omnem imperfectionem ab eo auferunt, & non oſtenduntur nec oſtendi poſſunt impoſſibilia, ut ratio etiam ipſa naturalis aſſequitur; ergo in tota hac doctrina eſt magna conſonantia veritatis, quæ ex hoc capite ſufficit ad evidentiam credibilitatis, & de hac conditione videri poſſunt Clemens Alex. l. 7. ſtromat. & Euſeb. lib. 8. de præparat. Evang.

Secunda prærogativa.

III. *Secunda conditio* eſt, *Sanctitas & puritas doctrinæ*; ad quam ſpectat, ut omnia quæ doceat ſint honeſta, & nihil approbet, quod turpe ſit, atque etiam ut omnia tradat, quæ ad rectitudinem vitæ, neceſſaria ſint, & ſufficiant: nam cùm DEUS ſit ſummè bonus, nec poteſt pravitatem docere, aut conſulere juxta illud Pſal. 18. *Lex Domini immaculata*: & Pſal. 118. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Et quia DEI etiam providentia perfecta eſt, nihil in ſua doctrina omittit, quod ad vitæ honeſtatem ſit neceſſarium. Quod autem in doctrina noſtræ fidei hæc conditio perfectisſimè reperiatur, facilè oſtendi poteſt diſcurſu ſimili præcedenti. Nam inter hæc moralia quædam etiam naturalia ſunt, quædam ſupernaturalia: priora pertinent ad legem naturæ, quam doctrina fidei illuſtrat, & non ſolùm nîl continet illi contrarium, verùm etiam multa declarat, & conſulit, quæ ad perfectiorem illius obſervationem conferunt, ut conſtat ex doctrina Chriſti Matth. 5. quæ eſt maximè conſentanea rationi naturali: & nullus Philoſophorum illam aſſequi potuit. Supernaturalia verò habent eaſdem conditiones ſupra inſinuatas: quia præſeferunt honeſtatem, & nîl illi contrarium in eis oſtendi poteſt, & alioqui ſunt conſentanea excellentiæ Divinæ, ut ea quæ pertinent ad perfectionem amoris ejus, & ad gravitatem offenſionis illius: & conſequenter, quæ pertinent ad ſupplicium peccatorum &c. Denique *Sanctitas vitæ* illorum hominum, qui hanc doctrinam ſequuntur, eique parent, manifeſtè oſtendit ejuſdem doctrinæ puritatem, & excellentiam, quæ illam reddit maximè credibilem. Nam licet inter profeſſores hujus fidei multi ſint pravi, nihil derogat puritati, & veritati ipſius doctrinæ: tum quia ipſa non tollit libertatem arbitrii, à qua illa mala proveniunt: tum etiam quia ipſa condemnat & reprehendit ſimilia peccata, quod pertinet ad integritatem, & veritatem ejus. E contrario verò multitudo, & excellentia Sanctorum profitentium hanc fidem, evidenter oſtendit ſanctitatem etiam, & puritatem ipſius doctrinæ. Nam obediendo præceptis, & ſequendo conſilia illius, tanta ſanctitas comparata eſt, & in mundum introducta, ut infideles nihil habeant, quod reprehendant in hujuſmodi hominibus, niſi nimiam ſanctitatem, ut dixit Auguſt. lib. de moribus Eccles. c. 31. & proſequitur

quitur uſque ad finem libri, & attingit lib. 2. cont. Julian. & eundem locum tractat Chryſo. ho. 6 in 1. ad Cor. ut videri poteſt Boſius lib. 1. à c. 3. uſque ad 11.

IV. *Tertia proprietas* hujus doctrinæ, eſt *Efficacia eius*, quæ cernitur in modo, quo in mundum introducta eſt: nam ut dixit Aug. lib. 22. de civit. c. 7. quòd mundus in Chriſtum crediderit, *virtutis fuit Divinæ, non perſvaſionis humanæ*: quod ex ſequentibus circumſtantiis facilè intelligi poteſt: nam pauci homines pauperes, inermes, & paulò antea idiotæ, imò per humanam ſapientiam non inſtructi, per huius doctrinæ prædicationem, mundum ſuperârunt: non ergo, *in humanæ Sapientiæ verbis, ſed in virtute Spiritûs*, ut dixit Paulus 1. ad Cor. 2. Nam *quæ infirma ſunt DEI, fortiora ſunt hominibus*, ut idem dixit in eadem Epiſto. et in 2. c. 10. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed Spiritualia potentia in DEO.* Et hoc maximè perſvadet, quòd hujuſmodi homines, nec temporalia prœmia, aut honores quærebant, neque illa ſunt diſcipulis promittebant, nec etiam prædicabant doctrinam delicias aut voluptates foventem, ſed potiùs illis maximè repugnantem: & nihilominus illam doctrinam mundo perſvaſerunt: Ergo ſignum eſt non fuiſſe verbum hominum, ſed verbum DEI quod efficaciſſimum eſt ad *convertendas animas* Pſalm. 18. & Hier. 23. dicitur eſſe *malleus conterens petras*: & ad Heb. 4. dicitur *ſermo efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti* &c. de quo videri poteſt Chryſoſt. hom. 66. ad populum. Huc accedit quòd per efficaciam hujus verbi, brevi tempore idola fuerunt deſtructa, & cultus veri DEI inter homines reſtitutus, de quo videri poſſunt Athan. lib. de Humanitate Verbi, & hiſt. Eccleſiaſticæ. *Tertia prærogativa.*

V. *Secundum principale Motivum* ſumitur ex multitudine, & authoritate Teſtium hujus doctrinæ, in quo ordine poſſemus primo loco ponere teſtimonium ipſius Trinitatis, in Chriſti baptiſmate, & præſertim teſtimonium æterni Patris, quod in confirmatione ſuæ doctrinæ Chriſtus adduxit Ioan. 8. Item poſſemus afferre teſtimonia Angelorum in Chriſti nativitate, & aliis myſteriis, tamen quia hujuſmodi perſonæ teſtificantes, non erant viſibiles ſenſibus humanis ideo nunc his teſtimoniis non utimur. Primum ergo, & præcipuum teſtimonium ſit ipſius *Secundum motivum credendi eſt multitudo probatiſſimorum teſtium.* *Primus teſtis ipſe Chriſtus.*

met Christi, qui Evangelicam doctrinam prædicavit, quem etiam, ut hominem esse fide dignsſimum, externi quoque homines confitentur; & præcipuè Josephus lib. 18. Antiq. & constat ex sanctitate, & puritate vitæ ejus, unde præsumi non potest, quod per malitiam, talē doctrinam prædicaverit, neque etiam per ignorantiam, quia ipsamet doctrina præsefert excellentem sapientiam, quam Christus etiam semper ostendit in responsis, & prædicationibus suis. Deinde etiam ante adventum Christi habuit hæc doctrina testimonium à lege, & Prophetis, & specialiter Moyses præmonuit. *Prophetam sicut me suscitabit tibi Dominus ipsum audies.* Præcessit etiam testimonium Joannis Baptistæ, quòd maximè propter vitæ admirationem fuit sufficiens de se, ad persvadendum & præparandum mundum, præsertim verò populum Judæorum, ad Christi adventum. Post ipsum verò Christum, Apostoli fuerunt gravissimi testes hujus doctrinæ, de illis enim etiam præsumi non potest, quòd per malitiam prædicaverint, cùm essent contemptores omnium rerum humanarum, nec etiam per ignorantiam, propter easdem ferè rationes, scilicet, quia ipsa doctrina præsefert summam lucem, & sapientiam, & quia sapientes hujus seculi nullum errorem in ea ostendere potuerunt, quod bene prosequitur Aug. lib. 83. quæst. 79. Possumus etiam addere ipsos dæmones coactos fuisse, interdum ad ferendum testimonum pro veritate hujus doctrinæ. Nam licèt testimonium dæmonis per se nullius sit authoritatis, quia est *Pater mendacii*, etsi interdum aliquid verum dicit, est animo fallendi, ut in aliis decipere possit: hoc nimirum verum est quando ipse suâ voluntate & spontaneè loquitur, at verò quando Divinâ virtute cogitur, *ut credat & contremiscat*, & ita veritatem fateatur: tunc magnum argumentum inde sumitur veritatis, doctrinæ, quia non potest cogi dæmon ad testimonium ferendum contra seipsum, nisi Divinâ virtute coactus; & etiam hoc argumento utuntur Sancti Patres, & videri etiam possunt Sacræ historiæ & præsertim Ruffim. lib. histo. c. 11. & l. 2. c4. & Niceph. lib. 11. hist. c. 27. & Tripartita lib. 2. cap. 21.

Deinde Moyses Deut. 18.

Item Joannes Baptista.

Ipsi quoq; dæmones vel inviti testes sunt.

VI. Ad hunc locum spectat etiam testimonium Martyrum, qui inde etiā nomen acceperunt, quod suo sangvine, magnū fidei

Martyres etiā junctis Martyrii ipsorum circumstantiis & consule lib. 1. defensionis fidei cap. 19.

fidei testimonium præbuerunt; & ita frequentèr Sancti etiam utuntur hoc argumento. Est tamen advertendum, perseverantiam unius vel plurium hominum in confitenda aliqua veritate, usque ad mortem, non esse argumentum sufficiens veritatis aut testimonii Divini: nam multi hæretici pro suis erroribus mortui sunt, affirmantes se mori propter Christum ejusque doctrinam. Unde Nicephor, l. 4. histor. c. 23. ex Apolinari refert hæc verba, *Plures hæreses de suis martyribus gloriantur: non tamen propterea in earum sententias imus.* Idem notat Eusob. lib. 5. histo, c. 15. in fine, & de Massalianis affirmat idem Epiphan. Hæres. 80. de Anabaptistis Bernar. Serm. 66. in Cant. & de Donatistis Ang. Episto. 65. qui propterea in lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 5. inquit, *multi hæretici nomine Christiano animas decipientes, multa alia patiuntur, Sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non propter justitiam patiuntur, ubi enim vera fides non est, non potest esse justitia*: quia verò hoc ipsum est, quod oportet discernere, quando scilicet, mortes Martyrum sint propter justitiam, & ita sint testimonia veræ fidei: ideo considerandæ sunt peculiares circumstantiæ Catholicorum Martyrum. Una est, quia sunt in multò majori multitudine: pro aliis enim sectis rari sunt, qui mortem sustineant, pro fide autem Christiana innumerabiles fuêre martyres, ut nostris etiam temporibus visum est, & plura leguntur, in hist. Eccles. & præsertim videri potest Victor Uticensis lib. 1. de persecut. Vuant. & Euseb. lib. 5. Histor per totum, & lib. 7. cap. 19 Niceph. lib. 7. & lib. 8 cap. 36. & lib. 10. cap. 9. Secundò ponderandus est modus patiendi, non solùm æquo animo ut supra dixit Aug. sed etiam summâ lætitiâ, & cum magnis signis innocentiæ, & sanctitatis, & sæpe etiam sapientissima responsa, & rationes plusquam humanas suæ fidei reddentes. Accedit tertiò quod non solùm viri, sed etiam fæminæ, & non solùm provectæ ætatis, sed etiam puerilis eandem animi constantiam, alacritatem, & sapientiam in suis martyriis ostenderunt. Quartò accedunt infinita prodigia, quæ accidebant, dum Martyres patiebantur, & non solùm in eorum mortibus, sed etiam postea in eorum tumulis & sepulchris, ut est notum in historiis, & videri potest Nicephor, lib. 3. cap. 29. & lib. 4. cap. 27. Denique considerârunt Patres

1. Circumstantia. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

Patres per tot hominum mortes non fuisse Ecclesiam diminutam, sed potiùs mirum in modum auctam: quia *singula grana quæ interram cadebant, multiplicata nascebantur*, ut dixit Leo. Mag. serm. 1. de Apostolis Petro & Paulo, & Justinus Martyr Dialog. cum Triphone multò ante finem citans illud Psal. 127. *Uxor tua sicut vitis abundans*, dicit, sicut vinea crescit, dum putatur, ita Ecclesiam crevisse per suos Martyres. De quo argumento plura videri possunt in Cyprian. (si tamen Cypriani est) lib. de duplici martyrio, & Tertul. in Apolog. circa finem. Augusti. 18. de Civitate capite 50.

Testes quoq; Prophetæ sunt. VII. Denique inter hos testes fidei maximè numerari possunt Prophetæ, quorum vaticinia per se sufficiebant ad credibilitatem fidei confirmandam, ut significat D. Thom. 1. contr. gent. cap. 6. nam prædictio vera futurorum contingentium, per se loquendo, est propria DEI: quia solus ipse virtute suâ prævidet futura contingentia, quod maximè verum est de illis futuris quæ ex DEI voluntate & omnipotentia pendent; nam si ut ait Paulus *Mentem hominis nemo novit nisi spiritus hominis*, multò minus potest aliquis cognoscere voluntatem DEI nondum per effectum declaratum, nisi Spiritus DEI. Hinc ergo planè concluditur, tales prophetias, si veræ sunt à Spiritu DEI esse, & illius testimonium continere: quamvis autem prophetia, dum non est impleta, non possit evidenter cognosci, an vera sit, licèt possit fide credi, attamen postquam videtur impleta, satis apertè constat fuisse veram. Cùm ergo multa mysteria fidei prædicta sint à Prophetis, etiam cum particularibns circumstantiis priùs, quàm fierent, & nunc cernantur impleta, optimum est argumentum veritatis fidei, quæ talia docet mysteria, credibilitatis autem indicium est evidentissimum.

Et Doctores quales habet Ecclesia. His denique adjungi possunt Doctores Ecclesiæ, qui etiam sunt maximi testes veritatis fidei, & multum conferunt ad credibilitatem ejus, tum propter excellentia ingenia & summam Sapientiam, quæ in eis relucet; tum propter magnam Sanctitatem; tum propter eorum Multitudinem.

Accedit tandē multitudo populorū ubi magna sāctitas ex vi doctrinæ fidei elucet. Accedit quoque (quod August. dixit) *Consensus & multitudo populorum*, quod per se non sufficeret, nisi in his populis essent sapientes & probi pastores, nisi etiā in iisdē populis magna sanctitas ex vi talis doctrinæ cōspiceretur,

retur, univerſaliter quidem in profesſione, & magna etiam ex parte in vita, & executione.

VIII. *Tertium principale Motivum* ſumitur ex variis modis, quibus DEUS peculiariter ſubſcripſit, & authoritatem præbuit teſtimoniis hominum prædicantium hanc fidem, in quo ordine primum locum tenent miracula: eſt enim miraculum pignus quoddam omnipotentiæ DEI ut dixit Chryſoſtom. homil. 14. in Matth. quia eſt proprium opus ejus juxta illud Pſalm. 135. *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Ratio eſt: quia de ratione miraculi eſt ut ſit opus extraordinarium, & rarum præter legem ordinariam DEI, & ſupra omnem virtutem cauſarum naturalium, ut ſumitur ex D. Thom. 1. p. q. 105. art. 7. & 8. & lib. 3. contr. gent. c. 101. & ex Aug. lib. 3. de Trinitate cap. 4. & 5. & lib. 26. Cont. Fauſtum cap. 3. & ſequentibus, & lib. 6. de Genes. ad Lit. cap. 13. Hinc ergo concluditur illam doctrinam, quæ miraculis confirmata eſt, tanquam à DEO dicta, & revelata, planè eſſe credibilem tanquam veram & à DEO dictam: nam ut Aug. dixit Epiſt. 49. quæſt. 6. DEUS mirabilibus operibus loquitur, & ideo quæ per mirabilia opera confirmantur, credibilia fiunt, tanquam à DEO dicta. Quòd autem doctrina fidei noſtræ hujuſmodi miraculis confirmata ſit, notisſimum eſt. Primò ex miraculis Chriſti Domini quæ ad confirmandā doctrinam ſuam operatus eſt, ut Evangeliſtæ referunt, qui licèt non faciant evidentiam, ut Scriptores canonici, quia ſolâ fide credimus eos in ſcribendo errare non potuiſſe, ex Spiritûs S. directione; nihilominus etiam humano modo loquendo, faciunt certam fidem, quòd vera narraverint, quia ſcripſerunt eiſdem ferè temporibus, & apud illos, quibus Chriſtus Dominus prædicavit: & neque ipſi Judæi auſi ſunt eos falſitatis arguere, quin potius Joſeph. lib. 16. Antiquit. generaliter ea confirmat, dicens de Chriſto Domino. *Fuit vir ſapiens & operum planè mirabilium effector, hominumq; qui libenter animis veritatem amplecti vellent, magiſter & doctor.* Deinde per Apoſtolos, non minora vel potiùs majora opera facta ſunt ad eandem veritatem confirmandam, ut ipſe Chriſtus Dominus promiſerat; & in iiſdem libris canonicis ex parte narratur. Multa denique ſimilia per Sanctos ſuos poſtea operatus eſt Dominus ad eundem finem, ut in hiſto-

Miraculum quid.

Qualia Chriſt. patravit.

Qualia & Apoſtoli.

historiis Ecclesiasticis, & historiis de Sanctorum vitis passim narratur, & attigit Aug. lib. 10. de civit. cap. 8. & lib. 22. cap. 8. 9. & sequentibus, & videri potest Euseb. lib. 4. histor. c. 5. & alii.

IX. Difficultas verò in hoc puncto est: quia licèt negari non possit, illa signa facta esse quoad externam speciem, & apparentiam, tamen non est evidens fuisse miracula vera, sæpe enim virtute dæmonis fiunt similia prodigia, quæ vix possunt humano modo discerni à veris miraculis, ut constat ex his, quæ operabantur magi in Ægypto Exodi 7. Item ex his quæ, ut 3. p. to. 2. disp. 54. sect. 4. dixi, Antichristus operabitur, quæ talia erunt, *Ut (si fieri potest) per ea inducantur in errorem etiam electi*, ut dicitur Matth. 24. & colligitur, ex Apocalip. 13. Item hæretici interdum profitentur se facere miracula, & idem de gentibus refert Tertul. in Apolog. cap. 22. & 23. & August. lib. 10. de Civit. cap. 11. & Euseb. lib. 4. & 5. histor. Nihilominus tamen iidem Patres docent distingvere falsa miracula, à veris: & in miraculis confirmantibus fidem nostram observant circumstantias, ex quibus potuit videntibus evidenter constare, evidentiâ quâdam naturali, vera esse, quæ agebantur: & de operibus Christi Domini magnum argumentum est, quod, licèt Pharisæi interdum ausi fuerint illum calumniari, quòd in virtute dæmonis ejiceret dæmonia, numquam tamen ausi sunt dicere, opera ejus miraculosa, non habuisse veros effectus, ut non resuscitâsse verè Lazarum, illuminâsse cœcum, sanâsse paraliticum, & similia. In his ergo operibus primùm considerandа est diuturnitas effectûs, & perseverantia, quæ est magnum indicium veritatis: nam quæ fictè tantùm fiunt, subitò evanescunt: & ita mors Lazari, per quatuor dies probata est, quòd fuerit vera, & postea vita illi restituta per longa tempora. Deinde accedunt effectus, per quos talis veritas manifestatur: qualis maximè esse solent actiones vitæ, ut videre in cœco ex nativitate. Tertiò consideratur multitudo & frequentia talium effectuum, cum omnibus signis, & indiciis veritatis, quæ esse solent in omnibus rebus, quas præ manibus gerimus: quâ enim majori evidentiâ constare potest, aliquod vinum esse verè vinum, quàm fuerit illud, in quod Dominus aquam convertit? Unde consideratur etiam quartò multiplex modus mirabilis operandi talia signa per impe-

Diluitur ex indiciis veri miraculi.

Primum indicium.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

imperium, per orationem ad DEUM, adjungendo ſimul aliud opus proprium DEI, ut manifeſtationem cogitationum cordis, quòd ſæpe Chriſtus faciebat. Præterea conſiderandus eſt finis talium operum, quia nihil temporale, & humanum, nihilve pravum per illa intendebatur, ſed potiùs rectitudo, & honeſtas morum, & veri DEI cognitio, & ipſius dæmonis expugnatio: ergo nulla verò ſimili ratione poteſt falſitas in eis conjectari. Denique argumentatur rectè Auguſt. dicta Epiſto. 49. q. 6. Nam vel omnia quæ pro noſtra fide narrantur falſa ſunt: vel aliquod eſt verum. Primum per ſe eſt incredibile propter dicta, ſi autem ſecundum admittatur, eo ipſo ponitur DEUS, ut author, vel confirmator hujus doctrinæ, & ex uno tali miraculo rectè colligitur, etiam alia quæ ſimili authoritate narrantur eſſe vera: quia non eſt major ratio de uno, quàm de aliis. Et hoc modo ex veritate miraculorum Chriſti, rectè colligere poſſumus; vera etiam fuiſſe, quæ Apoſtoli faciebant, quia ad eundem finem, & eâdem virtute illa faciebant, ut ipſi profitebantur: & ſimile argumentum in poſterioribus Sanctis fieri poteſt.

Auguſtini argumentum ad idem.

X. Adhuc tamen inſtari poteſt, quia non repugnat bonitati DEI, per pravos homines interdum vera miracula facere: ergo miracula, etſi conſtet eſſe vera, non ſatis confirmant fidei credibilitatem: antecedens patet, quia operatio miraculorum pertinet ad gratias gratis datas, quæ & malis & bonis communicantur: unde eſt illud Pauli 1. ad Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*: conſequentia autem probatur: quia ſi pravus homo poteſt facere verum miraculum, etiam poteſt eſſe deceptor, & falſum dicere: ergo ex veritate miraculi non rectè colligitur veritas doctrinæ. Reſpondetur duobus modis poſſe fieri miraculum. Primùm, ſine ullo reſpectu ad veritatem aliquam, per illud confirmandam, ſed ſolùm propter illius utilitatem, ut ad conferendam ſanitatem, vel quid ſimile. Secundò fit miraculum in teſtimonium alicujus doctrinæ, ut veram eſſe confirmet. Priori modo verum eſt: poſſe DEUM facere miracula, per pravos homines, & hoc modo procedit objectio facta, quamvis fortaſſe rarisſimè hoc contingat, & quando evenit magis eſt ex fide recipientis quàm ex virtute

Objicitur 2. potuiſſe fieri miracula ad teſtandam falſitatem.

Diluitur.

operantis: posteriori autem modo fieri non potest, ut miraculum fiat in confirmationem falsitatis, quia aliàs DEUS cooperaretur mendacio, & esset testis ejus, ut sentit Aug lib. de utilitate credendi cap. 6. & latiùs D Thomas 3. parte q. 43. & 44. ubi in disput 31. multa de hoc puncto dixi. Et videri etiam potest Canisius lib. 5. de Deipara cap. 15. & Bellarmin. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 14.

4. Motivum perpetuitas ejusdem fidei in Ecclesia.

XI Tandem inter miracula Divinæ potentiæ, quibus hæc fides facta est credibilis, numerari potest perseverantia, & duratio ejusdem fidei, & Ecclesiæ per illum fundatæ ab initio prædicationis Evangelicæ usque nunc. Nam cùm hæc fides ex una parte sit valde difficilis ad credendum, quia multùm superat naturalem intellectûs capacitatem: & ex alia sit valde ardua ad observandum, quia præcipit multa valde Spiritualia, & concupiscentiæ repugnantia, & aliunde quàm plures sectas, & errores destruxerit, & ideo infinitos habuerit hostes, ac potentissimos: nihilominus integra permansit, & in persecutionibus numero & merito aucta est & in cognitione veritatis illuminata: quod profectò sine speciali DEI virtute, & auxilio, nulla virtus humana efficere potuisset. Atque ita experimento videmus impletam Christi prophetiam. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et ejusdem promissionem. *Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.* Atque hoc ipsum intendit Aug. in suo tertio motivo, quod sumpsit ex continua successione summorum Pontificum in sede Petri: nam quia illa est Petra, supra quam Christus fundavit Ecclesiam, eadem virtute immobilis perseverat, quâ ipsa Ecclesia, & ejus fides: quod si illud motivum visum est Augustino sufficiens post quandringentos annos à Christi adventu, & post 42. successiones Episcoporum Romanorum, profectò longè mirabilior est, magisque Divinam virtutem ostendit ejusdem sedis usque ad nostra tempora continua successio.

Assertio posita n. 1. conglobato ex dictis argumēto probatur.

XII. Ex his omnibus conglobatur demonstratio, quâ credibilitas nostræ fidei evidēter ostenditur in hunc modum. Doctrina quæ per se valde consentanea rationi, majestati ac excellentiæ Divinæ, bonisque moribus, innumerabilesque habet testes fide dignissi-

gnissimos, qui non solùm humanâ, sed etiam Divinâ virtute per signa mirabilia illam confirmârunt, & ita firmârunt, ut potentia mundi, & dæmonum contra illam prævalere non potuerit, credibilis est: Sed talis est doctrina fidei Christianæ: Ergo est credibilis. Consequentia est evidens, ut per se patet: præmissæ etiam sunt evidentes: ergo & conclusio evidens est. Et quidem de minori, quòd sit evidens ex ipso facto, & experimento constat: neque obstabit, quòd multa ex his quæ dicimus ad nos pervenerint per historiam & traditionem humanam: nam illa est tam constans tamque universalis & nota, ut sufficiat ad evidentiam humanam in testificante faciendam, qualis est de hac propositione; *Roma est*, & similibus. Illa ergo multò magis sufficit ad evidentiam credibilitatis. Prima etiam præmissa est evidens ex terminis, & ex definitione ipsius *Credibilis*. Addere verò possumus, ad majorem illius confirmationem, naturaliter evidens esse, DEUM habere providentiam rerum humanarum, & ideo non deserere hominem, in his maximè quæ ad ipsiusmet notitiam, & cultum, & ad felicitatem æternam pertinent. Unde incredibile est DEUM ita suâ providentiâ destituisse homines hanc fidem amplectentes, ut permittat eos decipi cum tanta credibilitatis evidentia, maximè cùm inter eos sint multi, qui toto corde DEUM ipsum, ejusque veritatem quærunt. Propter quod dixit Chrysostom. in quadam homilia de providentia: Sine magna injuria providentiæ Divinæ, non posse hanc fidem falsam reputari, & quòd si per impossibile falsa esset, non posset hominibus imputari, quia prudentissimè illam credunt. Accedit denique, quòd cum hæc doctrina sub Divina authoritate proponatur, ad ipsius etiam DEI authoritatē, & veritatem spectat, non permittere, ut sub ejus nomine & testimonio homines cum tanta credibilitate decipiantur, propter quod Richard. de S. Victor. lib. 1. de Trinitate cap. 2. cum DEO loquens ausus est dicere. *Si error est, quem credimus, à te decepti sumus: iis enim signis doctrina hæc confirmata est, quæ, nisi à te fieri non potuerunt.* Hactenus Suarez.

Confirm. 1.

Confir. 2.

Comparatio Credibilitatis Fidei Christianæ ad alias Sectas.

Suarez de fide disp. 4. sect. 4.

DIco stante credibilitate Catholicæ doctrinæ, qualis à nobis demonstrata est, impossibile est doctrinam illi repugnantem, in comparatipne ejus, esse credibilem.

I. Quia ostensum est hanc doctrinam ita esse credibilem, ut repugnet providentiæ Divinæ tantam credibilitatem cadere in rem falsam: ergo non possunt propositiones contrariæ simul esse credibiles, tantâ credibilitate: ergo sumptâ credibilitate hujus doctrinæ, necesse est ut credibilitas cujuscunque repugnantis doctrinæ, sit longè minor: quod etiam unicuique fiet evidens, applicando omnia motiva adducta, ad alias sectas: in nulla enim alia ita invenientur. Ut autem utilior & evidentior sit hæc collatio, oportet sectas infidelium distinguere, & de singulis aliquid dicere. Distinguuntur autem à Theologis tres species infidelitatis, Paganismus, Judaismus, & Hæresis; inter quas hoc differt, quantum ad præsens spectat, quòd Pagani neque aliquas scripturas Divinas admittunt; neq; in Christum ullo modo credunt; Judæi verò admittunt scripturas veteris testamenti; & profitentur se credere Messiam, non tamen credunt iam venisse: & ita errant in ejus Persona. Hæretici verò utrumque testamentum admittunt, & in verum Christum se credere profitentur, in ejus tandem doctrina multùm errant. Jgitur cum singulis speciebus harum sectarum comparatio facienda est.

Probatur deinde comparando fidem ad tres generales sectas infidelitatis Discrimen inter illas sectas.

Comparatio Fidei Christianæ ad Paganismum.

Primo quoad unam ejus speciem Idol.

II. CIrca primum subdistinctio adhiberi potest: nam inter Paganos (sub illis Gentiles comprehendendo) quidam sunt, qui unum DEUM non agnoscunt, sed plures colunt: & hujusmodi sunt idololatræ, cum quibus facilis est, & expedita disputatio, nam ut dixit August. lib. 12. Gen. ad lit. cap. 14. *Cùm ad aliquid pervenitur, quod est contra bonos mores, non magnum est tunc falsam sectam â vera discernere*: quia ut supra dicebamus, vera fides non potest esse rationi contraria, etiamsi supra illam sit, & ideo non potest aliquid approbare quod sit contra bonos mores secũdùm rectam, &

euidentem rationem naturalem. At verò omnes ſectæ Gentilium idola colentium in multis peccant contra rationem naturalem, quæ illorum ſectæ approbant: nam imprimis ipſamet idololatria, & plurium Deorum opinio, eſt contra evidentem rationem naturalem; & deinde, ferè omnes admittunt alia multa manifeſtè prava ſecundùm rectam rationem; quod argumentum ſufficit, ut hujuſmodi ſectæ ſint incredibiles, & ita eo maximè utuntur SS. Patres, diſputantes contra Gentiles, & contra Jdola, ut videre licet in Juſtino in Apolog. Cyprian, cont. Idol. Tertul. in Apolog. & aliis. Hæc etiam ratio valet contra omnes antiquos Philoſophos, & eorum ſectas: pauci enim illorum ſunt qui unum verum DEUM agnoverint, & ſi aliqui illum cognoverũt, *non illum glorificaverunt ſicut EEUM, aut gratias egerunt*, ut ait Paulus ad Rom. 1. quia vel circa DEI providentiam, vel circa veram hominis felicitatem multùm errârunt: unde etiam in alios errores & vitia prolapſi ſunt, ut proſequitur Paul. citato loco: Cui rationi addendum eſt, in nulla hujuſmodi ſecta inveniri ea teſtimonia credibilitatis quæ nos adduximus, neque multò etiam inferiora; ergo nulla poteſt fieri comparatio talium ſectarum, cum noſtræ fidei credibilitate. Unde Auguſt. lib. de vera Religione cap. 3. concludit, quòd ſi Plato, vel alius ſimilis Philoſophus teſtimonia noſtræ fidei cognoviſſent, ſine dubio credidiſſent.

III. Alia veluti ſpecies hujus generis infidelitatis eſt, quæ propriè Paganiſmus dicitur, ſic enim appellantur qui ſectam Mahometi ſeqvuntur: nam illi unum DEUM confitentur, & illum ſe colere profitentur: eodem tamen argumento errare convincuntur in ſua ſpeciali ſecta: tum quia multa etiam admittunt rationi contraria & turpia, ut quòd felicitas ſit in voluptatibus corporis, & alia quæ prudenter referri non poſſunt, & de illis videri poteſt Medina lib. 1. de recta in DEUM fide cap. 4. ubi etiam oſtendit in Alcorano, quem ipſi, ut ſuam ſcripturam admittunt, multas eſſe contradictiones & inconſtantias in doctrina: quæ oſtendunt manifeſtè ejus incredibilitatem. Accedit etiam quòd author illius ſectæ, nullam habuit authoritatem fide dignam, etiam humanã. Nam ut commune eſt in hiſtoriis, fuit homo imperitus, & vitiis deditus. Credibilitas autem doctrinæ multùm pendet

Secundo quoad alteram ſpeciem ſectam ſcil. Mahomet.

ex qualitate primi doctoris ejus, seu primi proponentis Et hæc ratio, multùm etiam valet contra sectas quorumcunq; Philosophorum: nam authores earum regulariter vitiis subiecti fuerunt, quæ plurima, & enormia Paul. recenset in dicta Epist. ad Roma. ab illis verbis. *Propter quod tradidit illos DEUS in desideria* &c. usque ad finem capitis: & si quis videtur bonis moribus fuisse, saltèm humanam gloriam & vanitatem affectabat. Propter quod dixit August. lib. 3. cont. Academ. cap. ult. nullius authoritatem posse cum Christi authoritate comparari. Denique motivum illud quod de miraculis adduximus, magnam efficaciam contra omnes has sectas sive Paganorum, sive Gẽtiliũ habet: quia talia nulla ab eis fieri potuerunt: quod si interdum aliqua similia fingere ausi sunt, falsitatis & deceptionis facilè sunt convicti, ut Patres supra allegati ostendunt. Prophetiæ denique mysteriorum nostræ fidei, eos possunt sufficienter convincere: Tum, quia licèt non admittant vetus testamentum tanquam Divinam scripturam; nihilominus negare non possunt fuisse scriptum ante Christi adventum. Et ideo notant Patres, Divinâ providentiâ factum esse, ut in Græcam lingvam converteretur, ut posset etiam valere ad Gentiles convincendos, ut notat Euseb. lib. 5. d. demonst. Aug: lib. 8. de Civit. cap. 42. & 46. & Iren. lib. 3. cap. 25. Tum etiam quia ex eadem DEI providentia est, ut inter gentiles quoque essent aliquæ prophetiæ de Mysteriis Christi, ut est vulgare de Sybillis apud Lactantium lib. 4. Divinarum institutionum cap. 5. & sequentib. & Aug. lib. 18. de Civ. cap. 23. & concione de Catechum. cont. Paganos. & alia videri possunt in Ruffino lib. 2. Histor. cap. 29. & Tripartita lib. 9. cap. 29.

Comparatio Fidei Christianæ ad Judaismum.

IV. SEcundò, facienda est comparatio cum Judaismo, quæ est multò facilior, & evidentior ex concessis: quia isti testamentum vetus, & prophetias admittunt. Est autem advertendum, Iudaismum totum ad duos errores principales reduci: unus, & præcipuus est; quia non admittunt, nec credunt Messiam venisse: & ideo si de hoc errore convincantur, tota illorum secta facilè destruitur; convincuntur autem præcipuè ex prophetiis veteris testa-

Proprius Judæorum error ex scripturis convincitur.

ris testamenti ostendendo apertè illas esse impletas: & ideò ajebat Christus Dominus Joan. 5. *Scrutamini scripturas: illæ enim testimonium perhibent de me:* quia non solùm continent promissionem ipsius Messiæ, sed etiam signa particularia, & sufficientia temporis adventûs ejus, & ideò subjungit Christus Dominus. *Si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi, ille enim de me scripsit:* quod intelligendum est, non solùm quia Deuter. 18. habetur expressa promissio, *Prophetam suscitabo eis, &c.* Sed etiam quia tota Lex Moysis fuit quædam prophetia & figura Christi, ut dixit Aug. 16. cont. Faust. cap. 22 atque hoc modo persuadendi fidem de se ipso usus est Christus Dominus Lucæ ultimo: ubi *incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso scripta erant:* & infrà dicit, *necesse erat impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me.* Eodem argumento usi sunt omnes, qui testimonium Christo dederunt. Angelus enim annuncians mysterium Incarnationis statim antiquas prophetias indicavit dicens. *Dabit illi Dominus DEUS sedem David Patris ejus* & Beata Virgo in suo Cantico: *Sicut loquutus est ad Patres nostros:* & Zacharias in suo: *Sicut loquutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum ejus:* & Simeon in suo: *Quod parâsti ante faciem omnium populorum.* Lucæ primo, & 2. & Joann. Matthæi tertio. *Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam.* Idem servarunt Evangelistæ, ut de Incarnatione patet Matthæi primo vers. 22. De Nativitate Matth. 2. vers. 6. De Passione Matth. 26. versu. 31. & Joann. 19. versu 24. 36 37. Ac denique idem servârunt Apostoli præcipuè quando ad Judæos prædicabant ut patet Act. 2. 3. & 13. ac 15. & optimè Paul. in Epist. ad Hebr. & ad Rom 1. in principio, & Petrus 2. Epist. cap. 2.

Item ex Patrum argumentis.

V. Præterea Sancti Patres locum hunc locupletârunt, ut videre licet in Cyprian. lib. 1. & 2. ad Quirinum, & lib. de Montib. Xina & Sion. Tertul. & Gregor. Nissen. libr. contra Judæos & Chrysostom. Orationibus 5. contra eosdem, & August. alia oratione contra eosdem, & oratione ad Catechum. contra varios à cap. 11. & in Dialogo Ecclesiæ, & Synagogæ, & bene Euseb. lib. 2. demonstrat. Evangelica. De applicatione autem præcipuarum prophetiarum designantium tempus adventûs Messiæ ad Christi Domini adventum, videri possunt quæ 111. primo tomo de Incar-

 natione

natione in principio latè prosecuti sumus. Ex his ergò non solùm concluditur, nostram fidem esse credibilem: sed etiam convincitur, Judaicam perfidiam planè esse, solùmque procedere ex nimia ignorantia, & mentis cæcitate, ut dixit Paul. ad Ephes. 4. vers. 18. & prædixit Christus Joan. 12. *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant, &c.*

Christi facta specialiter dirigebantur ad Conversionem Judæorum.

VI. Huic verò evidenti argumento accedit aliud sumptum ex Christi Domini operibus: nam specialiter facta sunt ad illuminandos, & convertendos Judæos, & in se continent tum rationem sumptam ex testimonio Divino per miracula, quàm suprà latè declaravimus, tum etiam rationem sumptam ex complemento prophetiarum, quam modò exposuimus, quia illamet opera erant signa à Prophetis prædicta, & prænuntiata pro adventu Messiæ, & ideò in his operibus semper fecit vim magnam ipsemet Christus, *Si mihi non vultis credere, operibus credite: Et si opera non fecissem in eis, &c.* Ac denique Johan. 5. *Ego* inquit *habeo testimonium majus Joanne*, & illud explicans addit, *Opera quæ ego facio, illa testimonium perhibent de me*: dixit esse testimonium Patris, non hominis. Denique ipsâmet experientiâ possent Judæi suum errorem cognoscere, nam in eis impleta sunt, quæ ipsemet Christus prædixit, *Auferetur à vobis regnum DEI* Matth. 21. Et *Non relinquetur hìc lapis supra lapidem.* Matth. 24. Et hæc nunc sufficiunt de primo, & proprio errore Judæorum. Fuit verò etiam alius qui proprius dicitur judaizantium potiùs, quàm Judæorum. nam erant isti credentes in Christum, volebant autem Judaismum conjungere cum Evangelio, asserentes debere Judæos etiamsi Christum, ut Messiam amplectantur, servare legem Moysis: sed hic error non spectat ad illam speciem infidelitatis, quæ est Judaismus: sed ad speciem hæresis: & ideò quæ statim generatim dicemus de hæresi, contra illam valent, & specialiter impugnari solet tractando de cessatione legalium in materia de legibus 1. 2. q. 103. vide lib. 9. de legib. & prologom. 5. de gratia.

Alter error minus propriè Judæorum.

Comparatio ad Sectas Hæreticorum.

VII. Tertiò comparanda est fides nostra cum sectis hæreticorum generatim. In quo puncto imprimis est advertendum, hæreti-

hæreticos omnes confiteri, doctrinam à Christo & Apostolis traditam esse veram: in quo cum Catholicis conveniunt. Item conveniunt in hoc, quòd fatentur fidem Christi tantùm esse unam, juxta illud Paul. ad Ephes. 4. *Unus DEus, una fides.* Item fatentur, hanc fidem debere esse purã ab omni falsitate: nam doctrina, quæ revera procedit à Christo, necessariò debet esse in omnibus vera, & infallibilis, aliàs tota esset incerta, & non posset haberi, ut doctrina DEI, unde fit inter omnes doctrinas quæ nomine Christi in mũdo existũt, unãtantùm illarũ esse revera à Christo, ac subinde illã solùm esse credibilem, ut à DEO dictam, quia cùm illæ doctrinæ contraria doceant, non possunt omnes esse veræ; ergo una tantùm illarum est vera doctrina Christi. Difficultas autem est, quia unusquisq; hæreticorum contendit suam doctrinam esse, quam Christus & Apostoli tradiderunt, & miraculis confirmârunt; & in quam denique eò veniunt omnia quæ supra diximus. Ut ergò contra omnes hæreticos ostendamus, incredibilia docere comparatione fidei, quam Ecclesia Catholica & Romana docet, nonnulla motiva vel signa hæresis proponenda sunt. Possumus autem illa signa reducere ad tria capita posita in præcedentibus quæ sunt qualitas doctrinæ, testes ejus, & DEI subscriptio, seu confirmatio per propria opera ejus: hæc namque conferendo seu contraponendo, intelligitur facilè, quanta sit differentia inter credibilitatem fidei Romanæ, & cujuscunque hæreticæ doctrinæ.

Fit etiam tertia Comparatio ex primo motivo prærogativarũ fidei posito supra, quibus accedunt alia.

VIII. In Motivo capite addenda est hìc conditio, quæ est magnum indicium, veræ vel falsæ doctrinæ fidei, vel quæ tantùm de fide prædicatur, quæ conditio est *Antiquitas*, vel *Novitas*. Nam vera fides debet esse antiqua: novitas autem in materia fidei signum est hæresis: talis autem debet esse antiquitas, ut ejus origo possit reduci ad Christum, & Apostolos, vel formaliter, vel virtute: id est ad aliqua principia ab Apostolis tradita; omnis autem novitas quæ ab hac antiquitate discedit signum est falsæ doctrinæ, seu alienæ à vera fide. Hæc autem diversitas evidenter reperitur inter doctrinam Ecclesiæ & hæreticorum: nam doctrina Ecclesiæ habet prædictam antiquitatem, ut patet tum ex perpetua successione Pontificum Romanorum à Petro us-

Prima est Antiquitas.

que ad hunc qui modò sedet, Paulum Quintum, tum Ecclesiæ, quæ illos ut Pastores semper agnovit, & fidem Petri retinuit: nullum enim aliud initium hujus fidei inveniri aut fingi potest: item quia hæc fides in antiquis Patribus Ecclesiæ invenitur, qui à temporibus ferè Apostolorum, usque ad nostra tempora sibi successerunt: at verò è contrariò in quacunque hæresi initium ejus notatur, & tempus, & locus ubi incepit, & author à quo ordinariè nomen accepit, & hanc differentiam, inter veram doctrinam, & hæresim notârunt Patres. Cyprianus de veritate Ecclesiæ, *Non enim nos ab illis, sed illi à nobis discesserunt.* Idem ferè Epiphan. in Anchorato circa finem & Hæresi 76. Cùm Arius Catholicos vocaret antiquarios, ex ipsomet verbo illum convincit; *Nam vera fides* inquit *semper antiqua, nunquam veterascit*: & Justinus Martyr Dialog. cum Triphone; *Quoniam* inquit *omnis hæresis ab aliquo ducit originem, qui a Christo desciverit, à nomine authoris nos sequaces nominat*, alia videri possunt in Irenæo lib. 8. contra hæres. cap. 3. Athanas. serm. 2. contra Arianos: Hieronymo cont. Lucifer. circa finem. Ratio autem hujus conditionis & differentiæ, est manifesta: nam vera fides, quam profitemur est fides Christi, ergo ab illo debet ducere originem, & consequenter ab Apostolis, quia per illos prædicata est; & per mundum seminata: ergo doctrina quæ non reducitur ad hanc originem, non est credibilis ut fides Christi: & deinde non potest esse credibilis, ut Divina; tum quia fides contraria fidei Christi non potest esse Divina, tum etiam quia nullus hæreticus ostendit, nec credibilem facit novam revelationem doctrinæ sibi factam: ergo convicitur esse humanum inventum incredibile respectu fidei Romanæ.

Hujus prærogativæ ratio

Hæretici quoque antiquitatem suorum dogmatū ostendunt, de quo vide lib. 1. c. 25. defensionis fidei.

IX. At verò hæretici nostri temporis pressi hac difficultate fingunt suam doctrinam esse antiquam, & in primitiva Ecclesia fuisse, postea verò per multa tempora latuisse usque ad Lutherum v. g. vel aliud simile. E contrario verò fidem Romanam antiquam per aliqua tempora durâsse, postea verò sensim defecisse, & ita illam nunc profitemur, non esse antiquam, sed novam. Simile autem effugium hæreticorum rectè coarguit Tertul. de præscriptionibus Hæreticorum, & Hieronym. Episto. 65. ad Pammachium & Occanum, unde inter alia dicit: *Quisquis assertor*

Refelluntur à Tertull. & à Hieron.

es novorum dogmatum, quæso te ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli voce laudatur. Et infra: *Usq; ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit, eam senex teneto fidem, quam à parentibus accepi, cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antea nescivimus?* Præterea illud prius, quod hæretici dicunt de antiquitate suæ doctrinæ, sæpe est contra suosmet Authores, qui novitatem profitentur, imò de illa maximè gloriantur. Deinde est voluntariè assertum, ac subinde fide indignũ: nam si eorum opinio antea erat, & latebat, ostendant aliquod vestigium ejus, vel quomodo eis innotuerit quod lateret, & qua viâ ad illorũ notitiã pervenit: cùm enim nihil horũ suadere aut probare possint manifestè cõvincũtur, gratis hæc confingere ad suam novitatẽ occultandam. Deniq; non minus falsum & varium est quod ajunt, Romanam fidem sensim defecisse: quia ut dixi, tota invenitur in veteribus Patribus: & quia assignare non possunt tempus, in quo cœpit deficere: nec dogma novum, quod cœperit docere antiquis contrarium: nec authorem illius temporis, qui tale dogma confutârit: cùm tamen experimento constet, nunquam in Ecclesia fuisse exortum novum errorem, quin statim à Catholicis fuerit notatus, & expugnatus.

Refelluntur 2. Tertiò. Quartò.

X. Atque hinc colliguntur duæ aliæ conditiones veræ doctrinæ fidei, quas etiam hæretici negare non audent, & frustra conantur sibi illas accommodare: una est, ut sit fides *Apostolica*: nam sicut est de ratione veræ Ecclesiæ, ut sit *Apostolica*, ut habetur in Symbolo: ita est de ratione veræ fidei, ut *Apostolica* sit: tum quia vera Ecclesia per veram fidem constituitur: tum etiam, quia eandem habent originem. Ex dictis autem constat fidem, quam profitemur, esse *Apostolicam*, non enim ita nominatur nisi ex origine, & successione, & quia Apostolico testimonio fundata est. E contrario verò hæretici ostendere non possunt hanc successionem ut probavimus. Altera conditio est ut vera fides sit *Catholica*: quæ simili modo ex Symbolo probari potest, ubi etiam Ecclesia *Catholica* esse dicitur, Aug. cont Epistol. Fundamenti c. 4. ex solo nomine *Catholicæ*, probat suæ fidei veritatem: dicitur autem Catholica fides, quia universalis, hoc enim vox illa græca, latinè significat: debet autem fides Christi esse universalis, tempore, loco, & personis: quia Ecclesia Christi, ex quo fundata est, universalem

Secũda prærogativa doctrinæ fidei, quòd sit Apostolica, de qua lib. 1. c. 17. defensionis fidei.

Tertia quòd sit Catholica de qua ibidẽ c. 12.

temporis durationem postulat: juxta illud: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: & pro toto mundo fundata est, & pro omnibus gentibus, juxta illud *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes* &c. Et alibi: *Prædicabitur Evangelium hoc in universo mundo, & universæ creaturæ*: ergo fides hujus Ecclesiæ iisdem modis, universalis esse debet. Quod ergo spectat ad universalitatem temporis, rectè colligitur ex dictis, non inveniri in hæretica doctrina: quia non habet illam antiquitatem, quæ ad hanc univērsalitatem necessaria est: id est ut post Christum nullo tempore defecerit: & hoc satis est, ut non sit *Catholica*: quòd verò spectat ad universalitatem loci, & personarum, constat ordinariè hæresim in quodam peculiari loco, ut gente versari, & non habere eam universalitatem quam Ecclesia Catholica postulat, ut ex dicendis magis patebit.

Tertia prærog. quòd sit doctrina sana & irreprehēsibilis.

XI. Præter has conditiones doctrinæ, considerari possunt aliæ superiùs tactæ, quas comprehendit Paul. ad Tit. 2. dicens, verbum fidei debere esse *sanum & irreprehensibile*, quale ostendimus esse in Ecclesia Romana, doctrina autem hæreticorum ordinariè, non est irreprehensibilis: quia semper aliqua miscet; quæ etiam rationi naturali non sunt consentanea, quod notavit in antiquis hæreticis, Irenæus lib. primo & 2. & Epiphanius hæres. 26. & 27. Augustinus Epist. 50. maximè verò invenitur hic defectus in hæreticis nostri temporis: tollunt enim liberum arbitrium, quod est fundamentum moralis bonitatis, & honestatis, & DEUM faciunt authorem peccati, & negant necessitatem bonorum operum, affirmantque DEUM non imputare peccata credentibus, & similia, quæ manifestè sunt contra omnem rationem & honestatem, non est ergo verbum illorum *irreprehensibile*, & consequenter non potest esse *sanum*, quia nec ad sanitatem animæ confert, neque est sibi constans, nec proportionem, aut soliditatem habet: cujus ratio propria est, quia nullam habent hæretici credendi regulam, præter humanam conjecturam, quæ ordinariè est juxta uniuscujusque affectum, & inde fit ut ex iisdem rebus habentibus eandem DEI authoritatem æquè propositam, seu æqualiter credibilem quædam credant, alia non credant, solùm quia ipsis ita videtur, vel quia unum est consentaneum eorum affectui, & non aliud,

ud, ut notavit Epiphan. hæres. 47. ubi admiratur, quàm inconstanter omnia dicantur, & fiant apud hæreticos, de quo videri potest Epist. Athanasii ad Liberium, & Epist. Jovinia. Augustini lib. 7. Tripartitæ cap. 3.

XII. Atque hinc fit, ut doctrinæ hæreticorum, summa sit mutabilitas & inconstantia, quæ maximè repugnat veræ fidei. Tribus autem modis hæc inconstantia contingit; primus est, quia author hæresis sæpè in uno loco contrarium illius affirmat, quod priùs dixerat per incogitantiam, vel inadvertentiam, quod in novis hæreticis maximè notatum est. Secundò aliquando mutant opinionem quam priús tenuerant, quod est apertum signum opinionis humanæ, non veræ fidei, juxta doctrinam Pauli ad Gal. 1. ferè per totum. Tertiò frequentiùs contingit, ut post exortam hæresim, statim dividatur in plures, per varietatem discipulorum, quod repugnat etiam unitati fidei: de qua varietate, & divisione doctrinæ inter hæreticos multa leguntur in Patribus, & in Historiis, & præsertim videri potest Aug. lib. 1. de Bapt. cap. 6. de Agone Christiano cap. 29. & de peccatorum meritis cap. 34. ubi ad Pelagianos, inquit: *Prius apud se ipsi consentiant, & ita fiet, ut à nobis nulla ex parte dissentiant.* Sic etiam dixit Tertulian lib. de præscriptionibus hæreticorum: *dum sibi adversantur, fidem nostram confirmant.* Plura habet Irenæus libro primo, capite quinto, & vigesimo primo: & Cyprianus lib. 4. Epist. 2. Ambrosius 5. de fide, cap. 4. & videri potest Epistola Agathonis Papæ in 6. Synodo Action. 4. & Tarasii in 7. Synodo, Action. 1. refert etiam Sozomenus lib. 9. Histor. cap 5. multos hæreticos propter hanc varietatem, & inconstantiam doctrinæ, ad fidem Catholicam rediisse. Ratio autem hujus inconstantiæ est, quia hæresis non fundatur in Spiritu DEI, sed in proprio judicio, & ideò, sicut inter Philosophos invenitur hæc divisio sectarum, & opinionum, ita etiam inter hæreticos: de quo videri potest Augus. sermone 11. de verbis Apostoli, & 18. de Civit. cap. 41. & Niceph. lib. 4. Histor. cap. 29.

Hæreticæ doctrinæ vitia, è contra recensentur.

1. vitium Contradictio.

2. Inconstantia.

3. Divisio in plures.

XIII. Hinc etiam notant Patres aliud signum hæreticæ doctrinæ, quod est mutilare Scripturam, & eam proprio arbitrio interpretari, vel potiùs corrumpere, quoties enim ita urgentur aliquo testimonio Scripturæ, ut illi respondere non possint, magnâ facili-

4. Depravatio script.

facilitate negant librum illum esse canonicum, sicut modo hæretici negant libros Machabæorum 1. & 2. esse canonicos, quia ex illis manifestè probatur Purgatorium, & alii negant Epist. Jacobi, quia ex illa convincitur necessitas operum: atque ita fit ut proprio arbitrio, conjecturâ, vel affectu admittant, vel negent libros canonicos, per quod destruitur tota certitudo, & constantia fidei, de quo videri potest Irenæ. lib. 1. c. 29. & lib. 3. c. 20. & 22. Aliquando verò, & sæpius evertunt Scripturas, per falsas interpretationes, ut figuratè intelligendo, quæ in proprio sensu ab Ecclesia & Patribus intellecta sunt, sicut fecit Calvinus in verbis consecrationis. Unde rectè dixit Iren. 5. *Coguntur multa malè interpretari, quia unum nolunt benè intelligere*: de quo etiam August. libr. de utilitate credendi cap. 3. & 28. cont. Faust. cap. 22. & Epiphan. Hæres. 44. Tandem adnotari doctrinam Christi fieri maximè credibilem, ex efficacia ejus ad convertendas animas: contrarium ergò notant SS. Patres, & Catholici Doctores in doctrinis hæreticorum: nam ordinariè non convertunt animas ad Christum: neque hoc intendunt, sed pervertunt credentes in Christum: & hoc maximè procurant. Ratio autem est, quia non habent verbum DEI potens, & efficax ad convertendas animas: sed habent verbum merè humanum: quod est aptum ad pervertendum, quia ordinariè docent ea, quæ placent sensui, & affectui humano, de quo videri potest, Gregor. 8 mor. cap. 2.

Inefficacia ad convertẽdas animas.

Progreditur 3. cõparatio

XIV. Secundum caput credibilitatis erat *Authoritas testificantium, & prædicantium doctrinam*; hæc autem maximè deficit in doctrinis hæreticorum, quod maximè notârunt Patres: quia author hæresis ordinariè esse solet vitiis deditus, & ideò fide indignus: maximè autem duci solent spiritu superbiæ: unde August. lib. de Pastoribus cap. 8. *Una* inquit *superbia omnes illos genuit*: sæpe etiam ducuntur avaritiâ, ut de Simone Mago legimus Act. 8. & Cyprian. notat. lib. 1. Epist. 4. & videri potest. libr. 4. Epist. 9. & Epiphan. hæres. 25. aliquando verò concupiscentiâ, & voluptate ducuntur, ut notat. Hieronym. Epist. ad Cresiphontem, & Vincent. Lirinensis contra prophanas vocum novitates: quæ omnia, & alia plura complectitur Paul. 2. ad Timoth. 3. dicens de hæreticis. *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, & intra corrupti men-*

mente, & reprobi in fide. Similia habet Epist. 1. c. 4. quæ loca ponderat Cyprianus dicta Epistola 4. libr. & Epist. etiam 6. & videri etiam potest, Gregor. lib. 3. moral. cap. 17. His accedit quòd regulariter initium hæresis sumitur ex aliqua humana occasione, ut ex indignatione aliqua propter dignitatem non obtentam, vel aliquid simile, quod in antiquis hæreticis, notat. Euseb. lib. 7. Histor. cap. 33. & Nicephor. lib. 4. cap. 4. 7. & 20. & lib. 6. cap. 3. De novis autem hæreticis, & præsertim de Luthero nota est historia, de qua videri potest Cochlæus in actis Lutheri anno 1517. & Hosius lib. 1. contra Brentium: est etiam nota & notabilis historia Henrici VIII. Regis Angliæ, & similes. Accedit denique quòd doctrina hæretica non habet majorem authoritatem à sequacibus, quàm ab authore: tum quia discipuli doctoris hæretici, nec meliores, nec doctiores esse solent Magistro; & ad minimum nullum habent indicium insignis sanctitatis, quæ in Doctoribus Ecclesiæ Catholicæ inventa est, quod maximè in hæreticis nostri temporis verum habet, quia non solùm Evangelicam perfectionem non sequuntur, verùm etiam illam condemnant, & reprobant, consilia perfectionis abnegantes: tum etiam quia doctrina hæretica dici non potest in suum testimonium habere consensum populorum; quia licet interdum plures per illam pervertantur, nihilominus ut dixi ipsi inter se non consentiunt, & præterea major pars orbis Christiani illi resistit: tum denique quia nullum habet signum supernaturalis doctrinæ, aut Divini auxilii; quia nec Prophetiam habent, nec miracula, ut jam dicam.

Ulterius progreditur 3. comparatio ex 3. motivo

XV. Tertium caput credibilitatis fidei sumebatur ex Divinis, & miraculosis operibus, quibus DEUS ipse quasi subscribit tali doctrinæ, quæ maximè necessaria sunt, quando doctrina, quæ, ut supernaturalis proponitur, incipit introduci, ut indicavit Augustinus libr. 10. de Civitate capit. 8. Doctrina autem hæretica nova est, ut dixi, & ab ipsis hæreticis, ut supernaturalis venditatur, & tamen in illius confirmationem, nullum miraculum exhibent; Signum ergò est non esse Divinam; quia ordinarius modus providentiæ Divinæ est, doctrinam suam confirmare miraculis, præsertim quando prædicari incipit: quod supra monstratum est de doctrina Ecclesiæ Catholicæ. Imò ait Au-

gust. lib.22. de Civit. cap.8. non solùm in principio Ecclesiæ, sed etiam in progressu ejus, hanc doctrinam veris miraculis confirmari, quod usque ad nostra tempora factum esse conspicimus. Et in tot historiis legimus, ut non nisi impudenter negari possit. Atque hinc factum est, ut hæretici sæpius miracula edere, vel potiùs ostentare voluerint: facile autem intellectum est illa esse falsa, & conficta, de quo aliquid videri potest in 6. Synod. Actione 15. & Epiphan. hæresi 66. & Tertull. de præscript. hæreti. Et de novis hæreticis alia referunt Alan. in Dialog.6. cap.29.30.&31. & Bellarmin. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap.14. ubi specialiter de Calvino refert, voluisse fingere resurrectionem mortui & vivum occidisse. Igitur conferendo omnia indicia veritatis, & signa credibilitatis, in utraque doctrina: non solùm est evidens Romanam fidem esse credibiliorem, sed etiam solam illam esse credibilem. *Hactenus doctissimus Suarez.*

Comparatio Credibilitatis Fidei Christianæ ad Sectam Antichristi.

SI ullo tempore, tum sub adventum Antichristi indigebunt fideles Christi Motivis, quibus convicti cernant se obligatos esse, ad fortiter perseverandum in doctrina Christi, & impium dogma Antichristi execrandum. Etenim sicut Christus prædicit: *Erit* *Matth. 24.* *tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modò, neq; fiet; & nisi breviati essent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi.* Et paulò infra: *Surgent Pseudo-Christi, & Pseudo-Prophetæ; & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam Electi.* Unde Spiritus S. circumstantias & eventus futuros illius temporis Antichristiani in sacris scripturis insinuavit, quatenus ut *Suarez* ait: *Falsus Christus à vero, &* *Suarez in 3. p. D. Thom. T. 2. q. 59. sect. 4.* *similiter falsa signa à veris miraculis discerni possint*: ut notavit Athanasius q.29. ad Antioch: & Cyrill: Jerosolym: Matth. 24. Et hinc oritur.

Primum Motivum generale includens alia. Quia fideles Christi videntes aliqua in scripturis prædicta de Antichristo incipere compleri, prudenter supponere debent & reliqua de ipso verifican-

rificanda: non est enim ratio cur alia de ipso verificentur, alia non sint verificabilia. Cùm utraque à summa veritate & scientia DEI sint prævisa & prædicta; & nihil adhuc supponitur esse probatū in contrarium. Vel, dum conabitur probare contrarium, scilicet negando hæc de se esse vaticinata, sed se esse verum Messiam, aut DEUM; hoc ipso affirmabit de se esse vaticinata: quia nunc vaticinium est, illum ad credendum se esse Christum, & DEUM, talibus & talibus mediis usurum, v. g. gravissimâ persecutione. Ergo visis aliquibus de ipso compleri, certum erit & cætera prædicta de ipso, fore complenda.

Secundum Motivum est. Quia non modò iis qualitatibus carebit doctrina ejus, quas habet doctrina fidei Christianæ, nempe *Veritatem, Sanctitatem, Efficaciam*, ut supra vidimus de motivis externis credibilitatis: verùm etiam omnia contraria scilicet *Falsitatem, Impuritatem, Inefficaciam habebit.* Quoad *Falsitatem* quidem; Antichristus enim est docturus (ut ex *Suarez* colligitur) imo Dominum nostrum JESUM Christum non fuisse verum Messiam, sed se esse talem in lege & Prophetis promissum, juxta quod Christum ad Judæos dixisse Patres intelligunt illis verbis: *Si* (id est *cùm* vel *quando* juxta intelligentiam Patrum) *alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Sed hæc falsitas quàm manifesta sit; colligere licet ex dictis supra *de comparatione Fidei Christianæ ad Judaismum.* Nunc verò addo illustriores Prophetias quibus apertè probatur Dominus noster JESUS esse verè Christus.

Suarez in 3. D. Thom. 1 2. q. 59 sect. 4.

Joann. 5.

1ma Prophetia seu Testimonium *est.* Jacob benedicens filios suos, ad Judam inquit: *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium.* Supra quod *Suarez* varias referens S.S. Patrum, & Rabinorum opiniones, ex illis tale lumen expositionis affert dicens: Illud imprimis simpliciter verius existimo, nomine Judæ intelligendum esse specialem Tribum, & intentionem Jacob fuisse prædicere ex illa non defuturos principes, aut duces populi Judaici. *Et paulò infra:* Ut omittam tempus illud, quo post hanc prædictionem Jacob, populus Judæorum in Ægypto permansit, de quo neque in scriptura sacra, neque in prophana historia aliquid scriptum reperio,

Gen. 49.

Suarez in 3. D. Thom. T. 1. Disp 1. Sect. 1.

 statim

"statim ac populus discessit ab Ægypto, cœpit illa tribus cæteris an-
"teferri. Numerorum enim 2. & 7. prima acies ad orientem tri-
"bui Judæ cum copiis suis tribuitur; & cap. 9. prima omnium
"castra movebat, & quasi agmen ducebat. Deinde numeror. 7.
"convenientibus principibus tribuum ad offerenda munera,
"prius offert Naason princeps Judæ. Judicum etiam 1.
"jussu DEI suprema potestas ad hanc tribum delata est post
"Josue mortem. Et quandocunque genealogiæ tribuum re-
"feruntur, semper prima refertur Judæ posteritas. 1. Paralipome: 2.
"& sæpe aliàs. Unde etiam facilè credibile fit, in illo Concilio 70.
"virorum primarios judices fuisse de tribu Juda, quod præsertim
"ac necessariò dicendum est de eo tempore, quo regnum Judæo-
"rum ferè ad tribum Juda redactum est. Unde fit, hanc saltem di-
"gnitatem usque ad Christi adventum in ea perseverâsse. *Et Cor-*
Cornel. à Lapide Comm. in Gen. cap. 49. *nelius à Lapide* sic commentatur inquiens: Dico tribui Juda hìc consignari regnum & principatum, eamq; defacto illũ obtinuisse usque ad Messiam, puta Christum, duplici ratione ac titulo. Primò, quia sola tribus Juda obtinuit regnum à Daniele usque ad Sedechiam per annos 470. idque in magna gloria, opibus, & fortitudine, usque ad captivitatem Babylonicam. Rursum, quia sola tribus Juda rediit ex hac captivitate, cum paucis aliis oriundis ex tribu Benjamin, Levi, & aliis tribubus. Hinc tota deinceps gens Judæorum, nomen à Juda accepit, omnesque licet ex aliis tribubus descendentes, censebantur esse tribus Juda; quia cum Juda erant commisti, atque in tribum & Rempubl. Juda erant insiti & cooptati. Hoc ergò modo, & hac ratione Machabæi, licet essent Levitæ, censentur tamen tribus Juda; quia in tribum Juda cooptati, & à tribu Juda electi, in eadem regnârunt, atque hoc sensu verum est, tribum Juda hìc includere quoslibet de aliis tribubus, tribui Juda insitos & commistos, solosque excludere alienigenas, puta gentiles. *Et infra, idem citatus author ait in hunc sensum:* Secundò, sensus hujus loci est, q. d. Regnum Judæorum, ex quo semel ex tribu Juda Reges habere cœperit, nunquam decidet in potestatem Regum, qui non sunt Judæi; sed tribus Juda semper retinebit suum jus & coronam Regni, ad creandum sibi Reges vel duces, etiamsi ex alia tribu, uti elegit sibi in duces Ma-

chabæos ex tribu Levi, ob illorum zelum & fortitudinem, (ſicut v. g. Regnum Poloniæ tamdiu manet, quàmdiu corona & jus eligendi Regem ac gubernandi apud Polonos manet, etiamſi externus liberè electus regnet; deficeret verò corona & ſceptrum Poloniæ, ſi eam Turca, quod DEUS avertat, per vim ſubigeret, ſeque per Tyrannidem Regem Poloniæ conſtitueret) quousque promiſſus Meſſias adveniat. Id ita re ipsâ eveniſſe conſtat: defecit enim Sceptrum de Juda tempore Auguſti Cæſaris, tunc enim Senatus Romanus, ipſeque Cæſar regnum Judæorum ademit Hyrcano, & Antigono Ariſtobuli filio, qui ejus legitimi erant heredes, utpotè prognati ex Machabæis, ſive Aſamonæis, illudque contra populi voluntatem per vim tranſtulit in alienigenam, puta in Herodem Aſcalonitam, quem creavit Regem Judæorum: atque tunc natus eſt Chriſtus, puta anno Herodis 35. qui fuit ab hac prophetia 2695. nam Jacob hæc dixit anno ætatis 147. quo & mortuus eſt, qui fuit annus mundi 1255. Chriſtus autem natus eſt anno mundi 3950. Ergò à morte Jacobi usque ad ortum Chriſti fluxerunt Anni 2695. *Hactenus ex Cornelio.*

Suarez verò inquit: Principatus Judæorum in Chriſti adventu omninò ceſſavit: non ſolùm quia Rex alienigena Herodes tunc regnare cœpit in populo Judaico; & quia Concilium Sanhedrin, ſuâ poteſtate privatum eſt, & ab altero Herode, cujus tempore mortuus eſt Chriſtus, penitus extinctum; Sed etiam, quia paulòpoſt in everſione & captivitate Jeruſalem à Romanis facta, totus ille populus ferè deletus eſt, & diſtinctio tribuum ita confuſa, ut nulla dignitas aut prærogativa tribûs Judæ jam cerni aut fingi poſſet. Omnino ergo vanum & ineptum eſt adhuc ex illa tribu Meſſiam expectare. *Hæc Suarez.* *Suarez in 3. p. D.Thom. Diſp. 1. Sect. 1.*

2dum Teſtimonium, ſicut clarisſimum, ita & vulgatisſimum ad convincendos Judæos eſt, quod ex Daniel. 9. ſumitur, ubi ortus Meſſiæ poſt ſeptuaginta hebdomadas futurus prædicitur his verbis. *Animadverte ſermonem, & intellige viſionem, 70. hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam: ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia: & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte; Ab exitu ſermonis,* *Daniel. 9.*

ut

ut iterum ædificetur Jerusalem usq; ad Christum ducem hebdomades 7. & hebdomades 62. erunt. Et rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades 62. occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est; Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus, cum duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, & in dimidio hebdomadis deficiet Hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Cujus textûs explicandi gratiâ varias opiniones & intricatas difficultates referens, & aliquas resolvens *Suarez*, ad hanc sententiam inclinat in explicanda duratione hebdomadarum dicens Alii inchoando hebdomadas ab Artaxerxe, illarum finem differunt, usq; ad Titum, & Vespasianum; & ut meliùs quadret annorum numerus, dicunt non esse necessarium sumere initium ab ipso vigesimo anno Artaxerxis, quando primò exiit sermo de ædificanda civitate Jerusalem; sed ab eo tempore, quo perfecta fuit ædificatio, tunc enim dicitur etiam propriè sermo aliquis habere exitum, quando opere completus est: ille autem annus fuit 30. vel 32. ejusdem Artaxerxis, ut sumitur ex Neemiæ. 13. Quam sententiam videtur multùm insinuare Chrysost. Oratione 2. contra Judæos quæ ita potest breviter ex dictis explicare juxta Olympiades Eusebii, adjuncto citato loco ex 1. libr. Machabæ: cap ultimo. Nam juxta Eusebium à 32 anno Artaxerxis Longimani usque ad Alexandrum fluxerunt centum tres anni: Alexander verò regnavit 6. aut 9. annis, qui Monarchiæ Græcorum initium dedit, à quo, ita intelligendo citatum locum ex 1. Machabæo usque ad Hircanum fuerunt 177. anni: deinde ab Hircano usque ad finem ducentesimæ secundæ Olympiadis, in qua passus est Christus, fuerunt centum sexaginta anni, qui omnes efficiunt quadringentos quadraginta annos, ex quibus sexaginta tres hebdomadæ conficiuntur. Et ita juxta hanc computationem mors Christi accidit in hebdomada 63. Ita enim explicari potest verbum illud: *Et post 62. hebdomades occidetur Christus.* Deinde verò transactis aliis 6. hebdomadibus, id est post 42. annos dissipatum est sanctuarium, & civitas desolata ab exercitu, & duce Romano; & ita in initio septuagesimæ hebdomadæ completa est tota prophetia, ut hac etiam

Suarez in 3. p. D. Thomæ Disp. 1. Sect. 2.

etiam ratione posſint dici abbreviatæ ſeptuaginta hebdomadæ. Quæ expoſitio non eſt improbabilis, quanquam ſuis difficultatibus non caret; non enim facilè accomodatur textui, & vix evitare poteſt quin una redundet hebdomada. Utcunque tamen ſit, in re tam difficili ſatis fuerit dubitâſſe: nam quod ad noſtram fidem attinet ſatis exploratum eſt, tempus hebdomadarum effluxiſſe, atque adeò Danielis prophetiam impletam eſſe, quanquam propter humanæ hiſtoriæ incertitudinem, initium, & finem earum exactè explicare non poſſimus. *Hactenus Suarez.*

3tium Teſtimonium multiplex. Hinc *Suarez* ait: Quoniam in- *Suarez in 3.p.*
finitum eſſet ſingula Prophetarum teſtimonia perſcrutari, unum *D.Thom.Tom.*
ac breve argumentum ex cæteris colligam, quod indicat Chriſtus *1.Diſp.1.Sect.4.*
Matth. 11. quando nunciis à Joann. Baptiſt. miſſis, ut ipſum interrogarent. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Reſpondit: *Cæci vident, claudi ambulant:* ac ſi apertè diceret; Ut me eſſe Meſſiam promiſſum cognoſcatis, in me & per me impleta eſſe, quæ de Meſſia prædicta ſunt, conſiderate. Prædictum enim erat, Ortum Meſſiæ futurum eſſe ex Virgine Iſai. 7. Et tali loco ſcilicet, Bethlehem, Mich. 5. Et eo tempore quo pax eſſet in univerſo orbe, Iſai. 2. Mich. 4. Zach. 9. Rurſus prænunciatus eſt Johan. Baptiſt. præcurſor illius, Iſai. 40. Scriptum etiam erat Meſſiam prædicaturum, *pauperibus, captivis, & contritis corde*: ſuamque doctrinam magnis miraculis confirmaturũ aperiendo oculos cæcorum, &c. Iſai. 35. & 61. Prædictum præterea fuit futurum ipſum pauperem, & tanquam Regem ingreſſurum Jeruſalem ſuper aſinam, Zachar. 9. Paſſio deinde & mors ejus, & tenebræ, ſeu ſolis defectio, & alia quæ in ipſa contigerunt, ita à Prophetis ſcripra ſunt, ut retuliſſe potiùs præterita, quàm futura prænunciâſſe planè videantur: ut conſtat ex Pſal. 21. 40. 68. Iſai. 53. Jer. 11. Amos. 9. Zach. 12. & 13. & ſæpe aliàs, & Iſai. 11. *ſepulchrum ejus futurum dicitur glorioſum.* Narratur deinde deſcenſus ejus ad inferos, & libertas captivorum juſtorum, qui ibi morabantur Eccle. 24. Zach. 9. Reſurrectionem prædixit David. Pſal. 3. & 15. Aſcenſionem verò 67. *Aſcendiſti in altum* &c. Et Mich. 2. *Aſcendit pandens iter ante eos.* Inde verò Miſſurum Spiritum S. Joel. 2. ſignificatum eſt. Denique vocatio gentium & reprobatio Judæorum ſæpiùs à Prophetis dictæ ſunt. De

priori

priori enim dicitur Isai. 49. *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas: ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.* Et c. 66. *Mittam ex eis, qui salvati fuerint ad gentes in mare in Africam, & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam & Græciam, ad Insulas longè; ad eos qui non audiêrunt de me, & non viderunt gloriam meam* &c. De posteriori verò dicitur Jerem. 19. *Sic conteram populum istum* &c. Et similia sunt frequentia in scripturis: ex quibus ita concluditur argumentum. DEUS prædixit per Prophetas hæc omnia de Messia, ut per ea cognosceretur, cùm venisset: Sed hæc omnia videmus esse completa in Cnristo: Ille ergo est verus Messias, qui jam venit. *Hæc Suarez. Subsumo.* Ergo falsissima erit doctrina Antichristi, D. N. JESUM Christum, verum Messiam non fuisse.

Secunda pars doctrinæ Antichristi, quâ se esse verum Messiam insinuabit, falsitatis arguitur. *1mo*, quia adducta loca Scripturæ ac Prophetarum, & alia innumera pro assertione veri Messiæ D. N. JESU Christi, nunquam quadrabunt Antichristo: quod si aliqua sibi applicuerit, id faciet simulatè & hypocriticè. Cur enim quædam apparebunt in illo expleri, quædam non? cur in uno fideles Prophetæ inventi, in alio non? nisi blasphemaverit Spiritum Sanctum aliqua de ipso falsa prædixisse. *2do*, quia loca Scripturæ, quæ explicantur aliqua de Humanitate, aliqua de Divinitate Christi, alia de Spirituali Regno Ecclesiæ, de Felicitate sita in contemplatione ac amore DEI, quam prægustant in hac vita Sanctæ & puræ animæ, de Gloria Christi & justorum in ejus secundo adventu ad judicium, & in æterna beatitudine; Antichristus applicabit ad suam & suorum temporalem felicitatem, sitam in honore, potentia, divitiis, carnis deliciis; prout nunc Judæi defacto ita Scripturas intelligunt, & ideò Christum Dominum pro vero Messia, ore & opere docentem per ejusmodi felicitatis contemptum ad Regna cælestia debere festinare, recipere nolunt: Sed expectant Messiam prosperitate temporali summum. Misera profectò talis felicitas, quæ communis est pessimis quoque hominibus, imò & bestiis quoad brutales voluptates carnis. Quid? Monarchæ illi orbis v. gr. Assyriorum, Romanorum, &c. quantis gloriosi triumphis, quantis opibus, quan-

quantâ potentiâ floruerunt? planè ad miraculum! Quæ bona veris Christicolis prælibantibus delicias Divinitatis, prorsus horror, fœtor, & sterquilinium sunt. Falsum ergo asseret Antichristus, & nunc Judæi asserunt, promittere DEUM per SS. Prophetas, Messiam & suos Servos bonis terrenis, quæ in se sunt vana, fallacia, corruptibilia, amaritudine mista, &c. abundantes futuros.

Tertiò dicendum est, Antichristum docturum, ac persvasurum hominibus; ut credant nullum esse verum DEUM præter seipsum: verisimile autem est, non esse hoc docturum, donec rerum omnium potiatur. Prior pars probatur ex Paulo 2. ad Thessal.2. *Extollitur supra omne quod dicitur DEUS, aut quod colitur, ita ut in templo DEI sedeat, ostendens se, tanquam sit DEUS.* Et apud Daniel. dicitur cap. 11. *Elevabitur, & magnificabitur adversus omnem DEum, & adversus DEum Deorum loquetur magnifica, & DEum Patrum suorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit, quia adversum universa consurget.* Verùm hæc Luciperianæ ambitionis imitatio, doctrina, & svadela, quàm sit futura impudentissima in Antichristo fallacia, facilè quisque pernoscet, qui aliquam veri & summi DEI cognitionem habuerit, & inter DEum ac Antichristum aliqualem comparationem fecerit. Vide *infra* fusè dicta de DEO, & ejus infinitis perfectionibus. Nec novum id, ut corruptibilis homo præsumat tantam audaciam comparandi se DEO, vel credendi se esse DEum, vel sentiendi paria DEO. Id fecêre illi potentiâ, opibus, & gloriâ inflati; Nabuchodonosor Monarcha Assyriorum, Alexander Magnus, Antiochus, Herodes, Reges, & aliqui Romani Imperatores: quorum memoria periit cum sonitu, cadavera vermibus consumpta, & in fœtorem horrorem, ac cinerem redacta, animæ verò æternis gehennæ ignibus cremantur. Dominus autem DEUS noster, ipse solus verus DEUS manet in æternum.

p.3. tract. ultimo.

Altera conditio veræ ac Divinæ doctrinæ est *Sanctitas & Puritas* (ut supra visum §.2. de motivo interno credibilit.) quâ conditione quantùm emineat doctrina S Evangelii, & Sanctorum Apostolorum, tum illa explicata à SS. Patribus & Doctoribus Ecclesiæ, impossibile est effari: cùm illa sit quæ sui sequaces homines planè Divinos & Angelos terrestres efficiat: sufficiatq;

vel sola inexplicabilis Sanctitas doctrinæ hujus pro motivo potentissimo ad amplectandam fidem Christi, pro eaque mille mortes obeundum. Jam verò doctrina Antichristi præcipua erit in observantia rituum legis Moysaicæ. Unde *S. Gregorius* eos, qui docent legis ceremonias esse observandas, Antichristi prædicatores vocat. *Nam ille*, inquit, *judaizare populum compellet, ut exteriorem ritum legis revocet, & sibi judæorum perfidiam subdat.* Similia sentiunt alii SS. Patres citati à Suarez in 3. D. Thom. tom. 3. q. 59. sect. 4. Porrò hæc observantia ceremonialis rituum legis, cùm sit externa, corporalisque Sanctitas, tantùm differt ab interna & vera Sanctitate Evangelii, quantùm stellula à sole meridiano, dum lucet in virtute sua. Vel, si forsitan quæpiam Antichristus docebit moralia, hæc omnia, sicut & alia legis Moysaicæ, & antiquorum Philosophorum scita & placita in genere moris, in altissimis gradibus perfectionis copiosissimè in doctrina Christianæ fidei continentur, imò plura alia, quæ sunt supra capacitatem rationis naturalis. Simulatè autem cuncta faciet Antichristus, ut miscendo vera falsis, impia moribus probis, sicut nunc hæretici faciunt, incautos seducat, populumque in subjectione detineat more Pseudo-Politicorum, qui dicunt intantùm expedire populum observantiâ probitatis imbuere, inquantùm hæc fuerit necessaria ad quietum regimen politicum, quod aliás pravitate morum dissipatur. Cæterùm Antichristus loquetur placentia, & quæ superbiam, avaritiam, libertatem carnis sapiunt: in his enim juxta *Apostolum* Christi, nempe in concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, seu in deliciis, divitiis, honoribus tota mundi felicitas sita: quam Judæi sperant à suo Messia, illamque offeret Antichristus; tum quoque ut ita sibi ampliùs devinciat plures populos, sicut nunc facit impia & carnalis Mahometi secta, prout & moderni temporis hæreses, Lutherana, Mennonistica, &c. ad quos, omnes feces Catholicorum refugiunt, qui in Ecclesia Christi rigorem Sanctitatis, & puritatis, non perferunt. Deinde comparando Sanctitatem vitæ Christi cum hypocrisi & impietate Antichristi. Ille enim priùs exemplo quàm verbo docuit: potens opere & sermone coram DEO, ac omni populo, planè Sanctus Sanctorum, cujus vitæ perfectio altissima, subinde

1. *Joan.* 2.

spectan-

ſpectanda proponitur per exempla hoc in Opere, ſub virtutibus adumbrata. Illius quoque imitatores Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, quàm eximiâ inſignes claruerunt Sanctitate! Legere eſt vitas eorum omni fide dignisſimas. At Antichriſtus, quamvis juxta Cyrillum, *primùm quidem tanquam prudens aliquis, & intelligens, temperantiam atque humanitatem ſimulabit*, ut ſic faciliùs decipiat, erit tamen revera omnium hominum perverſisſimus. Quòd apud Danielem de illo prædicitur: *Cum creverint iniquitates, conſurget rex impudens facie, &c. & ſupra quàm credi poteſt univerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet, & interficiet robuſtos, & populum Sanctorum ſecundùm voluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu ejus, &c. contra Principem Principum conſurget.* Item: *Et erit in concupiſcentiis foeminarum, &c. adversùm univerſa conſurget.* Item: *Sermones contra Excelſum loquetur, & putabit, quòd posſit mutare tempora, & leges.* Et ab Apoſtolo Antichriſtus vocatur *Homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur DEus aut quod colitur, ita ut in templo DEI ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit DEus, &c. Ille iniquus, &c. cujus adventus ſecundùm operationem ſathanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt.* Quàm immenſa hìc diſtantia à Chriſti humilitate, manſuetudine, puritate, veritate, omnique alia virtute! Porrò Antichriſti Pſeudo-Prophetæ venientes in veſtimentis ovium facilè deprehendentur eſſe lupi rapaces ex fructibus eorum; poſtquam oblatâ proſperitate boni temporalis, eam amplexi fuerint, in eaque ſe extulerint; in adverſitate verò dum fuerint immites, impatientes, immiſericordes, &c.

Cyrill. Jeroſolym. Ca. 15.

Daniel. 8.

Ibidem 11.

Ibidem 7.

2. Theſſal. 2.

Quod concernit tertiam conditionem ſcilicet *Efficaciam doctrinæ Chriſti*; hæc prorſus quoad modum eſt ſtupenda, *ut ſupra in motivis externis credibil.* viſum eſt. Quia ſcilicet Chriſti Diſcipuli, homines ſimplices, inermes, pauperes, mundo tunc in ſapientia ſua verſutisſimo, ſupra captum rationis humanæ Myſteria fidei, tum contraria quæque ſenſui & carni, in virtute Divina brevi perſvaſerunt, adeò potentèr, ut multa centena millia pro hac fide crudelisſimas mortes ultrò oppetierint. Horum omnia contraria in prædicatione Antichriſti evenient: Siquidem ſurgent multi Pſeudo-Prophetæ, aſtutiâ & diabolicis artibus pleni, in perſuaſibilibus

bilibus humanæ sapientiæ verbis potentes, munerum largitione, & promisſis realiter præſtandis blandientes: minis & pœnis terrentes, fallent, allicient, cogent ad ſuſcipiendam Sectam Antichriſti, habentem nil admirandum, nil ſupra rationem, ſed omnia corporalia, ſenſibilia, carni delectabilia; ad quæ illo corruptisſimo ſeculo ultrò propendent homines. Etenim quoad eloquentiam & perſuaſionem, in hac Antichriſtus à dæmone excellenter inſtruetur: imò S. Anſelmus ait: *Quòd erit ſapientiâ & eloquentiâ incredibili, & omnes artes & ſcripturam memoriter ſciet.* Divitias quibus corrumpentur ſectarii Antichriſti, certum

Daniel. 11. eſt illas fore immenſas: ſiquidem dicitur apud Daniel: *Dominabitur theſaurorum auri & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti.* Unde

Anſel. in Elucidor. Anſelmus ait: *Quòd induſtria dæmonum, omnis pecunia occulta, erit ei manifeſta*: ſive ſit in mari, ſive in reconditis terræ finibus. Imò fortaſſe etiam mineralia auri & argenti virtute dæmonum elaborata, omnia illi offerentur, & uſui erunt ad imperium obtinendum. Magnitudo verò perſecutionis ſub Antichriſto prædici-

Matth. 24. tur Matth. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi,*

Daniel. 7. *usq; modo, neq; fiet.* Et de hac tribulatione dicitur apud Dani: *Et ecce cornu illud faciebat bellum adverſus Sanctos, & prævalebat eis.* Et infra: *Sanctos Altiſſimi conteret: & putabit, quòd poſſit mutare tempora & leges, & tradentur in manu ejus usq; ad tempus, & tempora, & dimidium tem-*

V. Suarez. in 3. p. D. Thom. 2. q. 59. ſect. 6. *poris.* Idem colligitur ex cap. 8. & 11. & 12. quorum verba omitto ad prolixitatem vitandam, licèt gravisſima ſint. Porrò hæc perſecutio erit acerbisſima. Tum, quia erit magìs ſpiritualis in perditionem animæ, quàm temporalis in jactura bonorum. Tum, quia cogentur abnegare Chriſtum, & DEUM, ac omnem ejus cultum deſerere, ac iniquisſimum hominem pro DEO colere. Tum, quia protunc ſolvetur diabolus, id eſt, amplior ipſi poteſtas permittetur affligendi & cruciandi Electos per Tyrannos & aſſeclas Antichriſti: unde Cyrillus & Hyppoli: dicunt *Eo tempore futuros eſſe Martyres illuſtriores.*

Et hæc de ſecundo Motivo comparationis *veritatis, ſanctitatis, & efficaciæ doctrinæ Chriſti; ad falſitatem, impietatem, inefficaciam doctrinæ Antichriſti* dicta ſufficiant.

Tertium Motivum ex multitudine & authoritate Teſtium; qui

qui non tam comprobabunt sectam Antichristi (sicut approbârunt & approbant D. N. JESUM Christum, & ejus doctrinam, ut supra visum est. §. 2. Motiv. Credibil. & hic in 2. Motivo) quàm ut reprobârant jam, & nunc reprobant; ac tunc reprobabunt: sicut ex comparatione Christi ad Antichristum per supra citata, & citanda, ac alia plurima loca in sacris Scripturis, SS. Patribus & Doctoribus Ecclesiæ manifestè patet. Et maximè, quis martyrio, quis incredibili vitæ asperitate testificabitur veritatem doctrinæ Antichristi? quemadmodum testati sunt fidem Christi tot milliones Martyrum, Confessorum, Virginum (de quibus infra sub martyrio & sub singulis penè virtutibus posita Sanctorum exempla) imò multi gloriosissimi Martyres per crudelissima tormenta ac mortes testificabuntur falsitatem & impietatem sectæ Antichristi, illos in suas partes & blanditiis & terroribus cogentis.

Quartum Motivum. Falsitas miraculorum, quæ faciet Antichristus & ejus Pseudo-Prophetæ. De quibus hæc accipe ex Suario: Paulus ad Thessalon. ait: *Cujus est adventus secundùm operationem sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.* Nam sicut Christus miracula edidit in confirmationem veritatis: ita ipse faciet signa mendacia in confirmationem falsitatis, ut ibi notant Chrysost. & Ambros. Tamen sicut Christus illa faciebat virtute DEI, qui est prima Veritas: ita ipse faciet virtute sathanæ, qui est pater mendacii: & ideò non faciet vera miracula, sicut CHRISTUS, sed falsa. Quia, vel res, quæ apparebunt, non erunt veræ, sed phantasticæ, ut si videatur suscitare mortuum: aut verè non erat priùs mortuus; aut postea non verè vivet, ut notavit Athanasius q. 3. in Antiochum; aut si interdum fuerint res veræ, quæ apparebunt, non erunt tales, quæ modo miraculoso fiant: sed per applicationem occultam naturalium causarum.

Suarez in 3. p. D. Thom. Tom. 2. Disp. 54. qu. 59. A. 6. Sect. 4.

Quod si inquiras, quæ sint futura hujusmodi signa & miracula? Respond. verisimilè esse futura similia iis, quæ Christus Dominus operatus est, vel quæ Judæi ab ipso petierunt, ut notant Hippolitus dicto libro de consummatione mundi, & Lactantius lib. 7. cap. 17. qui multa signa in particulari enumerant, quæ

solùm hâc conjecturâ ducti recensere potuerunt. Nam sicut Magi Ægyptii pugnabant contra Moysen similia signa facientes, ita verisimile est, pugnaturum Antichristum contra Christum. Cujus rei vestigium habemus Apoc. 12. ubi de Antichristo dicitur. *Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis ejus curata est.* Cujus communis expositio est, quòd finget se mori & resurgere, ut ibi ferè Antiqui omnes exponunt, & sentit Gregorius lib. 11. Epist. cap. 3. Alius verò sensus, & fortasse magis consentaneus literæ est, quòd aliquis ex præcipuis Sectatoribus Antichristi, seu Regibus illi subditis lethali vulnere percutietur, & virtute dæmonis ab Antichristo sanabitur. In utroque autem sensu opus apparebit miraculosum, & stupendum. Unde subditur: *Et admirata est universa terra post bestiam, & adoraverunt bestiam dicentes. Quis similis bestiæ?* Postea verò subjungitur aliud signum. *Fecit signa magna, ut etiam ignem faceret descendere è cælo in terram in conspectu hominum.* Sed est advertendum, hoc posterius signum non attribui in eo cap. eidem bestiæ, sed alteri, & quanquam Rupertus velit per utramque bestiam significare eundem Antichristum: verisimilius tamen est (quòd Ansel. Rich. ibi, & Iren. lib. 5. c. 28. dicunt) duas illas bestias significare diversas personas, & posteriorem esse ministrum aliquem Antichristi, & prædicatorem ejus ac Pseudo-Prophetam illum, de quo fit mentio in eodem lib. Apocal cap. 19. de quo etiam ibidem dicitur; *Fecit terram & habitantes in ea adorare bestiam primam*, id est Antichristum; & postea subditur, hanc posteriorem bestiam erexisse imaginem, seu effigiem Antichristi, & coegisse homines, ut eam adorarent, & ad hoc aliud etiam signum effecisse, scilicet ut imago bestiæ loqueretur. Unde conjicimus Antichristum non solùm per seipsum, sed etiam per alios effecturum signa ad suam doctrinam suadendam. Et propterea fortasse in plurali dixit Christus Matth. 24. *Dabunt signa & prodigia magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et ideò erit illa tentatio omnium gravissima propter multitudinē & magnitudinem signorum, ut notavit Greg. 32. Moral. cap. 12. & lib. 33. c. 20. & 21 & Isid. lib. 1. de Summo Bono c. 28. *Nam olim* (inquit) *faciebant miracula Martyres, tunc autem videbuntur facere ipsi persequutores*, Hactenus Suarez.

Porrò,

Porrò indicia discernendi vera miracula à falsis habes *supra.sub § 2. de extern: Motiv: Credibilit:* ubi simul pro confirmatione fidei nostræ agnosces veritatem, magnitudinem, multitudinem miraculorum, quæ (DEO sint laudes) ab ipso Christo per tot secula usque in hodiernum diem, pro gloria DEI, Christi, Deiparæ, & Sanctorum, in robur sanctæ fidei, & pro consolatione fidelium, in Ecclesia Christi patrantur.

Quintum Motivum. Quia ea quæ pro Antichristo oculis carnalibus videbuntur militare, oculis spiritualibus puris & sanctis contra Antichristum servire apparebunt. Homo animalis qualem DEUM sibi formaret, nonne instar idoli, vel cujuspiam personæ magnæ, pulchræ, potentis, &c? Hujusmodi Deos æstimavit & coluit superstitiosa antiquitas. Beatitudinem veram qualem imaginaretur, nisi potissimùm quæ esset de Baccho & Venere? Epicurei fuêre tales, & nunc sunt Mahometani, & Pseudo-Christiani: Ergo & tunc Antichristus, quia apparebit oculis hominum in summa gloria, potentia, opulentia, felicitate terrena; apparebit reprobis tanquam aliquid supra humanum seu quid Divinum, cælique beatitudinem cum ipso esse delapsam in terram. Sed oculi Electorum perspicaciores in notitia veri DEI, ejus gloriæ, ac veræ beatitudinis, facilè conjicient Antichristum non esse DEUM, ejusque gloriam esse vanam; cùm spiritus hominis, tanquam omni creaturâ visibili & sensibili nobilior, eam despiciens, feratur in sibi proportionatum objectum, illudque immensum, qualis est DEUS, Ens spirituale, Summum, Verum, & Bonum. Hinc DEUS Homo conqueritur, quòd ipse *Lux vera venerit in mundum*; & tamen *homines magìs dilexerint tenebras quàm lucem*, Rationem dat; *quia mala erant eorum opera.* Quòd maximè complebitur in adventu Antichristi, quem Tenebrionem citiùs suscipient, quàm unquam veram Lucem Christum, propter summam cœcitatem, ob peccata ipsorum. Deinde in Sanctis Scripturis, etsi summa potestas & gloria prædicetur Antichristi, tamen ipse vili admodum titulo prostituitur, titulo nimirum bestiæ, vel cornû bestiæ. Ita Danielis cap. 7. & 8. & 11. & Apocal: dicitur. *Et est datum illi bestiæ bellum facere cum sanctis, & vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & lingvam, & gentem,*

Joann. 3.

&

& adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ. Ecce oculis reproborum Antichristus ob amplitudinem imperii magnus majestate, & ob eandem dignitatem Sanctis apparet grandis bestia, cujus *cornu* (seu potestas) *factum*
Dan. 8. *est grande contra meridiem, & contra orientem, & contra fortitudinem.*

His igitur & similibus Motivis, ac signis, facilè erit discernere verum Solem justitiæ Christum, Filium DEI, ab Antichristo, filio sathanæ, transformato in Angelum lucis, verè dæmonio meridiano. Contra quem fortia acturi pro Domino DEO Exercituum Electi, & Dilecti DEO Animi, utinam! gloriosi triumphi vestri, palmæ, & coronæ, simus participes, in æternitate beatitudinis. *Fiat. Fiat.*

§ III.

De Motivo Interno Credibilitatis.

DIco. Id Motivum apud Theologos vocatur *Discerniculum internum*, quo discernitur credenda veritas à falsitate proposita. Seu, est *Apparentia*, quæ nihil aliud est, quàm *Apprehensio supernaturalis & singularis potenter svasiva, fundans experientiam, quâ fidelis etiam rudis & simplex in seipso experitur potestatem & obligationem credendi sine formidine rem obscuram, quam non sentit qui falsum aliquid credit.* Estque hæc apprehensio, *Illustratio specialis fidei inspirativa, & omnis formidinis expulsiva,* ut rusticus, seu quivis rudis alius minimè formidet ad articulum verum obscurè propositum, nisi ipse velit.

Hic quæst. 2. a. 9. ad 3. Probatur. D. Thomas ait: *Inducitur credens authoritate doctrinæ Divinæ miraculis confirmatæ* (en motivum seu discerniculnm exterius, quod habent doctiores) *& quod plùs est interiori instinctu Dei moventis* (ecce discerniculum interius apud omnes, ipsos quoque
Lib. 11. Confess. cap. 2. rudiores) *& ideò non leviter credit.* Et D. Augustinus repræsentans Moysen coram se prædicantem ita quærit. *Unde scirem, quòd verum diceret? Intus utique mihi, intus in domicilio cogitationis nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara veritas, sine oris & linguæ organis, sine strepitu syllabarum diceret: Verum dicit. Et ego statim certus confidenter illi homini tuo dicerem: Verum dicis.*

Suarez quoque ita inquit: Addo denique, si contingat exteriorem prædicationem Fidei, & propositionem, non esse sufficientem, ad formandum judicium, ita firmum, & evidens de credibilitate Fidei, vel absoluta, vel comparata cum alia doctrina: tunc per Divinam inspirationem, & vocationem internam, posse compleri hujusmodi credibilitatem. Ita sumo ex D. Thom. quodlib. 2. art. 6. ubi dicit quamvis ordinariè Fides fiat credibilis per miracula, & alia externa signa, nihilominus sine illis posse DEum per vocationem internam complere, juxta illud Joan. 6. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Imò potest* inquit *talis esse interna vocatio, ut teneatur homo non resistere, sed fidem adhibere;* Juxta illud Isaiæ 50. *Dominus DEus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico;* Et ad hunc modum reprehensus est Zachar. Luc. 1. eò quòd Angelo annuntianti filii conceptionem, non statim firmam Fidem adhibuerit, sed dubitârit: nam credendum est, cum illa externa locutione internam adfuisse inspirationem, quæ faceret rem sufficienter credibilem, nam de sola externa posset interdum dubitari: cùm *Angelus sathanæ transfiguret se in Angelum lucis.* Et eandem sententiam videtur mihi docere Gabr. loco citato, dum ait: In hujusmodi eventu, quando exterior doctrina veritatis non fit evidenter credibilior, quàm opposita, si homo faciat quod in se est, non defuturam inspirationem, per quam homo possit certus reddi de credibilitate veræ doctrinæ: quia Deus non deficit in necessariis, & tunc illa illuminatio interior necessaria est, & potest esse non solùm sufficiens, sed etiam efficax, ut per se notum est. *Hucusque Suarez.*

De Fide Disputat. 4. sect. 5. n. 9.

Dico secundo. *Ex Negatione illustrationis & inspirationis Divinæ discernere homo potest propositum Articulum esse falsum, qui falsus est.* Probatur: quia ex carentia talis inspirationis & si conetur rusticus credere sine formidine, experietur tamen non posse se credere sine formidine, cùm minimè in corde suo sonet vox nil mortale sonans, Unctio docens omnia. DEUS quippè nequit ad falsitatem per se movere intus credentem, alioquin esset author erroris.

Hinc Infero: *Non esse credendum illis hæreticis, qui conversi ad fidem, fatentur se ejusmodi apparentiam habuisse de falsa doctrina hæresis, prout jam habent de veris articulis in statu fidei.* Ratio est, quia vel erant

formales hæretici, vel materiales: si formales: Ergò angebantur aliquo scrupulo sive de ipsa hæresi, sive ut diligentiam adhiberent in examinanda veritate illius suæ fidei; alioquin absque peccato poterant mansisse in sua hæresi, imò contra conscientiam amplecterentur fidem Catholicam. Si verò fuerant Materiales hæretici (id est, qui carebant sufficienti advertentiâ ad obligationem de inquirenda veritate) adhuc tamen non erant absque formidine aliqua saltèm habituali vel radicali. Quia cùm doctrina hæretica sit quædam humana historia, falsò credita; ejusmodi verò historia habet in se principium formidinis: Sequitur illi credentes esse ita animo dispositos, quòd audientes talem doctrinam constantissimè ab aliis negari, incipient dubitare. Ejusmodi autem animi dispositio mutandi assensum in aliud, quod certius appareat, est formido radicalis: quâ carent veri fideles Christi.

§. IV.

De Regula Fidei.

Svarez de fide Disput. 5.

QVamvis certitudo fidei ex sola infallibili DEI authoritate essentialiter pendeat, quia tamen doctrina ejusdem fidei non immediatè à DEO ad singulos credentes descendit; ideò inter DEUM & nos, necessaria censetur aliqua via, per quam doctrina illa Ecclesiæ infallibiliter innotescat: & hæc vocatur Regula infallibilis fidei. Quæ ex parte objecti, per modum proponentis seu applicantis se tenet. De hac ergò Regula in sequentibus agemus.

Regulam fidei non esse solam S. Scripturam: Est contra omnes Dissidentes à Sancta, Catholica, Romana Ecclesia.

PRæclarum hac in materia edidit Opus R. *Pat. Joannes Franciscus Hacki, S. J.* sub titulo, *Scrutinium Veritatis fidei*, impressum Olivæ in Prussia Uno premit argumento resolutorio ad prima principia, cui omnes Hæretici, admittentes solam Sac. Scripturam esse fidei

fidei regulam, vel cedere, & victas manus dare; vel contra lumen rationis perfrictìm obsistere coguntur. Sed en partem quampiam & compendium ejusdem Operis accipe.

Nulla est in orbe ars, nulla scientia, quæ non habeat aliquam regulam, seu normam, quâ in operibus suis ars, in actibus scientia reguletur, juxta quam opus vel actionem aliquam ponat extra causas Sic Architectonicæ regula & norma est, linea, triangulus, amussis, juxta quas verbi gratiâ domum ædificat, iisque regulatur in opere suo rectè peragendo. In scientiis regulæ sunt prima principia, universalesque majores, quibus unaquæque scientia regulatur in ordine ad inferendas certas & evidentes conclusiones, seu theoricas, si scientia sit speculativa, seu practica, si sit practica; vel utrasq; si scientia sit partim speculativa, partim practica. *Scrutin. verit. fidei, p. I. differt. I.*

Nec fidei sua debet deesse regula & norma, quâ scilicet credens seu fidelis quisque, imò tota Ecclesia (quæ cætus evocatorum ex Græco definitur) in fidei articulis credendis regulatur, & quæ quodammodo applicatur ad regulata, scilicet dogmata & articulos fidei. De hac igitur in primo hoc discursu instituo scrutinium.

Inprimis itaque ex Lutheranis, ac per consequens ex Calvinistis, Socinianis, aliisque singillatim *Quæro.* Vel habent fidei suæ certam, indubitatam, irrefragabilem ac infallibilem regulam seu normam, vel non habent? Si non habent. *Ergò* nec veram, certam, indubitatam, irrefragabilem, atque infallibilem fidem habent: Siquidem regula seu norma fidei, est ejusdem fundamentum, primum velut principium, sine quo quæcunque fides, est nulla fides, aut falsa fides. Si autem habent dictam regulam; producant illam in medium.

Respondebunt. Verbum DEI scriptum seu Sac. Scripturam esse illis certam, indubitatam, irrefragabilem, atque infallibilem regulam & normam fidei, ita, ut id solum & unum sit credendum, quod in S. Scriptura legitur, illud non credendum, quod non legitur. Sed ut cætera argumenta prætercam, quæ contra adferri possent.

Quæro secundò ex Lutheranis. Hæc quam sibi adscribunt regula fidei, nimirum *Verbum DEI scriptum*, vel est illis solis serviens, illis solis appropriata cum exclusione aliarum heterodoxarum,

seu ab illis diversarum, & quas illi rejiciunt & erroris damnant, religionum; vel non est illis solis serviens & appropriata, sed etiam aliis diversis religionibus? Si ita: *Ergò* illorum fides non est sola & unica vera fides, nec sola & unica vera Christi Ecclesia, sed etiam aliæ fides præter Lutheranã erunt veræ fides & Ecclesiæ Christi: Siquidem eidem fundamento & principio nempe S. Scripturæ, tanquam fidei regulæ innituntur, estq; hæc regula illis appropriata æquè ac Lutheranis. *Ergò* ulteriùs hæ à Lutheranis diversæ fides erunt simul veræ, & falsæ: falsæ, quia eas tanquam falsas rejiciunt, erroris q; ac falsitatis damnant, anathematizant, nec ullam cum iisdem fidei communionem habent, nec habere volunt. Erunt verò simul veræ æquè atque illa; quia eandem regulam pro fidei fundamento & primo principio habent, adeoque exinde consequitur quædam nullitas illarum Religionum ex contradictionis implicantia.

Quod si verò dicant, Verbum DEI Scriptum non esse aliis Religionibus à Lutherana diversis normam & regulam fidei, sed solis illis, scilicet Lutheranis servientem & appropriatam; incumbit Lutheranis onus id probandi certo, infallibili, seu apodictico argumento: Siquidem Calvinistæ, Sociniani, Anabaptistæ, seu Mennonistæ, Quackeri, &c. quin & antiquæ Hæreses, *Verbum DEI scriptum*, pro unica fidei norma & Regula habent: ut SS. PP. testantur. Augustinus lib. 1. contra Maxim. in princip. Item lib. de Nat. & gr. c. 39. Item lib de hæresibus cap. 41. Item lib. contra Adimantum Manichæi discipulum &c. Basil. libr. de Spiritu Sancto, cap. 25. & 29. Concil. Chalcedon. Act. 1. Athan. Orat. 2. contra Arianos. Hilar. lib. 5. & 11. de Trinit. Theod. &c.

Respondebunt Lutherani. Illis solis hanc fidei regulam convenire, & nulli alteri sectæ; siquidem illi soli ex eadem veros, & eidem regulæ conformes articulos fidei de DEO, de Christo D. de Sacramentis, de fide, de operibus, deque cæteris rebus deducunt, quod alii haud faciunt.

Verùm contra est. Hoc ipsum Lutheranis probandum manet: Siquidem eodem modo & jure dicunt Calviniani pro se, Sociniani quoque, ac Anabaptistæ, & Quackeri, imò & veteres hæretici, quòd illi veros, atque eidem regulæ conformes articulos

fidei

fidei de DEO, de CHristo D. de Sacramentis, de fide, cæterisque rebus deducant, qui tamen articuli plerique toto cælo dissident ab articulis Lutheranorum ex eadem Sac. Scriptura deductis. *Igitur*

Quæro tertiò ex Lutheranis. An habeant certum & infallibile ac irrefragabile argumentum, quo demonstrent ad oculum omnibus prædictis à se dissidentibus sectis, quòd illi soli ex S. Scriptura tanquam illorum unicâ fidei regulâ suos fidei articulos rectè, & infallibiliter conformiterque ad eandem fidei regulam deducant; id verò non faciant ab illismet dissidentes sectæ? Si non habent, ergò frustra & sine ratione id asserunt; si autem habent; quod nam illud est?

Respondebunt. Quod illi soli verum S. Scripturæ sensum & interpretationem habeant, idque exinde probabunt. Quia ad Sacr. Scripturam exponendam adhibent regulas rectæ interpretationis, præcipuè collationem & parallelam unius Scripturæ loci cum alio: idque tali exemplo demonstrabunt; Verbi gratiâ docent, quòd *Coena Domini sit Sacramentum novæ legis, in quo caro Christi in pane, cum pane, sub pane sumitur:* quod ipsum probant ex Christi Domini verbis, qui de pane, quem frangebat *in ultima Coena*, & discipulis manducandum porrigebat, dixit. *Hoc est Corpus meum*: id est; hoc quod teneo & porrigo, quod est panis, est corpus meum: pro nomine *hoc* indigitante non solùm verum & reale corpus Christi, sed etiam verum simul & realem panem. Idem dicunt proportionatè de vino & Sanguine Domini. Quòd verò hic sensus & expositio, seu applicatio S. Scripturæ ad prædictum articulum impanationis corporis Christi in Cœna Domini sit vera genuina & conformis Scripturæ; probant per collationem alterius loci Scripturæ 1. Cor. 10. 16. *Panis quem frangimus, nonne communicatio est corporis Christi?* &c. En hic inquiunt, S. Paulus, panem qui frangitur etiam corporis Christi communicationem esse asserit, ideoque in Cœna Domini caro in pane, cum pane, & sub pane simul, &c.

Sed contra est. Quia idem pro se dicunt Calviniani, Sociniani, Anabaptistæ, & cæteri.

Quæro igitur ad extremum ex Lutheranis. Quo certo & infallibili argumento probabunt id, quòd illi soli optimo, alii autem nullo, vel pessimo jure usurpent sibi rectam interpretationem Scripturæ Sacræ per collationem unius loci cum alio?

Videamus enim quàm diversimode illum Sac. Scripturæ locum unaquæque religio exponat, quamvè diversos ex illa inferat articulos. Calviniani aliqui sic explicant. *Hoc est Corpus meum*: id est, *hic panis significat Corpus meum, seu est signum Corporis mei, seu est Corpus meum in signo,* Calvinus libr. 4. Instit. cap. 17. Alii, *hic panis est figura Corporis mei.* Alii, *hic panis est Sacramentum Corporis mei, quod ad dexteram Patris sedens, per fidem Spiritualiter sumo & apprehendo.* Plesseus lib. 4. de Euchar. cap. 1. Vide Bellarm. Tom. 2. de Euchar. libr. 1. c. 1. Atque ita ex hoc loco Scripturæ, ejusque tali explicatione negant *realem præsentiam Corporis Christi sub pane in Coena Domini.* Hanc verò explicationem esse veram asserunt ex simili collatione ejusdem ad Corinth. ex S. Paulo adducti loci. *Panis quem frangimus est communicatio Corporis Christi,* id est, *in signo figuraliter vel Spiritualiter,* idque insuper firmant illo 1. Cor. 10. 3. *Omnes eandem escam Spiritualem manducaverunt.* Quo igitur Argumento Lutherani Calvinistas convincent, quòd illorum tam interpretatio Scripturæ, quàm collatio unius loci cum alio sit mala, falsa, nec Scripturæ conformis, sua autem sit bona, vera, conformis.

Ibidem infra. *Deinde citatus Author similem in modum enumeratis Hussitarum, Zwinglianorum, Servetianorum, & Socinianorum, Anabaptistarum, Quackerorum, citati Loci Scripturæ in suam partem interpretationibus, & applicationibus, ulteriùs prosequitur, dicens.*

Omitto brevitatis causâ alias plurium prædictorum Domini nostri verborum expositiones, collationemque tum ex S. Pauli Epistola, tum ex aliis Scripturæ locis, quæ expositiones Sacramentariorum vel à sui exordio tam variè dissectæ fuerunt, ut in 6. aut 7. Sectas fuerint dissipatæ, teste Luthero Serm. super Sacram. Haganoæ habito Anno 1527. Imò infinitam penè hac in parte esse apud eos opinionum varietatem ajunt Bremenses Concionatores apud Westphalum Confessione de Eucharistia.

Quæro itaque ex Lutheranis. Quo argumento demonstrabunt hiscè omnibus & singulis, quòd illi malam habeant Sacræ Scriptu-

Scripturæ interpretationem & applicationem ad articulum de Cœna Domini, malamque aliorum Scripturæ Locorum collationem, jam autem ipsi soli habeant rectam & infallibilem?

Recurrent fortè ad Originarios textus fontesvè, ad radices sacrarum linguarum? at etiam ad hos Calviniani, Sociniani, cæterique refugiunt.

Provocabunt ad legitimas consequentias & illationes. Vel ad Spiritum seu in ipsis Scripturis latitantem & hærentem, seu privatum per interna uniuscujusque criteria? Et illi æquè ad hunc, atque ad illas appellabunt; quocunque sese vertant, vestigia prementes, aut etiam præcurrentes habebunt Adversarios.
Quamobrem tali ad extremum nodo & modo omnes & singulos Dissidentes constringo. Vel necesse est, ut certo & evidenti seu apodictico argumento probent, quòd S. Scriptura sit illorum v. g. Lutheranorum solùm, nec aliorum certa & infallibilis fidei regula: & hoc quidem nunquam præstabunt: quidquid enim pro se attulerint, illud etiam aliæ dissidentes ab iis sectæ in suum derivabunt usum, suique juris facient, nec certò & evidenter convinci poterunt, quòd malâ aut nullâ fide dictum jus sibi usurpent: Vel si id non possunt probare, necessariò consequitur, illas sectas quas damnant & rejiciunt, æquè esse veras, atque suam; siquidem æquali jure sua dogmata ex communi regula fidei probant, adeoque exinde sequetur quædam nullitas in fide ob manifestam implicantiam contradictionis in adjecto ut vocant: Sic etenim erunt omnes veræ Evangelicæ Christi fides, quia omnes eâdem infallibili regulâ utuntur, ex eaque sua dogmata & articulos deducunt: & nulla erit quia dum una se veros articulos fidei legitimè deducere ex illa fidei regula sibi adscribit, id altera negat, nullaque demonstrare potest infallibili argumento, quo altera non possit legitimè uti, Scripturam S. de jure suæ potiùs fidei regulam esse, sibique soli eam competere, nec ulli alteri. Qua in re quanta sit implicantia contradictionis, nemo non videt. Quod si verò hoc tantum oppositionis absurdum nolis admittere, proinde tertium ac ultimum necessarium consequens admittas, necesse est. Nimirum quòd præter Scripturam detur alia regula, activa, ut ita dicam, regulans, seu quæ applicet illam, ut ita dicam, passivam regu-

regulam S. Scripturam, ad hoc vel illud regulatum, id est fidei articulum & dogma. Ratio est. Cùm enim hæc sint correlativa, Regula, Regulans, & Regulatum, Norma, Normans, & Normatum, unumque sine altero (quæ natura correlativorum est) esse, nec concipi possit; cumque simul & semel regula & regulans, seu quæ applicetur & applicet illam, ut ita dicam, passivam regulam S. Scripturam, non possit esse S. Scriptura ipsa, & sola, ut jam demonstratum est, & insuper si quisque prudens rem penitius sincerè sine ullo fuco, aut dolo consideret, agnoscet, quòd dum omnes & singuli solam Sacr. Scripturam, fidei suæ regulam & regulantem asserunt, revera ipsimet ejusdem sunt quodammodo regulæ regulantes, seu applicantes, & dirigentes illam; Scripturam scilicet explicãdo & applicando ad hos vel illos fidei articulos, aliter & aliter, quisque pro suo genio & ingenio. Hinc est, quòd in Christianitate tot sint ortæ sectæ, nec erit finis illarum, sicut nec est finis ingeniorum in Sac. Scriptura rimantium & scrutantium, illamque pro libitu suo interpretantium. Cùm igitur non possit sola Sacr. Scriptura simul & semel esse regula & regulans, ideò omnino necesse est, ut præter S. Scripturam tanquam regulam passivam, admittatur activa seu alius regulans, qui nimirum dictam regulam, id est, Sac. Scripturam, applicet ad hoc vel illud regulatum, scil. articulum fidei; adeòque qui sit simul interpres sensûs Scripturæ, Judexque Controversiarum fidei certus & infallibilis, atque easdem dirimens & componens infallibili decretoriâ sententiâ, aliâs necessariò sequitur dicta nullitas omnium dissidentium religionum Neo-Evangelicarum. Et hic primus de Regula seu Norma fidei Discursus, sit pro Norma aliis sequentibus.

Scrutinii verit. fidei Disc. 2.3.4.5.6.7. &c. Nempe *de Verbo DEI Scripto, de autentico sensu & interpretatione S. Scripturæ, de Catholica & Apostolica Christi Ecclesia, de infallibilitate fidei & Ecclesiæ, de Notis fidei & Ecclesiæ, de Ministris Ecclesiæ, de Reformatione Ecclesiæ, de Symbolo seu Confessione fidei, &c.* Quorum veritatem ab imis scrutans fundamentis, & circa eadem falsitatem heterodoxorum è latebris in lucem producens, illam citatus Author Scrutinii simili ut supra urget argumẽto, ut necesse sit Adversarios impingere in alterutrã contradictionis partem, vel utramq; concedendo, suã Sectam esse Chimericam, admittere, contra omne lumen Philosophorum, & Theologorum. Etenim

Etenim ut *citatus Author* prosequitur: cùm omnes & singulæ S. Scripturam pro suæ fidei unica regula & Judice admittant, consequens est, omnes & singulas esse Evangelicas & Orthodoxas: Etenim unaquæq; non aliam rationem suæ fidei adfert quòd sit verè Evangelica, quàm Scripturam: nulla alio principio probat, quòd purum Verbum DEI prædicet; quòd legitimè Sacramenta administret: quòd legitimè vocatos Ministros habeat: quòd Symbolum seu Confessio suæ fidei sit orthodoxa: quòd item Catechismus orthodoxus: quòd jus habeat Ecclesiam reformandi, & sexcenta alia quæ in fidei quæstionibus adferri possent, quàm hoc unico principio S. nimirum Scripturâ, quia scilicet est conformis regulæ & judici credendorum Scripturæ, quia est ex verbo DEI scripto sumpta, quia concordat cum S. Scriptura, &c. Hoc enim dicunt Lutherani, hoc Calvinistæ, hoc Sociniani, hoc Mennonistæ, hoc Quackeri, hoc Confessio Evangelica purior, hoc dicebant & veteres rejecti ab Ecclesia Hæretici, ut supra innui. *Hæc ille.* *Scrutinii Veritat. fidei, p. 2. disc. 1.*

Unde sequitur quòd uni eidemque soli principio ultimò resolutorio S. Scripturæ innitentes præfatæ sectæ sunt simul veræ & falsæ in ratione fidei. Sunt veræ, ut quælibet earum de se supponere vult; sunt falsæ, quia ex eodem principio Scripturæ toto cælo sibi opposita & contraria credunt. Adeoque per consequens vel nullam esse Fidem in orbe terrarum, vel Ecclesiam esse Chimeram, (qualis mons in Africa variis coopertus bestiis & monstris denominatur) Monstrum quoddam horribile, tot diversissimis Religionibus in essentia credendorum, coadunatis tamen in unum, permittiq; posse licentiosissimum Libertinismum, quo liberum cuiq; sit tenere fidem quam vellet, siquidem omnes ex uno Principio essent veræ.

Horres dubio procul (*ut citatus Author inquit*) quisquis ex Neo-Evangelicorum tam horrendum monstrum? refugis utrumque contradictionis extremum? non vis incidere in Scyllam volens evitare charybdim? desideras ad extremum tantâ implicantiâ implicato expediri labyrintho? En Ariadnæ filum, hoc te tuto tramite ad aureum aureæ felicitatis capessendum deducet vellus. Nimirum agnosce quòd aliqua fides sit, quæ de facto est *Ibidem.*

& esse debet, verè Evangelica, verè Orthodoxa. Illa inquam, fides, quæ sese equidem in eodem *DEI Verbo* fundat, at quod utramque æquè complectitur paginam, Scriptam nimirum & Traditam: *Verbo*, quod & *calamo scribæ velociter scribentis*, & vivæ atque animatæ vocis oraculo loquitur. *Verbo*, quod se non solâ sinit mortuâ circumscribi literâ, sed & vitali voce de aure in aurem audiri, & velut de manu in manum tradi exambit.

Fidei veræ, Christianæ, & Orthodoxæ, præter Verbum DEI scriptum, tanquam Regulam fidei, ut ita loquar, Passivam, dari etiam distinctam Regulam Activam, vivam, animatam, & quæ sit magistrâ authoritate regulans, interpres, explicans, applicansvè illam ad fidei articulos in particulari, adeoque Judex credendorum: & hanc esse Ecclesiam Catholicam demonstratur.

Scrutinii Veritat. fidei p.2. discurs. 1. §.2.

HAnc assertionem inter solidissimas rationes, S. Scripturâ & S. S. Patribus firmatas, hâc quoque *citatus Author* probat dicens: Certum est apud omnes, unamquamque rem in eadem principia, causas, rationesque formales resolvi, ex quibus componitur seu constituitur. Igitur & fides, & quivis articulus fidei, resolvi debet in ea principia, causas, & rationes, ex quibus constituitur, adeoque datur aliquod ultimum resolutorium fidei. *Et paulò post inquit*: Porrò hoc resolutorium fidei, nullo modo est solum illud principium, à Dissidentibus assumptum, nimirum Sac. Scriptura & Spiritus S. (ad quem ultimatè plerumque recurrunt) ut supra ostensum est. *Et paulò infra.*

Hinc itaque fides necessariò in hæc duo Principia resolvi debet, quod signum est ex eisdem etiam constitui: nimirum, Primum principium est formale, intrinsecum, omnibusque notũ: *Dictio, Locutio, seu Revelatio D E I, Veritatis primæ, & essentialis.* Et hoc aliter dicitur *Regula fidei*. Secundum formale quidem, sed extrinsecum motivum, magisq; notum, quia illius intrinseci explicativum, applicativũ, & declarativum (quod nos aliàs *Regulam activam, vivam, animatam*, seu *Regulantem* dicimus) est videlicet *Ecclesia Catholica*. Hoc ipsũm ita ostendo: Omnis Articulus fidei potest resolvi

in hanc argumentationem, quam in se includit saltem virtualiter. Statuamus v.g. hunc fidei sic articulum; *Deum esse Unum in Essentia, Trinum in Personis, est credendum.* Hunc. artic. fidei resolves. *Omne quod Deus Veritas prima & essentialis revelavit* (adde si placet ad tollendam æquivocationem, *etiam in verbo scripto*) *est de fide verum, adeoque credendum, tenendum.* Atqui *Deum Unum in Essentia, Trinum in Personis, Deus Veritas prima & essentialis revelavit in Verbo scripto.* Ergo DEUM *Unum in Essentia, Trinum in Personis esse, est de fide verum, adeoque credendum,* &c.

Major propositio est tam Orthodoxis, quàm heterodoxis certissima, adeòque nec ulteriùs probanda, quia ex ipsis terminis nota. Minorem probabis v.g. illo 1. Joan. 4. 7. textu. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Item Matth. ult. *Baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, &c.* Sed quia in hisce locis nec Trinitatis, nec Personæ nomen expressè & clarè ponitur, nec insuper disertè exprimitur, quâ illi tres Unitate unum sunt, nec quâ Trinitate unum illud tres sint. Præsertim quia varia unitas rerum & trinitas datur: hinc occasionẽ sumpsère aliqui, ut Ariani, Photiniani, Sociniani, &c. negandi absolutè Trinitatem Personarum distinctarum hìc intelligi: Sabelliani per tres, *tres Operationes* non Personas in una Essentia: Mennonistæ *tria* nonnisi *Nomina*: Trideitæ non solùm tria Nomina & tres Personas, sed etiam *tres Naturas in una voluntatis consensione* accipiunt & exponunt. Luthero hæc vocula *Trinitas* humanitùs inventa, & frigidè sonat. Si ita: Ergo in dictis verbis non est revelata. Calvinus optabat hoc nomen *Trinitas* sepultum. Denique Orthodoxi per *tres Trinitatem realium distinctarum Personarum: per unum, veritatem Essentiæ & Naturæ Divinæ* intelligunt. Hinc Orthodoxis manet demonstrandum, quòd illi soli dicta verba benè & legitimè intelligant, cæteri secus. Et ad hoc quidem demonstrandum non sufficit ad solam S. Scripturam, ejusque interpretationem, aut Spiritum S. ejusque criteria recurrere: Nam heterodoxi ad eadem omnia recurrunt, suosque illorum quivis privatos eruit sensus, adeòque nondum tolletur dubium, necdum cessabit controversia, adhuc sub judice lis erit. Potiùs igitur dicta propositio Minor resolvenda erit in aliud

Principium formale motivum, extrinsecum magisque notum, atque illius prioris principii formalis intrinseci applicativum, explicativum, declarativum: nempè in *Ecclesiam Catholicam*, tanquam *Magistram*, *Interpretem*, & *Regulantem*. Quod tali modo facies.

Omne quod Ecclesia Catholica DEUM revelâsse in S. Scriptura intelligit, confitetur, & docet; DEUS Veritas prima revelavit in scriptura; adeoq́ est credendum.

Atqui *DEUM Unum in Essentia, Trinum in Personis, in dicto Joannis textu, aliisq́, Ecclesia Catholica intelligit, confitetur, ac docet.*

Ergo *DEUM Unum in Essentia, Trinum in Personis, DEUS Veritas prima revelavit in Scriptura.*

Si revelavit: *Ergo est credendum*: quia omne quod DEUS Veritas prima revelavit est credendum, siquidem illud revelatum esse in dicto Scripturæ loco Ecclesia docet & proponit. Et hic terminus esto immotus cunctis. Vides hic illud primum fidei Principium resolvi in aliud tanquam magis notum scil: Ecclesiam, tanquam illius declarativum, explicativum, & applicativum ad dictum de S. Trinitate articulum fidei tanquam regulatum? Unde si ab utrinque tam à nobis quàm à dissidentibus Major propositio admittatur tanquam certa & infallibilis, facile omnis fidei controversia cessabit, nec jam lis sub Judice erit. Etenim concessa Majore, suâpte naturâ consequitur & Minor, & Conclusio tanquam certa. *Nam DEUM Unum in Essentia, Trinum in Personis* ex allatis aliisque pluribus Scripturæ locis deducere Ecclesiam Catholicam, constat ex Conciliis, SS. Patribus, & Doctoribus Ecclesiæ, ac denique unanimi perpetuaque ac Universali consensione Orthodoxorum, si paucos excipias heterodoxos, qui suo proprio sensui & arbitrio innitentes, segreges ab Ecclesia facti, ac proinde pro hæreticis habiti. Porrò Ecclesiam Catholicam in Conciliis, SS. PP. unanimique ac perpetua & Universali consensione ex Scriptura Trinitatem Personarum deducere, possem hìc fusiùs probare, sed brevitas desiderata non permittit, nec video necessarium esse ad hoc, quod præ manibus habemus institutum, præsertim cùm id sufficienter præstiterint Bellarm: Cœcius, & alii: omnium autem luculentissimè Nic: Cichovius S. J. in sua

Har-

Harmonia Catholicæ fidei de DEO, Christo, Deipara, veritates Catholicas per tria prima secula fusè deducendo, adnexa Epistolæ Paræneticæ ad Jonam Schlichtingium. Possunt hoc modo & cæteri omnes articuli fidei in hæc duo Principia resolvi. Uti videre est in Schemate 2. infra posito.

Neque dicas exinde sequi Ecclesiam Catholicam esse supra Scripturam. Etenim sicut Judex vel interpres legis aut diplomatis Imperatoris non est censendus esse supra legem, quando sententiam profert, aut aliquid definit ac promulgat secundùm legem; aut supra Imperatorem, ejus mentem in diplomate positam explanando: Ita Ecclesia non ideò supra S. Scripturam, aut supra DEUM attollitur, quia scil: est ejusdem Interpres, explicans atque declarans hoc vel illud in particulari à DEO Veritate prima revelatum esse, in hac vel illo Scripturæ loco, hocque vel illo determinatè sensu intelligenda ejus verba.

Sola Romana Eccl: est illa Ecclesia Catholica, quam Regulam, ut ita dicam, Activam, vivam, animatam, seu Regulantem, Magistram infallibilem auctoritatem habentem in exponenda S. Scriptura, (utpotè Regula fidei, ut ita dicam Passiva) adeoq; Interpretem, & Judicem fidei esse, hactenus demonstratum est.

HÆc Veritas adeò multis, firmis, atque invictis argumentis à Catholicis Theologis, Cardinale Bellarmino, Fran; Suarez, Greg: de Valentia, Tannero, Becano, Sandero, aliisque est stabilita, ut eandem comprobare planè sit cramben ad nauseam recoquere, & ad-molestiam eandem tundere incudem; mirumque sit, Adversarios eidem tam perfrictâ fronte obniti, atque obsistere, imò vix non Acheronta movere ad eandem evertendam, sed cassò molimine; siquidem Ecclesia Romana manet eadem, quæ tot retroactis seculis fuit verè Catholica, utpote super inconcussam Petri Petram à supremo Architecto Ecclesiæ ædificata, contra quam portæ, inferorum non prævalebunt. *Hæc citatus Author.* *V. supra § 2. & seq. de Motivis externis credibil.*

Satis autem nobis fuerit aliqua supra innuisse in comprobationem ejusdem veritatis Argumenta *Ex Suario de* Motivis credibilitatis in comparatione ad Sectas Hæreticorum.

Porro hæc Ecclesia Catholica, Romana, ut est Activa, & vera Regula fidei, intelligitur esse in Capite suo, id est in Romano Pontifice. Quod ipsum breviter probatur ex Primatu, & Vicaria Christi Magistra Authoritate, S. Petri Successoribus, Romanis Pontificibus, collatis. *Qui Primatus, & suprema authoritas Romani Pontificis breviter deducitur.*

Scrutin. verit. fidei p. disc. 1.

Matth. 16. *Primò* ex ipsis Christi Domini verbis. Nam dum ait absolutè; *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: hìc Ecclesiam procul dubio intelligit eam, quæ juxta certissimas, & per os Prophetæ Isaiæ cap. 59. & suomet propriæ vocis oraculo Matth. vult, & alias promissiones factas, usque ad finem mundi est duratura: hæc enim solùm nec ulla alia est Ecclesia DEI viventis. Atqui hanc Ecclesiam supra Ipsum, solumque Petrum, ejusq; confessionem ædificare non potuit; sic enim mortuo ac deficiente Petro, defecisset & Ecclesia: necesse igitur est credamus ibi intellexisse non Petrum solum, sed in Persona Petri & Successores ejus; quod ipsum D. Thomas lib. advers. Gentes cap. 26. urget tertiâ argumentatione, præsertim quia in futuro dicta sunt *Ædificabo*, quod denotare videtur à Christo Domino semper successivè etiam in Successoribus Petri ædificandam & stabiliendam Ecclesiã. Ex eo item, quod Christus dicit: *Pasce oves meas*, eadem veritas colligitur: tum ex verbo *Pascendi*, quod simul regere ex Græco significat: quo verbo pascendi seu regendi, officium ordinarium & authoritatem suam Vicariam instituit. Atqui hoc officium necesse est tamdiu durare, quàmdiu duraturum est usq; & ipsum ovile. Cùm autem hoc duraturum est usque ad finem mundi; igitur & officium atque authoritatem pascendi, regendivè, non in solo Petro, sed etiam in Successoribus continuâ serie durare necesse est. Denique dicit Dominus; *Oves meas*, sine exceptione, adeoque omnes, consequenter non solùm eas, quæ vivente Petro victuræ erant, sed etiam omnes eæ, quæ usque ad consummationem seculi perpetuâ serie unum effecturæ ovile, consequenter & hæ à Successoribus Petri Pastoribus pascendæ erant.

Matth. 16. Idem patet ex illis Christi Verbis; *Tibi dabo claves Regni cælorum*: quam potestatem & authoritatem clavium Petro collatam, utique in Ecclesia semper duratura, semper etiam necesse durare: quia

quia semper est quod in Ecclesia solvatur, & quòd ligetur. Igitur non soli Petro, sed etiam ejus Successoribus est collata. Idem nobis declarant illa Domini Verba; *Confirma fratres tuos.* Semper in Ecclesia S. Matre filii, adeòque fratres usque ad finem mundi futuri, qui semper sunt confirmandi: igitur necesse est, ut sit etiam semper is, qui illos confirmet: quis autem is erit potiori jure, quàm continuâ serie Successor Petri? *Luc. 22.*

Secundò deducitur præasserta veritas ex ipsis Titulis, qui à SS. PP. & ab omnibus Orthodoxis Papæ Romano dabantur: quos titulos fusiùs ex SS. PP. confirmando adducit Becanus l. 1. cap. 4. Suffecerit nobis illos hìc attigisse. Primus Titulus est: *Caput Universalis Ecclesiæ.* 2. *Papa Universalis Ecclesiæ.* Item: *Pastor & Custos ovilis Christi: Custos vineæ Salvatoris.* 3. *Summus Pontifex: Summus Papa: Summus Sacerdos: Princeps Sacerdotum: Summus omnium Præsulum Pontifex: Episcopus Universalis Ecclesiæ.* Hactenus ex Scrutinio R.P. Hacki citati, qui dum partem tertiam ejusdem Scrutinii in lucem edere molitur, probabile est, quòd Materiam in sequentibus propositam, utpote cum antecedentibus necessariò connexam, attinget vel elucidabit.

Verùm Conclusio supra posita ulteriùs adhuc ex *Suarezio* declaratur, qui ait: *Veritas Catholica est, Pontificem definientem ex Cathedra, esse Regulam fidei, quæ errare non potest, quando aliquid authenticè proponit Universæ Ecclesiæ, tanquam de fide Divina credendum.* Ita docent hoc tempore omnes Catholici Doctores, & censeo esse rem de fide certam, quæ in primis probari potest ex testimoniis proximè (*in Scrutinio*) citatis. Nam Christus dedit Petro & Successoribus ejus authoritatem pascendi Ecclesiam maximè in doctrina: & singulari modò, id est, non tantùm per authoritatem prædicandi, quam omnibus Apostolis indifferenter tribuit, cum dicit; *Euntes, docete gentes, & prædicate Evangelium omni creaturæ;* Sed etiam per potestatem jurisdictionis interpretandi seu proponendi veritates credendas, & sub obligatione illas credendi: Ergo hæc potestas habet necessariò adjunctam infallibilitatem, & assistentiam Spiritûs Sancti, ut non erret. Consequentia probatur; quia hoc necessarium est propter infallibilitatem Ecclesiæ in credendo. Nam si Pontifex docens illo modo, *Suarez de fide Disput. 5. sect. 8. num. 4.*

eam

eam posset decipere, etiam ipsa posset decipi: imò cogeretur ad errorem, quia credere teneretur. Antecedens autem patet ex verbis Christi supra (*in Scrutinio*) ponderatis, & ex traditione Pontificum, & Patrum: hâc enim ratione, docent Ecclesiam Romanam esse Matrem & Magistram omnium Ecclesiarum. Unde Damasus Papa Epistolâ ad Stephanum, vocat Pontificem Doctorem Orthodoxæ, & immaculatæ fidei. Quod etiam agnoscit Hieron: in Epist: ad eundem Damasum de nomine *Hypostasis*. Atque ita idem probat alter locus, *de Fundatione, & ædificatione Ecclesiæ super Petrum*: Nam si Petrus, vel Successor ejus, posset Ecclesiam decipere, non esset firmum & stabile ædificium. Unde etiam concluditur ita esse intelligendam aliam Christi promissionem Luc. 22. *Ego rogari pro te Petre, ut non deficiat fides tua*: intelligitur enim de Petro non pro illo tantùm, sed ut erat futurus Petra, & perpetuum Ecclesiæ fundamentum, & ita durat in Successoribus saltem quatenus Pontifices sunt, ut exposuit Leo Papa Serm. 1mo & 2do assumptione suâ, & Innocent. III. in Cap. Majores de Baptismo & multi alii Pontifices in suis Epistolis decretalibus.

Suarez ibidem Sect. 7. num. 6. Dico 2do. *Certissimum est, Concilium generale, in quo præsens adest Pontifex, esse infallibilem Regulam fidei, & non posse errare in his, quæ in doctrina fidei definit, vel quæ approbat in materia morum.* Hæc veritas ex Scriptura præcipuè probatur exemplo Apostolorum, Actor. 15. ubi in forma definiendi, *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis*, apertè docuerunt Concilium simile regi à Spiritu Sancto, cùm definit: Ergo non potest errare. Deinde probatur optimè ex promissione Christi, Joan. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: Nam illa promissio non est facta solùm personis Apostolorum, pertinet enim ad perpetuitatem & conservationem Ecclesiæ: Ergo facta est etiam pro Successoribus; vel si facta est toti Ecclesiæ, necesse est in tali Concilio impleri, ut pro tota Ecclesia servari possit. Solet etiam hæc veritas colligi ex verbis Christi, Matth. 18. *Ubi sunt duo, vel tres, congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum*: quæ verba ad hoc propositum afferunt multa Concilia, quæ refert Bellarm.

Ibidem. num. 9. Dico tertio. *Concilium generale in quo Papa non adest per se, sed per Legatos, postquam ab ipso Papa confirmatum est, esse infallibilem Regulam fidei.*

fidei. Eſt aſſertio de fide, in qua omnes Catholici conveniunt: & habetur iisdem teſtimoniis, & principiis, & ex communi praxi Eccleſiæ; Nam plura ex Conciliis generalibus à Nicæno usque ad Tridentinum, hoc modo peracta ſunt & confirmata, & ſtatim ſunt habita ut Regulæ fidei infallibiles. Ratio autem eſt; quia ibi adeſt tota authoritas Eccleſiæ, quæ invenitur in Concilio generali cum præſentia Papæ, qui priùs adfuit, quaſi repræſentativè per Legatos, & id, quod deeſſe videbatur de perſonali conſenſu ejus, per confirmationem ſuppletum eſt: Ergò nihil deeſt ad plenam authoritatem & infallibilitatem talis Concilii; nam corporalis illa præſentia non eſt de ſubſtantia; & ſufficit quaſi ſpiritualis conjunctio per influxum poteſtatis, ſicut aliàs ſignificavit Paul. 1. ad Cor. 5. quando excommunicavit abſentem: *Congregatis vobis, & meo Spiritu cum virtute Domini Noſtri JESU.* Et confirmatur tandem; quia ſæpe moraliter impoſſibile eſt Papam perſonaliter adeſſe Concilio generali, ſæpèque eſſet cum magno diſpendio Eccleſiæ: Ergò non eſt veriſimile hanc præſentiam eſſe neceſſariam; quia neque eſſet conveniens Providentiæ modus, neque eſt fundamentum ad id aſſerendum.

Dico 4to. *Quando Concilium generale habet inſtructionem à Papa per Legatos, de rebus in particulari definiendis, & ipſum Concilium definit ſequendo inſtructionem, errare non poteſt; & ſtatim, nulla ſpectatâ confirmatione incipit eſſe illa definitio Regula fidei, & res definita de fide.* Ita etiam ſentiunt communiter Catholici, & eſt res certa; quia illa definitio jam habet conſenſum totius Concilii, & Papæ, non ſolùm per Legatos, ſed etiam per ſeipſum: Ergò habet tantam authoritatem & certitudinem, ſicut definitio Concilii generalis, ubi adeſt præſens Papa. Patet conſequentia; quia, ut dixi, præſentia vel abſentia perſonalis, ſeu corporalis parum refert, ſi aliàs conſtat de judicio, & de conſenſu Pontificis. Deinde probatur quia illud Concilium, quoad talem definitionem, habet confirmationem Pontificis, quaſi anticipatam: Ergò non habet minorem authoritatem, quàm Concilium generale confirmatum. *Hæc Suarez.* *Ibidem. n. 10.*

Patet ergò ex dictis, quòd, & quando, ſola Romana Eccleſia, quæ eſt Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, ſit Regulans, ſeu viva & activa Regula fidei, explicativa & applicativa paſſivæ

Regulæ ſeu Sacræ Scripturæ, ad credenda Regulata, ſeu Articulos fidei.

Porrò ad clariorem Notitiam dictorum de Regula fidei, commendo, ſequentem Tabulam inſpicere.

De Gradibus Fidei.

GRadus fidei ex parte objecti ſunt: 1 *mus Neceſſitatis*; ſeu, quia tenemur ſcire & credere quæ ſunt Neceſſaria ad ſalutem æternam. 2 *dus Supererogationis*; quâ fide noſcuntur & creduntur in ſpecie ea, ad quæ aliquis nullâ ſtringitur obligatione: uti cognoſcendo in particulari ſunt Conſilia nonnulla Evangelica; Item ſublimiora myſteria Sacræ Scripturæ.

Gradus fidei ex parte ſubjecti, & modi tendendi; 1*mus* eſt Fidei *Communis*, ſitæ in confuſo ac rudi DEI ac Divinorum conceptu, dum ſcilicet ſecundùm ſolam terminorum, vocum, ac verborum ſignificationem, generaliter, ſimpliciter ac ruditer percipit ac credit Articulos fidei. 2 *dus* Gradus fidei eſt *Specialis*, propriè contemplativorum, eſtque hæc alia veſtita, alia nuda; *Veſtita* fides eſt, quæ repræſentat DEUM, & Divina, in ſpeculo & ænigmate, ſcilicet ſub formis, ſpecibus, & ſimilitudinibus creaturarum. Hic enim modus concipiendi Deum, & Divina, in hac vita connaturalis eſt humanæ menti. *Nuda* fides aliàs *Pura* eſt, quæ ſine phantaſmatibus ac ſpeciebus humanâ activitate effectis, ipſam puram veritatem DEI præſentit, ac notitiam Divinorum
Inſtit. Cap. 8. complectitur. Unde Thaulerus inquit. *Nuda puráque fides hujus eſt exilii; ſcire verò & intelligere futuro ſeculo debentur.* Porrò S. Thomas ait: *Perfectio fidei major vel minor attenditur, tum ex parte*
22. quæſt. 5. a. 4. *voluntatis propter majorem promptitudinem, ſeu devotionem, vel confidentiam, tum ex parte intellectûs propter majorem certitudinem, & firmitatem.*

De Motivis amplectendi, & exercendi veram Fidem.

EX dictis conſtat aliud eſſe Motivum Credibilitatis, quo movetur animus ad volendum credere; aliud Motivum intellectûs, nempe ſumma Veritas DEI, quâ movetur ad aſſenſum præbendum propoſitionibus fidei. Nunc de tertii generis Motivis agendum, quanquã & iſtud genus ad Motiva voluntatis refertur.

Dico: *Motiva* ad amplectendam veram fidem, ejusque exercitium hujusmodi afferuntur. 1*mum*. Fides eſt magnum Dei

DEI beneficium: Unde *S. Augustinus* ait: Fides & inchoata, & perfecta donum DEI est; & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis Sacris Literis repugnare. Cur autem non omnibus detur? fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes esse in condemnationem sine dubitatione justissimam; ita ut nulla DEI esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur. Unde constat magnam esse gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid sibi deberetur in eis, qui non liberantur, agnoscunt; ut qui gloriantur, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in Domino glorientur. *Et D. Thomas* docet Auxilium gratiæ DEI nempe ad fidem & charitatem *quibuscunque Divinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex justitia non datur in poenam præcedentis peccati, & saltèm originalis peccati.* Ut dicit Augustin. in libr. de corr. & gratia.

D. Augst. l. de prædest. SS. c. 8.

D. Thom. 22. q. 2. a. 5.

2dum. Fides supernaturalis necessaria est ad salutem æternam. Nam *Apostolo teste:* Sine fide, impossibile est placere DEO. *Ratio est.* Quia juxta *D. Thomam* cùm homo dependeat à superiori natura, summo ac universali Ente, & Bono, utpote ejus cognoscitivus; neque valet ad perfectam cognitionem, seu visionem ejusdem universalis Entis & summi Boni propriis viribus naturæ pertingere: sequitur debere illum disponi fide supernaturali, ut sensim per modum addiscentis credat DEO Doctori proponenti de excedentibus naturalem rationem, quæ visionem perfectam, ac ad eam spectantia concernunt.

Hebr. 10.

V. D. Thom. 22. q. 2. a. 3.

3tium. Fides supernaturalis est meritoria. Dicitur enim ad *Hebr.* 11. quòd Sancti per fidem adepti sunt repromissiones. Deinde sicut omnis actus humanus qui subjicitur libero arbitrio moto à DEO per gratiam, si sit relatus ad DEUM, potest esse meritorius, ita & credere seu assentiri intellectu veritati Divinæ, ex imperio voluntatis à DEO motæ per gratiam, potest esse meritorium. Et si difficultas actûs requiritur ad meritum, hæc profecto in actu fidei reperitur, dum intellectus captivatur in obsequium fidei. Captivare enim sonat quandam vim, laborem, difficultatem captivantis, & captivi. Cæterum *Rationes humanæ si ad Divina afferantur, ut eis per fidem assentiamur, meritum omne prorsus*

V. D. Thom. ibidem a. 9.

Ita D. Thom. ibidem a. 10.

tollunt: Si verò afferantur non ut credamus, sed ut magis & firmiùs, quæ fidei sunt, suscipiamus, meritum non diminuunt. Meritum fidei augetur, dum quis difficiliùs vel ob externam persecutionem ad Martyrium, vel ob rationes infidelium, dumque promptiùs & firmiùs, adhæret rebus fidei. Et S. Fulbertus inquit. *Inter omnia bona opera summum est meritum fidei Christianæ.*

V. D. Thom. ibidem.

In Biblioth. SS. tom. 1.

4tum. Fides est causa actuum aliarum virtutum. Ita Apostolus dicens: *Fides per dilectionem operatur* Gal. 5. id est. *Fides interior mediante dilectione causat omnes exteriores actus virtutum, mediantibus aliis virtutibus, imperando, non eliciendo.*

Ita D. Thom. 22 q. 3. a. 1. ad 3.

5tum. A præclaris encomiis & effectibus fidei. *S. Augustinus* ait: Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major est substantia, quàm est fides Catholica, quæ peccatores homines salvat, cœcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, impios justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat. *S. quoque Bernardus*: Quid est, inquit, quod non inveniat fides? Fides enim falli nescia, attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, transcendit fines rationis humanæ, terminos experientiæ, ac usum naturæ, ipsam denique æternitatem suo vastissimo sinu quodammodo circumcludit. *S. Bonaventura.* Fides multa bona facit: hominem salvat. Unde dictum est Magdalenæ: Fides tua te salvam fecit. Mentem purgat: Fide purificans corda eorum. Contra mundum pugnat: Sancti per fidem vicerunt regna. Postulata impetrat, unde in Matthæo: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut petiîsti. Perseverantiam dat: Apostolus: Tu autem in fide stas. Temporalia contemnit: Fide Moyses grandis effectus negavit sese filium esse filiæ Pharaonis. Justificat: Credidit Abraham DEO, & reputatum est ei ad justitiam. Beatificat: Quia vidisti me Thoma credidisti: Beati qui non viderunt & crediderunt. &c.

S. Augustin. de verb. Apost. Serm. 1. & 18. de temp.

S. Bernardus in Cant. Sermon. 28. & 76.

S. Bonavent. Comp. Theol.

Luc. 7.
Actor. 15.
Hebr. 11.
Matth. 17.
Rom. 11.
Hebr. 11.
Rom. 4.
1. Joan. 20.

6tum ab exemplis 1. Deipara Idea fidei. Hinc *Suarez* docet fidem in Virgine fuisse perfectissimam tum ex parte subjecti, in quo fuit valde intensa, & prorsus certa omnem motum etiam primo primum dubitationis excludens: tum ex parte objecti, quia per illam distinctissimè credidit mysteria Trinitatis, & Incarna-

Suarez. in 3. p. tom. 2. qu. 37. disp. 19. sect. 1.

carna-

carnationis, & reliqua omnia, quæ ad Divinitatem, & Humanitatem pertinent. Ita docent Patres, Ambrosius, Epiphanius, Augustinus, Bernardus, Rupertus. Unde Abulensis dicit; propter hanc fidei perfectionem vocari Virginem ab Augustino, & Bernardo, *Matrem credentium.* Et infra. Unde canit Ecclesia: Gaude MARIA Virgo cunctas hæreses interemisti in universo mundo. Potest autem hoc specialiter attribui Beatæ Virgini vel quia generando eum, qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem, omnes errorum tenebras fugaverit: vel quia singulari modo cunctis fidei defensoribus ac Doctoribus opitulatur: vel (quòd ad rem præsentem pertinet) quia singulari modo fuerit fidei magistra; & quia ipsos etiam Apostolos docuerit, quorum doctrinâ omnes hæreses interimuntur. Denique confirmatur ratione: quia tota hæc perfectio fidei, & cognitionis Divinæ erat proportionata sanctitati & dignitati Beatæ Virginis: tum etiam quia in ea fuerunt causæ potiores, & efficaciores ad hanc Divinam Sapientiam consequendam. II. *S. Joseph.* Sponsus Deiparæ, exemplar fidei: Nam Angelo priùs Incarnationis mysterium revelanti, & postea fugam in Ægyptum præcipienti, quanquam mysterium esset altissimum, & externâ specie res ipsæ inter se non multùm cohærere viderentur, promptissimè ac sine ulla hæsitatione credidit & obedivit: propter quod Rupertus lib. 1. de gloria & honore Filii hominis in Matth. illius fidem cum fide David & Abrahæ comparat, & addit, fuisse Joseph usque ad illud tempus justum virum, ex tunc verò justissimum. Et *S. Chrysostomus* de S. Joseph. Vidisti *inquit* obedientiam, vidisti animum facilè sacris sermonibus fidem accommodantem, vidisti mentem omnino vigilem, & nullâ prorsus corruptione violatam. III. S. Paulus in lege doctissimus, qui priùs spirans minatum & cædis in Christi discipulos erat, nonne mox conversus eorũ quos persequebatur, factus est socius, collega, Co Apostolus? nonne synagogas ingressus prædicavit, quòd JEsus esset Christus DEI filius? Deniq; qui priùs in gratiam Judæorũ vinciebat Christianos, idem deinde pro Christianis confundebat Judæos, qui Damasci erant. Qui cùm quòd responderent non habuissent, in necem illius conjurârunt. Sed qui jam apertis mentis oculis

S. Chrysost. homil. 5. in Matth.

S. Paulus Act. 9.

V. Marul. tit. Fides.

Christum aspiciebat,nullis minis ne illum prædicaret coërceri poterat, atque in ipsum qui vita est credendo, mortem non pertimescebat. IV. *S. Basilius* ille magnus, cùm esset Gentilis, & bonarum artium apprimè eruditus, inter conflictantes Philosophorum sententias, nihil certi asserentium nutabat, donec ab Athenis transiens in Ægyptum, explorato Philosophiæ nostræ sensu, Christo credere cœpit. Inde reversus, Eubolum præceptorem suum de ratione veræ sapientiæ disputando superavit, & ad Domini DEI nostri cultum convertit. Reperit ergo Basilius in Ecclesia,quod in Academia non poterat reperire, & discipulos docuit, quod non didicerat â Magistro. Dum autem uterque Jerosolymis â Maximino Episcopo baptizaretur,circumfusos lumine viderunt qui aderant, eaque res indicio fuit, eos antè hâc veri ignoratione in tenebris fuisse. V. *S. Augustinus* in initio hæresi pollutus, cùm Ambrosium prædicantem audiisset, perspexit errorem in quo erat atque abjecit: & tandem omnis expers ambiguitatis, Christi suscepit fidem, juxta traditionem Catholicæ Religiositatis; non signa requisivit, non experimenta tentavit, audiendo tantùm agnovit veritatem, & de tenebris venit ad lucem. Denique eandem sectam illam, quam reliquit, nemo postea fortiùs impugnavit, nemo acriùs est persecutus. Perversissima impietas cujus assertione tutam se putabat, ejus confutationum telis confossa periit. VI. *S. Benedictus* Religiosus : ob hujus Sancti viri reverentiam ignis ei damnum inferre non potuit, ut S. Gregorius in Dialogis suis meminit: cúm enim Gothi ejus cellulæ ignem circumponerent, illo omnia circumdevastante, sola ejus domuncula intacta stetit. Tum majus ipsi malum pararunt: ex eo enim prodigio nihilo facti meliores, sanctum virum in ardentem furnum conjêcere,à cujus tamen flamma fuit æquè,ut antè illæsus: postridie enim sanum, ac vividum repererunt. Quibus miraculis DEUS remunerari ejus fidẽ voluit: quæ enim credere Divinitus jubemur, tam indubitato animo credebat, atque si omnia oculis usurpâsset.

Ibidem.

S. Augustin. Conf. lib. 5. c. 14.

Paul. Barry. in foed. Sanct.

Praxis circa Fidem.

ANtequam ad praxim circa fidem accedamus, præmittenda est series & divisio materiarum, circa quas versantur Actus

fidei, ac modus tendendi eorundem actuū. Itaq; fides alia est explicita, alia implicita. *Explicita* alia est practica, alia anagogica. Fides *practica* opponitur fidei otiosæ, quæ bonis operibus caret: nam hæc operatur bona per charitatem: de qua illud est *Galat.* 5. In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: Sed fides, quæ per charitatem operatur. *Et Jacob.*2. Ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. *Et infra*: Ex operibus fides consummata est. *Anagogica* fides, vel alias sursum ductiva, aut sursum activa illa est, de qua *Joan.*9. Credis in Filium DEI? At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum. *Item* C. 14. Creditis in Deum, & in me credite. *Fides practica* alia est necessitatis, alia supererogationis. Fides *necessitatis*, alia est necessaria *necessitate medii* ad salutem, nempe juxta Apostolum. *Credere oportet accedentem ad DEUM, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, idque quòd non tantùm sit author & remunerator naturalis, sed & supernaturalis gratiæ & gloriæ. Item credere explicitè oportet sanctissimam Trinitatem, & Incarnationem Christi, circa quæ mysteria controvertunt Doctores, aliqui asserentes esse fidem eorum explicitam de necessitate medii, alii de necessitate præcepti. *Fides explicita necessitate gravis præcepti est*, credere Articulos fidei in Symbolo Apostolorum contentos; etsi non requiratur sub mortali peccato exacta notitia omnium quæ inibi continentur; nec etiam omnimoda cognitio circumstantiarum Articulorum; v. gr. hujus, quòd Christus passus sit, *sub Pontio Pilato*, quòd *tertiâ die resurrexit*. Item sub eadem necessitate præcepti debet credere explicitè Sacramenta, quæ suscipit, maximè Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ. Tum Decalogi, & Ecclesiæ præcepta, Orationem dominicam tenetur nosse. Et hæc quoad rudiores qui saltem crasso quodam modo hæc omnia addiscere & credere obligantur. Quoad verò illos qui in Ecclesia DEI ad docendum populum præponuntur, iis horum omnium, imò & multorum plurium clarior notitia & fides est habenda, alioquin minimè suo officio convenienter fungi poterunt. *Fides implicita est*, credere omnia quæcunque continentur in Sacra Scriptura, & quæcunq; credit

Hebr. 11.

Medul. Theol. Moral. libr. 2. tract. 1. c. 2.

credit & docet Sancta Catholica Romana Ecclesia. *Secundò præmittendum* ex P. Busenbaum quando scilicet obligat præceptum fidei exercendæ. Præceptum fidei internum obligat. 1. Pueros inter fideles educatos, quando rationis usum perfectè consecuti mysteria fidei audiunt, apprehenduntque quòd illa credere, sit res necessaria ad salutem; peccantque mortaliter omittendo. *San. Bon. Disp. 3. p. 3.* addens plurimos eorum excusari inadvertentiâ, aut invincibili ignorantiâ. 2. Adultos infideles, quando ratio incipit dictare, res fidei sufficienter propositas esse, & contrariam sectam esse falsam. *Sanch. lib 2. mor. c. 1. con. d. d 14. de fide. Fill. num. 25.* 3. Quando urget tentatio contra fidem, quæ aliter vinci nequit. Quod tamen non convenire scrupulosis rectè monet *Sench* quia hi avertendo mentem ad alia objecta, faciliùs superant Et in his duobus casibus præceptum obligat per se, in sequentibus per accidens. 4. Quando tentatio urgens contra alias virtutes, aliter superari nequit. 5. Quando facienda est professio fidei exterior, vel ex præcepto eliciendus est actus alterius virtutis v. gr. spei, charitatis, pænitentiæ, quæ fidem supponat. *Bon. q. 2. p. 2.* His addit *Hurt.* contra *Sanchez 6.* in hora mortis. & 7. semel quot annis. Præceptum exteriùs fidem confitendi, jure naturali obligat duplici casu; scilicet si vel honor Deo debitus, vel utilitas proximo impendenda, privativè vel contrariè subtraheretur. *Dixi privativè:* ut si ideò cessaret magnus honor in DEUM, vel utilitas in proximum redundans. *Dixi 2. contrariè:* ut si alioquì Deus afficeretur injuriâ, vel proximus gravi malo. v. gr. si inde penderet aliorum conversio, contemptus religionis, scandalum, &c. Ratio responsionis est, quia actus virtutis tunc videtur præceptus, quando est necessarius ad finem præcepti, quod hìc contingit: quia finis præcepti est charitas. *S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 2. Suar. Reg. Till. l. 22. c. 3. q. 1.*

Ibidem.

His de fide quæ dicta sunt intellectis & seriò trutinatis, jam quod concernit *Praxim* perducendi infideles, & veniendi ad veritatem fidei, actum est *supra.* Quantum verò ad *Praxim* exercendi se in actibus & affectibus circa fidem, ejusmodi formatur, quâ etiam major æstimatio fidei, ejusque intensior amor excitatur: tum subnectemus ipsos actus internos & externos fidei.

In Summa Theol. spirit. cap. 3.

Actus & Affectus circa Fidem.

ACtus æstimationis seu appretiationis fidei. *O Pater luminum! quid est quòd immensam multitudinem mortalium, sedentium in tenebris & in umbra mortis, ignorantiæ, vel infidelitatis relinquens, me cum paucis cælesti luce fidei irradiâsti, monstrans ignoratum, vel non ita penetratum, tam periculum æternæ damnationis, quàm iter perennis felicitatis? nunquid te mea merita movêre quæ nulla fuêre? imò grandia mea demerita cur te non deterruêre? Et tamen aliis plurimis me multò melioribus in horrenda caligine desertis, mihi tuis splendoribus affulsisti. Agnosco O DEUS! tuam in me summam bonitatem: contremisco ad pavendum & inscrutabile circa alios justum judicium tuum. Ecce in lege naturæ tot gentes ex tenebris ignorantiæ ad æternas tenebras transivêre! cur tum haud natus quoque perii? In lege scripta quot in idololatria periêrunt! cur tum & non ego? In lege gratiæ quàm innumeri Gentiles, Hæretici, Athei, suâ coecitate & infidelitate ruunt in Orcum! quot millia infantium ex Catholicis quoque genitorum sine baptismo & habitu fidei descendunt in limbum, carcerem, tetrâ caligine coopertum! Cur non & ego? O DEUS æternas tibi gratias ago pro inæstimabili dono fidei! Verè magnum donum, origo & fundamentum omnium donorum.*

Affectus amoris, desiderii, gaudii. *Anima mea itanè alges ab ardore fidei? cur non succenderis ad ejus clariores & clariores fulgores conspiciendos? si modò tantùm oblectaris ad modicum lumen fidei; quantum gauderes ad copiam pretiosissimæ ejus lucis?*

Actus propositi. *Eja anima mea depone otia, exerce vires, progredere in fidei Divina exercitia. Ecce jam facio: Propono hoc mense penitus me tradere praxi actuum fidei: quotidie tot & tot N, actus fidei internos, tot N, externos eliciam.*

Actus orationis. *Adjuva me DEUS meus hoc in sancto proposito. Succurre Mater credentium MARIA. Succurrite S. S. Patroni mei N, N. &c.*

Actus interni Fidei.

EJusmodi actus continentur in Symbolo Apostolorum, tum in formula Concilii Tridentini. Dicito ergo his præmissis: *DEUS meus propter summam veritatem tuam, suadente discerniculo fidei, & motivis credibilitatis, credo omnia esse à Te revelata, ideoque vera, quæ*

Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia credit, & docet esse credenda.

S. Petrus. *Specialiter Credo in unum DEUM, Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.*

S. Jacobus major. *Et in JESUM Christum Filium ejus Unigenitum, Dominum nostrum.*

S. Joan. Evang. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto: natus ex MARIA Virgine.*

S. Andreas. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.*

S. Philippus. *Descendit ad inferos: tertiâ die resurrexit à mortuis.*

S. Thomas. *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram DEI Patris Omnipotentis.*

S. Bartholomæus. *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.*

Credo in Spiritum Sanctum.

S. Matthæus. *Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem.*

S. Jacobus minor. *Remissionem peccatorum.*

Carnis resurrectionem.

S. Simon. *Vitam æternam. Amen.*

S. Judas Thadæus. *Præter hæc admitto, recipio, & firmissimè amplector traditiones & constitutiones omnes tum Apostolicas, tum Ecclesiasticas, omnemque*

S. Matthias. *sacræ scripturæ partem juxta Ecclesiæ catholicæ sensum. Confiteor septem*

Formula Concilii Tridentini. *verè ac propriè esse Sacramenta, ritusque in eorum administratione ab eadem Ecclesia approbatas recipio atque admitto: ac in Missa quidem profiteor ritè offerri Christum, propitiationem pro vivis ac defunctis, eundemque in venerabili Sacramento realiter ac integrè contineri. Constanter etiam teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas suffragiis fidelium adjuvari: Item Sanctos honorandos atque invocandos: eorumque tum imagines, tum reliquias religiosè colendas esse: præterea facultatem esse in Ecclesia concedendi Indulgentias, earumque usum esse salutarem. Denique pari fide credo alia omnia, quæ Sancta, Apostolica, & Catholica Ecclesia Romana nobis credenda proponit: contrarias verò hæreses omnes, atque errores rejicio & anathematizo. Porrò in hac fide me ad extremum velle vivere, atque etiam mori, liberè, planéque profiteor & protestor.*

Actus interni fidei ex *Cardin. Bona.*

Via compend: ad DEUM c. 14. 1. *AUthor fidei JESU Christe, firmissimè credo vera esse omnia quæ te revelante credit & docet Sancta Mater Ecclesia, & pro hac assertione & veritate millies mori paratus sum.*

2. Auge in me fidem à te semel infusam, vitamque fidei consonam concede, ut quod mente credo, moribus exprimam.

3. Testi-

3. *Testimonia tua Domine, credibilia facta sunt nimis, utinam secundùm ea semper vixissem.*

4. *Verissima sunt omnia, quæ in sacris Libris, & Apostolicis traditionibus, ac decretis Ecclesiæ continentur: pro qua veritate tuenda vitam meam libentissimè offero.*

5. *Omnino verum est, te DEUM meum unum esse in substantia, & Trinitatem in personis: quod ego per medios gladios, & ignes profitebor.*

6. *Utinam fides tua integra semper & sincera conservetur, qualem tu Domine, tradidisti, qualem Apostoli prædicaverunt.*

7. *Credo tibi ô summa veritas, & quia fides sine operibus mortua est, da mihi, ut fidem meam patientiâ & charitate, aliisque virtutibus vivam esse demonstrem.*

8. *Gratias ago tibi Domine quòd mihi fidem dederis, quâ te cognoscerem, quòd me Christianum feceris, & Catholicæ Ecclesiæ membrum. In hac fide vixi, in eadem mori volo, atque utinam pro eadem.*

9. *Credo te DEUM ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum ab utroque procedentem. O credam & fruar semper, quia tu DEUS meus es, principium meum, & finis ultimus & mea æterna beatitudo.*

10. *Credo te DEI Filium pro mea salute carnem humanam induisse. Credo te passum pro me, & mortuum in cruce. Credo te DEUM, & Hominem in Sacramento mirabiliter existere. Credo hæc omnia, & alia, quæ de te docet Ecclesia, & credens adoro, & amo te.*

11. *Revela Domine oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.*

12. *O si fidem possem annunciare in universo mundo & omnes infideles ad DEUM convertere! quàm libenter id facerem; etsi propterea omnia tormenta sustinere deberem.*

13. *Utinam possem DEUS meus, omnium infidelium intellectibus in te credere, omnium affectu te amare, omnium viribus tibi servire.*

14. *Discedite à me omnes pessimi hæretici, filii diaboli & pestes animarum: vos detestor, & abominor, & cum Ecclesia DEI anathematizo.*

15. *Quæcunque docet fides, adeò firmiter credo ac si oculis ea viderem. Adauge Domine, & confirma fidem meam: hac enim duce securus ibo ad tribunal tuum, quacunque horâ me vocaveris, quia credo, & spero videre bona tua in terra viventium.*

Actus externi fidei *Ex thesaur. indefic. Blasii Palmæ.*

SPecialem pietatis sensum habe, & exhibe erga Christum in Eucharistia, expresso fidei actu circa venerationem hujus Sacramenti: ut ita saltèm ex parte, honos resarciatur, quem hæretici partim negant, partim convellũt. Quare subinde locum ubi Eucharistia asservatur, adibis religiosæ venerationis causâ: sacris benedictionibus, & supplicationibus publicis intereris, cùm solemni ritu sacra Hostia deferetur, vel adoranda proponetur, ob eandem causam Missam reverenter audies, cum licuerit; & frequenter ritè paratus mensæ Eucharisticæ accumbes. Ex eadem viva fide, & ob eundem finem nimirum ut hæreticis repugnes, speciali devotione Sanctos colito, festos ipsis dies ritè celebrato; eorum imagines etiam privatim in Oratorio religiosè honorato, reliquias & agnum DEI è collo gestato.

Ex simili fidei motivo indulgentiis lucrandis studiosè operam pones: & tum hoc, tum aliis modis defunctorum animas in purgatorio detentas adjuvabis.

Similiter aquam lustralem asservabis domi, quâ manè, vesperi, subindè ad ingressum egressumque te piè adspergas.

Sæpè orabis, aliaque bona opera repetes ad impetrandam à DEO conversionem tùm Hæreticorum, tùm Ethnicorum, sive per te, si quid in hoc genere possis, sive per eos, qui fidei propagandæ studio operam etiam in extero orbe navant.

Deniquè fronte exporrectâ, vultuque constanti fidem ac religionem Christianam, pietatemque profiteberis; quoties res, & tempus exigent. Quòd si fidem spiritualis ædificii basim succutiat dæmon (quod in morte præsertim efficere molitur) tu è contra; *Non disputo tecum, inquies, sophista diabole: quas argumentorum umbras obtendis fugio, detestor: securè credo, quòd unâ uniformique fide à Christo hucusque tot sapientissimi, sanctissimique viri crediderunt, tot ubique miracula confirmârunt: Credo inquam, DEO meo, cujus revelationem proponit mihi Ecclesia Apostolica, Catholica, Romana; Columna & firmamentum veritatis, cùm qua disputes, si velis: ego in ejus fide vivam, ac moriar: quod coram cælesti Curia, & omnibus hìc adstantibus protestor. Quare si per delirium verbum aliud, aut aliter sonans exciderit, indictum volo.*

volo. Adauge Domine mi, hanc fidem, & tu ipse responde pro me, quia vim patior. Hæc Palma.

Reliqua supple ex supra dictis in 1. 2. p. de praxi Actuum virtutis in universali, proportionata huc applicando.

SECTIO II.

De Oppositis Fidei.

PRimò opponitur fidei per Defectum nempe *Modica fides*, quæ in periculis facilè fluctuat, hæsitat, & dubitat; uti Matth. 14. Petro dicitur: *Modicæ fidei quare dubitâsti?* Item *Infirma*, quæ in tentatione vel probatione posita, deficit diffidentiâ, de quo in contra Roma. 4. dicitur: *Et non infirmatus est fide*: subinferturque: *in promissione DEI non hæsitavit diffidentiâ.* Item Opponitur *Mortua* seu *informis fides*, nempe quæ est non formata vitâ charitatis, nec operans per charitatem: de tali fide dicitur: *Fides sine operibus mortua est.* Sine operibus inquam non per dilectionem tanquam suam formam perfectis. Quia unumquodq; per suam formam operatur. Ergo hac deficiente, deficit operatio. Unde Apostolus ait: *Fides quæ per charitatem operatur.* Jac. 2. Galat. c. 5.

Contra dubiam seu modicam fidem. Eva quia, ut Rupertus asserit, dubia seu modica fuit in fide dicens ad serpentem: *Nè fortè moriamur*: hæc sua incredulitas occasio fuit audacioris transgressionis præcepti, ac consequenter infinitorum malorum in tempore & æternitate. Item Moyses ob venialem incredulitatem circa eductionem aquæ de petra graviter à DEO punitus, quòd nempe longissimi id est annorum 40. & molestissimi Ducatûs sui fructu & fine privatus fuerit, nimirùm non introduxerit populum Israel in terram fluentem lacte & melle. Ecce decretum DEI contra Moysen & Aaron: *Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in Terram quam dabo eis.* Petrus ob modicam fidem cœperat mergi, nisi recurrens ad Christi auxilium salvatus fuisset. Modicæ fidei arguuntur à Christo discipuli, qui timuerunt periculum submersionis in præsentia Christi. Timor quippe nimius parit fidem Modicam, hæc in DEUM fiduciam modicam. V. Corn. a lap. In Num. c. 20. Matth. 14. Matth. 8.

Jac. 2. *Contra mortuam, & infirmam fidem.* Quia teste D. Jacobo dicente: *Quid prodest fratres si fidem quis dicat se habere, opera autem non* In ca. 5. ad Galat. *habeat? nunquid poterit fides salvare eum?* Item. Fides mortua est fides dæmonum, quia & ipsi credunt & contremiscunt, nil tamen exinde boni operantur. Unde *S. Anselmus*: Fidem operibus D. Ber. Can. destitutam, vocat dæmonum, non Christianorum. *S. Bernardus.* serm. 24. Fides mortua est quasi cadaver exanime. Item *S. Chrysostomus.* S. Chrysost. in Epi: ad Roma. c. 2. Fides Christi si eam otiosè in corde tenes, non crescit, imò ad pereundum disponitur. *S. Magdalena de Pazis* in quadam extasi ita deflebat fidem frigidam Catholicorum, & perfidiam hæretico- In vita ejus. rum, hunc in modum exordiens: Et quid juvat fides, si quis in illa non facit profectum? Dissemines eam, dissemines eam, Verbum, vivam, ardentem in cordibus tuorum fidelium, calefactam & accensam in fornace cordis tui, ac infiniti amoris. Et ut fides tuorum fidelium ita conformetur illorum operibus; sicut & opera conformentur fidei. Ah mihi! Ah mihi! O quam multa latrocinia fidei! O Christianitas quàm multùm es diminuta propter schismata in tam multis locis contra fidem! Sed quare? ideò quia extincta est prima charitas. Tua fides Domine facit viam quam facit & sol: hìc oritur, & ibi occidit. Hìc consurgit, & ibi deficit. Et quod est signum quod hìc sol occidat? umbra peccatorum quæ videtur ubique.

Praxis modicam fidem augendi, infirmam roborandi. Est exercitium actuum fidei & fiduciæ in DEUM, illius actus habes supra immediatè positos, istius infra sub spe. Porrò fides mortua per exercitium actuum fidei, pœnitentiæ, charitatis, aliaque bona opera resuscitatur.

2do. Opponitur fidei *Tentatio circa eam, ac Dubia fides.* Cir- In libello ab ipsa scripto. cà tentationem in fide quid agendum accipe præclarum exemplum B. Catharinæ Bononiensis. Gravissimè tentabatur illa contra fidem, objicientibus dæmonibus dubia, tum de aliis Christi mysteriis, tum præsertim de Sanctissimo Sacramento. Fuitque ei tam molesta hæc tentatio, tantasquè ipsam in angustias conjecit, ut mente propemodùm excideret; ac licèt non consentiret, tanta tamen erat tentationis vis, ut sibi in consensum tracta videretur. Resistebat DEI famula, quàm poterat maximè, orationibus, pœni-

pœnitentiis, Sacramentorum usu, & cæteris sanctis exercitiis. Tandem cùm Divino auxilio hanc tentationem ex toto vicit, eaque victoriâ in anima sua quàm plurimum profecit, planè renovata, quia novâ quadam luce mysteria Divina cognoscebat, contemplabaturque, & magna cùm pace spiritualique lætitia eandem mirificè gustabat; & ex sanctissimi præsertim Sacramenti consideratione, usuque, tantùm Spiritûs, gaudiorumque hausit, quantùm verbis nequit explicari. Ad hunc modum tentationes contra fidem servis DEI sunt occasiones crescendi in eadem fide, & in omni virtute gratiaque, ac vitæ bonæ merita augendi; ad quem finem eas DEUS permittit & ordinat, ideoque servis suis ad eas vincendas tantos favores impertitur.

3tio. Fidei opponitur *Apostasia*, & *Schisma*: de quibus hæc *Seraphicus Doctor*: Schisma est illicita dissensio eorum inter quos unitas esse debet; vel illicitus ab unitate dissensus. Omnis hæresis est schisma, sed non convertitur. Hæresis est recessus à fidei veritate. Item differunt schisma & hæresis, nam hæresis addit pravum dogma: schisma contingit in fine aliquam hæresim. Post recessum enim ab unitate Ecclesiæ, sequitur inobedientia in Mandatis Ecclesiæ, in fine verò sequitur assertio, quòd non est obediendum Ecclesiæ. Triplex est Apostasia: scilicet *Perfidiæ*, cùm quis recedit à fide, ut Julianus Apostata: *Inobedientiæ*; cùm quis recedit à præceptis Ecclesiæ, & sic initium superbiæ hominis est apostatare à DEO: *Irregularitatis*; cùm quis recedit à Religione Claustrali, vel Clericali. Apostasia sic potest describi: Apostasia est temerarius à fidei statu, vel obedientiæ, vel religionis recessus.

S. Bonav. Centiloquii parte I. sect. 26.

Contra apostasiam, quæ est supra modum peccans peccatum, illud Apostoli accipe: *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, (gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, gustaverunt nihilominus bonum DEI verbum, virtutesq; seculi venturi; & prolapsi sunt) renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI, & ostentui habentes.* Ubi insinuatur pœnitentia impossibilis, id est valdè difficilis gravissimis & ingratissimis peccatoribus puta Apostatis: qui post tot insignia lumina & dona cœlestia à DEO accepta, post tot gratias & consolationes Spiritûs Sancti, post-

Epist. ad Hebr. c. 6.

V. Ansel. Lyr. Hugon. & alios. Corn. à lap. hic Comment.

postquam gustaverunt delicias DEI & futuræ vitæ, à DEO, à Fide, & agnita veritate, ad infidelitatem discesserunt.)) Ejusmodi inquam Apostatis moraliter impossibilis est pœnitentia, quia rarissimè & difficillimè tales convertuntur: quod experientiâ patet in Ecclesiasticis, & Religiosis, à fide & ordine deficientibus. Deus quippe exigente summâ ingratitudine & malitiâ talium, permittit eos magis ac magis obcœcari & obdurari, subtrahendo illis speciales & efficaces gratias, licèt sufficientes minimè deneget. Sciendum autem hæc dicta posse quoque intelligi de Apostasia ab ordine Ecclesiastico, vel Religioso, quâ aliquis revertitur ad seculum, etsi non deserat fidem, quia apostasia ut Cornelius à Lapide ait, habet peccatum ad mortem, de quo peccato Joannes idem ferè videtur sentire, quod & Paulus dicens. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, &c.* Peccatum enim ad mortem, ut docet S. Hieronymus, est quodlibet gravissimum peccatum, maximè quod ex malitia & obfirmato animo fit. Et talis est Apostasia à statu sacri Ordinis. Quibus autem gradibus fit prolapsus penè irreparabilis in Apostasiam ac gehennam ignis, supra visum est.

Ibidem.

Joan. c. 5.

Lib. contra Jovin:

In summa Theol. spirit. c. 4.

4to. Fidei opponitur *Infidelitas*, seu erronea fides: quæ juxta D.Thomam spectatur dupliciter. *Imò negativè*, dum scilicet aliquis nunquam audierit de vera fide, & talis infidelitas est magis pœna originalis, imò & actualium peccatorum, quàm culpa; neque propter eam sed propter alia peccata quis damnatur, juxta illud: si non venissem nec locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Alia infidelitas *contrariè* sumpta, quâ quis fidei sufficienter propositæ, ei (abductus persuasione humanâ, vel sensu carnis suæ) repugnat, vel eam contemnit, & talis infidelitas peccatum est.

V. D.Thom. 2.2 q. 10. a. 1.

Item accipitur infidelitas secundùm tres species. *Prima est Renitentia fidei nondum susceptæ*, & sic est Paganismus. *Secunda est Renitentia fidei Christianæ susceptæ in figura*, & hæc infidelitas est Judaismus. *Tertia est Renitentia fidei Christianæ susceptæ in manifestatione veritatis*, & ista est Hæresis. Spectatâ verò infidelitate secundùm errores in diversis, ita non sunt determinatæ infidelitatis species: quia errores possunt multiplicari in infinitum.

V. D.Thom. 2.2 q. 10. a. 5.

Ecclesi. 72. *Contra Infidelitatem* est I. *Ecclesias*: dicitur: Væ dissolutis corde

corde, qui non credunt DEO: & ideò non protegentur ab eo. *Vid. D. Thom. 2.2.q.1.art.3.*
Angelicus Doctor inquit: Peccatum infidelitatis est maximum peccatorum, quia eò peccatum est gravius, quò magis avertit & separat à DEO: Jam verò infidelitas maximè separat & elongat à DEO, quia nec veram DEI cognitionem habet. *Ita D. Thomas.* II. Ab infidelitatis effectibus quos in antiquis Philosophis & aliis incredulis enumerat *Apostolus*, nimirùm omne impietatis & iniquitatis genus, ita dicens: Quia cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis DEI in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium (propter quod tradidit illos DEUS in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis) qui commutaverunt veritatem DEI in mendacium: & coluerunt & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula Amen. Propterea tradidit illos DEUS in passiones ignominiæ. Nam fœminæ illorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos, turpitudinem operantes, & mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsis recipientes Et sicut non probaverunt DEUM habere in notitia: tradidit illos DEUS in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt: repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, DEO odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. *Hæc Apostolus.* *Epist. ad Rom. cap. I.*

Quantum ad Gentiles, Judæos, Hæreticos moderni temporis; an non his & similibus vitiis ut jumenta in stercoribus suis corrumpuntur?

L Nota

Nota Machometanorum Orbi tyrannis seu jugum Turcicum, fœdifragium, libido, &c. Nota Judæorum fraus, dolus, immunditia, &c. Nota Hæreticorum præcipuè avaritia, lascivia. Rationem dat Cornelius à Lapide: quia ubi non est fides, ibi non est gratia DEI, ubi non est gratia DEI, ibi non est castitas, sed omnis concupiscentia. Et passim apud novantes personat hoc axioma: Castitatem esse imposs ibilem (sed mentiuntur, quia cum gratia DEI est possibilis juxta Apostolum dicentem: Omnia possum in eo qui me confortat.) Quia verè Luthero & Hæreticis impossibilis est (utpote gratia DEI destitutis.) *Secundò*: Quia hæresis & infidelitas oritur ex superbia; superbiæ autem pœna est libido, sicut humilitatis præmium est castitas. Unde efficacissimum remedium ad castitatem est humilitas. Hæc enim justa est DEI ordinatio, ut si mens DEO, & iis quibus debet, se subdat, etiam sibi subditum habet corpus suum: sin DEO, DEIq; vicariis subdi nolit, etiam corpus sibi suum sentiat rebelle, ut pulchrè docet *Gregorius*: Sic, sic, inquit: elati justâ fuerant retributione feriendi, ut quia superbiendo se hominibus præferunt, luxuriando usque ad jumentorum similitudinem devolvantur; homo enim cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, &c. Justus ergò videt DEUS quòd mentem elevat, & idcircò permittit foras invalescere, quod deponat; ergò per humilitatis custodiam, servanda est munditia castitatis. Si enim Spiritus piè sub DEO premitur, caro illicitè super Spiritum non levatur, & contra; Unde & primus ille inobediens Adam, mox ut superbiendo peccavit, pudenda contexit.))

Cornel. à Lap. comm. in Epist. Rom. c. 1.

Phil. cap. 4.

Gregor. 26. moral.

Sed placet ad propositum in specie aliqua referenda hæresum nostri temporis Antesignanis in quod profundum malorum, eos demersit sua infidelitas.

De Luthero.

Lutheri perfidiæ exitiales fructus decerpe ex literis Serenissimi Principis D.D. Georgii Ducis Saxoniæ, Landgraphii Thuringiæ, Marchionis Misniæ, &c. ad Lutherum, datis Anno 1525. 28. Decembris; quarum tenor germanicè interfertus est Tom. 9. Wittenberg. in vita pag. 231. Latinè invenitur apud Ulenbergium in-

in vita pag.290. ſcribit itaque inter cætera hæc. Accedit quoq;, Wittenbergæ velut aſylum quoddam inſtituiſti, quo Monachi & Moniales, furtis infames confugiunt, & à te ſuſcipiuntur, poſtquàm Eccleſias & Monaſteria noſtræ ditionis expilârunt, ut Wittenberga ceu caſtrum quoddam ſit, aut commune perfugium Apoſtatarum ditionis noſtræ. Nec ullas unquàm Romanus Pontifex, Sanctisſimus Dominus noſter, indulgentias conceſſit, quas tanti æſtimes, quin majores deberi putes Wittenbergenſibus tuis, ob raptum ſacrarum Virginum, quas è monaſteriis noſtris ad te perduxerunt, qua de re nihil dubitamus. Interim in quas illæ miſerias & calamitates per te ſint conjectæ, quàm certo damnationis periculo expoſitæ, ſatis eſt manifeſtum. *Et infra.* Affirmare præterea poſſumus non admodum nobis curæ eſſe tuum Evangelium, cùm illud à ſummis Orbis Chriſtiani capitibus reprobatum non ignoremus. Hoc unum pro virili curavimus, ut ne à noſtris ſuſciperetur. Ut autem hoc caveremus, cauſam nobis dederunt mali fructus, quos ex eo proveniſſe conſtat: Non enim tu, vel quiſpiam alius negare poteſt, quin blaſphemiæ in DEUM, in venerabilem Euchariſtiam, in ſanctisſimam DEI Genitricem, omnesque Sanctos, ex tua Doctrina ceu fonte quodam promanârint. Per te enim tuosque diſcipulos renovantur veteres hæreſes, quas Eccleſia quondam anathemate notavit, honeſtus DEI cultus omnis, ad eum modum vaſtatur, ut à Sergii temporibus nihil ſimile factum conſtet. Jam verò quando plura ſunt admiſſa ſacrilegia, & inceſtus perpetrati, cum ſacris virginibus, quàm ab eo tempore, quo tuum iſtud Evangelium innotuit? Quandò plures in Magiſtratu auditæ ſunt ſeditiones, quàm ex Evangelio tuo prodierunt? Quandò ad hunc modum ſpoliatæ ſunt ædes ſacræ? Quandò furta, rapinæ plures contigerunt? Quandò Wittenbergæ tot fuerunt excucullati Monachi, & profugæ Moniales, quàm nunc ſunt? Quando maritis ademptæ ſunt uxores, aliisque traditæ, ut nunc ſub Evangelio tuo fieri videmus? Quandò plura commiſſa ſunt adulteria, quàm ab eo tempore quo tu ordinâſti, ut ſi mulier ſuo viro fæcundari nequeat, divertat ad alium, ab eoque ſuſceptam prolem marito educandam obtrudat? utquè viro vicisſim ad eundem modum agere liceat?

 Hos

Hos nimirùm fructus peperit tuum Evangelium, quòd cùm sub scamno delitesceret, in lucem protulisti. Et benè quidem illi nomen hoc indidisti, quòd sub scamno latuerit, atque inde sit à te productum. Bonum foret profectò, si etiam nunc sub scamno jaceret. Nam si quod alterum huic simile producas, nullum certè rusticum sub obedientia retinebimus. Si tale voluisset Evangelium CHRISTUS, non tam frequenter inculcasset illud: Pax vobis. Petrus etiam & Paulus non dixissent, obediendum esse magistratui. Igitur hi ipsi fructus in causa sunt, ut ab Evangelio doctrinaque tua vehementer abhorreamus. Interim Evangelio CHRISTI volente DEO, adhærebimus eique propugnando, corpus, animam, facultates, existimationem, omnia nostra lubentes impendemus; adjuvante nos DEI gratiâ in qua fiduciam habemus collocatam. *Et paulò post.* Licèt nos indigni simus, ad quos hujusmodi viri *id est qualis fuit Moyses ad Pharaonem missus, Samuel ad Saul Regem, Nathan ad Davidem, Joannes Baptista ad Herodem, Ananias ad Paulum, Philippus ad Eunuchum)* mittantur; Visitamur tamen ordinariè, DEO sit laus, per viros bonos, qui nobis DEI verbum annunciant unàque cohortantur, ut in Ecclesia Christi permaneamus. Hos sequimur, quantum per gratiam suam largitur DEUS. Quod si tuos Apostolos audiamus, qui plerique sunt Apostatæ, hanc certè doctrinam apud eos non invenìemus. Docemur enim quòd Apostatæ pervertunt Scripturam sacram, & ore perverso gradiantur, & Salomon eos describit, quod in te prô dolor! verum esse deprehendimus. *Et paulò infra:* Quia verò cor habes mulieribus addictum, ad nobilem illam te peccatricem adjungo, ex qua septem dæmonia Christus ejecit. Cum hac prosterne te ad Christi pedes, & ut idem faciat, Evam tuam hortare. Ita fiet per Dei gratiam, ut monachus à moniali rursus separetur, nec impedimento tibi sit illud: Quòd DEUS conjunxit, homo non separet. Tuum enim matrimonium non à DEO, sed ab inimico tuo sancitum est: Qui non est mecum, inquit Dominus, contra me est. Igitur quia uterque vestrum interposito juramento castitatem vovit, videte quam vobis ipsi libertatem ademeritis. Quid roboris habet oratio tua contra dæmonem non inquirimus.

mus.

mus. Certè quòd hactenus conservavit te DEUS, nec terra te cum Dathan & Abiron vivum absorbuit, vel ex eo deprehendas infinitam esse DEI misericordiam. Si verò perges ut cœpisti, nec quicquam de machinationibus tuis remittes, metuendum est, ne tarditas supplicii, pœnæ gravitate compensetur. *Hæc Orthodoxus Princeps.*

De Calvino.

Calvini, quæ origo, vita, doctrina, mors, paucis affero. *Calvinus (teste Vestphalo in Apologia)* è cujusdam Sacrificuli matre concubina natus, è fori tabula repentè Theologus, Regis Galliæ jussu ad mortem damnatus, regii magistratûs manus subdolè effugit. *Genebrard.) Prateolus* hæc inquit: Calvinistæ à Joanne Calvino nostri seculi summo hæresiarcha, Picardo natione, patriâ Novidunensi dicti sunt. Hunc à Patria sua ob vitæ improbitatem exulâsse scribit *Antonius Demochares de Missæ Sacrificio cap. 2.* Eundem noverunt (*inquit Joannes Racquerius libro de tentationibus*) inter dissolutos suæ urbis viros dissolutissimum, inter inconstantes & fœdifragos inconstantissimum. Emersit autem circa annum Domini 1534.

P. Kwiatkiew. in Fascino decep. 8. Prateol9 Marcossius de vitis, &c. Hæretic. Tit. Calvinistæ.

Et infra Prateolus ait: Certè Calvino homicidii crimen objecit Servetus, quòd cùm Symmystæ Genevenses ceu probrum suo Apostolo indignum elusissent, ille in responso ad articulos à Genevensibus sibi objectos constanter affirmat: Homicidam (inquit) dixi Calvinum verè, & Simonis Magi sectatorem. Nega te esse homicidam, & actis publicis probabo. Ad hanc criminationem Galvinus sua in refutatione ne gry quidem. Porrò Calvinus à fide apostata antea Canonicus Noviodunensis teste *Genebrardo*, qui contra sacros Canones Idelettam Buræam loco Parochiæ Pontis Episcopi assumpsit teste Beza in vita Calvini. Nota impudentia & scurrilitas in Luthero, Beza, Batavo, & similibus, patet in *colloquiis mensalibus Lutheri, versiculis Bezæ, & Oveni, & in floribus Calvinisticis.* Ubi nîl occurret ferè, nisi lupanar, lenones, stupra &c. adeò ut reclamet Erasmus in Epistola ad fratres inferioris Germaniæ: *Quæ malum ista Salacitas, unde tanta carnis rebellio in iis, qui se jactant agi Spiritu Christi?*

P. Kwiatkiewicz in Fascino decep. 8. Ibidem.

Quoad doctrinam Calvini quantis hæc blasphemiis pias aures

feriat horror est referre, vel paucas è multis. Itaque *blasphemat* Calvinus dum lib. 1. Instit: cap. 24. §. 14. ait: *Quod aliqui verbum DEI audire contemnant, ipsorum est pravitas, sed in hanc pravitatem à DEO adducti sunt.* *Blasphemat* idem, dum CHRISTUM Dominum insimulat vitiosæ perturbationis, stupiditatis, oblivionis salutis nostræ: Harm. in Matth. 26. 38. cùm tamen etiam Machometes in Alcoran. Azoara 29. dicat Christum fuisse omnis peccati expertem. *Blasphemat*, dum ait Scripturam non esse ex se certam, nec falsitatis expertem: lib. 1. Instit. cap. 8. §. 13. Cùm tamen juxta Paulum 2. Tim. 3. 16. *Scriptura omnis sit à DEO inspirata*, cui falsitas utpote veracissimo repugnat. Quid cum idem Calvinus *Harmon.* in Luc. tot peccata Beatæ MARIÆ Virgini imponit? Et in Luc. 11. 27. Edit: Gallica ait Christum pro nihilo ducere, quòd Virgo sit sua Mater? Quid cùm idem Sanctos tot scommatibus proscindit? Et tamen Calvinus tam blasphemus in DEUM, ac Sanctos audet de se dicere, quòd non ipse loquatur, sed per illum DEUS è cælo suam virtutem exercens: lib. 1. arbitr. contra Albertum Pighium.

Ibidem. Guilhelmus Reginaldus in Calvino-Turcismo ait: *Qui verè Calvinista est, vix abesse, quin Turca vel Atheus sit.* Cui adstipulatur Godefridus à Valle qui libellum scripsit de arte nihil credendi; in quo illud dixit. *Oportere prius Calvinistam fieri, qui Atheus esse volet.* Quod & illi ipsi contigit. Atque proinde non est mirum, quòd Valentinus Gentilis (qui fuit discipulus Calvini) sua dogmata probet ex Alcorano Turcarum teste Benedicto Aretio Bernensi Ministro libr. 1. & 3. Historiæ Valentini Gentilis.

Ibidem. Mors Calvini fuit, nempè (teste Hieronymo Bolseco in ejus vita) dæmonibus invocatis, blasphemans & execrans, insuper phthinasi consumptus, ut impius ille Herodes & Antiochus, infelicem efflavit animam, cùm antea totos quatuor annos, novem morbis diversis teste Bezâ miserè excruciaretur. Scilicèt ille fuit prædestinatus, & hæ illi blasphemiæ cælum apperuêre.

De Anabaptistis.

TErtia licèt primis duobus Draconibus Luthero, & Calvino pestilentior sit Hydra Anabaptistarum Secta, fœtus tamē est viperei

rei dogmatis Lutheri de Baptiſmo parvulorum, ut *ex Prateolo tit. Anabaptiſtæ*,& aliunde colligitur. Author Anabaptiſtarum Balthaſar Bacimontanus, vel aliquis alter, quisquis ille fuerit, profectò à primis principibus dæmoniorum informatum fuiſſe, infernalis eorũ doctrina probat. Docent enim inter cætera abſurda. 1. Negandum eſſe parvulis baptiſmum. 2. Publicum verbi miniſterium prohibent. 3. Dominationem ſpernunt, nec legitimæ poteſtati ſubjectos eſſe homines volunt. 4. Dicunt quamlibet mulierem obligatam eſſe ad coeundum cum quolibet viro eam petente: & contra eodem vinculo adſtringunt omnem virum ad tantundem reddendum cuilibet mulieri hoc ab illo petenti. Porrò variæ ſunt ſectæ Anabaptiſtarum, quarum hæ præcipuè numerantur: Adamitæ, Stebleri, Sabbatharii, Clancularii, Manifeſtarii, Dæmoniaci, Communia habentes, Condormientes, Ejulantes, Georgiani, Davidici, Monnonitæ, & Polygamiſtæ, &c. *Prateolus de vitis &c. hæretic.*

Praxis educendi, ac emergendi è barathro infidelitatis, ad verum lumen fidei *ſupra* ponitur. *In ſumma Theolog. ſpirit. c. 3.*

De Paganiſmo, Judaiſmo, Hæreſi, Atheiſmo.

DE ſpeciebus infidelitatis ſcilicet Paganiſmo Judaiſmo, tum Hæreſi, ac ejus differentiis, quibus nunc ſcatet orbis; obvii ſunt plures Authores & Doctores Sanctæ Eccleſiæ. Tum ſufficiat tibi ex ſupra allatis motivis credibilitatis, ſolam eſſe veram fidem in Sancta, Catholica, Apoſtolica, Romana Eccleſia: alias vero ſectas & ſynagogas eſſe falſas ac diabolicas, ducereque ad æternum interitum. Expedit autem breviter hic annotare, quid de iiſdem ſpeciebus infidelitatis Angelicus Doctor dicat: *Quanquam gentiles in pluribus errent quàm Judæi, & Judæi in pluribus à vera fide recedant quàm hæretici: ſimpliciter tamen Judæorum (qui Evangelii figuram ſuſceptam malè interpretando corruperunt) infidelitas gravior eſt quàm gentilium: hæreticorum autem (qui ſuſcipientes & profitentes ipſum Evangelium, illud corrumpunt) infidelitas eſt omnium graviſſima.* *D. Thom. 2. 2. quæſt. 10. a. 6.*

Porrò de Atheiſmo hæc accipe: *Atheiſmus eſt, quo aliquis negat eſſe verum DEUM vel ejus providentiam, juſtitiam.* Eſt autem Atheiſtarum quadruplex genus. Tres eorum differentias enu-

merat *Pater Paulus Zehentner* dicens: A Patribus communi quasi appellatione vocantur Athei tam qui nullum DEUM admittunt, quàm qui plures; aut etiam illi à quibus tametsi non negetur DEUS, negantur tamen in ipso aliqua ejus attributa, potentia, sapientia, providentia, & similia alia. Quo spectat illud Davidis: *Dixit insipiens in corde suo, non est DEUS.* Sive insipiens iste negaverit omnimodam alicujus Numinis existentiam, sive tantùm ejusdem regimen ac providentiam.))

Promontorio malæ spei lib. 7. §. 11.

Psal. 13. v. 1.

Addo quartum genus eorum, qui fatentur quidem se nosse DEUM, eumque credunt, & contremiscunt, factis autem seu pravitate operum vitæ suæ illum negant. Ad instar dæmonum, qui etsi credunt & contremiscunt, iniquè tamen agere non desinunt.

Contra Atheistas est. 1. quia Atheismus est profundum malorum. Delineat hoc barathrum S. David Rex post illa verba: *Dixit insipiens in corde suo, non est DEUS*; Dum ait: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum non est usque ad unum.* Et paulo infra: *Sepulchrum patens est guttur eorum, lingvis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sangvinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: Non est timor DEI ante oculos eorum.* Idem alibi? *Non est DEUS in conspectu ejus (id est impii) inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Ibidem: *Propter quid irritavit impius DEUM? Dixit enim in corde suo, non requiret.* Id est ad judicium & pœnas, scelera improborum. Tertullianus ait: De genere conversationis qualitas „ fidei æstimari potest. Doctrinæ index disciplina est, negant „ DEUM timendum. Itaque libera sunt illis omnia & soluta. „ Ubi autem DEUS non est, nec veritas ulla est; ubi veritas „ nulla est, meritò & talis disciplina est. At ubi DEUS, ibi metus „ in DEUM, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in DEUM, „ ibi gravitas honesta, & diligentia attonita, & cura solicita, & „ dilectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio „ emerita, & subjectio religiosa, & apparitio devota, & proces- „ sio modesta, & Ecclesia unita, & DEI omnia.) 2. *Pœnæ Atheorum.* Lucianum sophistam ipsi canes ulti sunt; quia hic homo Christi-

Psal. 13. v. 1. & sequent.

Psal. 9.

Tertull. lib. de Præscript. c. 43.

Christianorum infensissimus hostis, quotidie Numini impiè il- *Valer. Max. lib. 1. Joseph. lib. 2. contra Appionem Pollux. lib. 10. c. 24.*
lusit, illudque ut vanum, novis continuò Sarcasmis maledicentis-
simè irrisit; à canibus discerptus est: ut disceret ideo sibi inter
bestiarum dentes pereundum fuisse, quòd suos ipse contra DE-
UM strinxisset; audaciâ nunqnam excusabili, semper deflenda
temeritate. *Aliud.* Recentius illud est, quod aliquando me legere
memini. Doctis piisque viris in diversorio quodam cœnantibus *Paul. Zechentner promontor malæ spei lib. 2. §. 11.*
evenit, ut profanus Numinis contemptor, non tantùm risu exci-
peret, quos de cælesti vita sermones faciebant, sed subinde etiam
ludibrium hoc evomeret: *Cælum cæli Domino, terra autem filiis ho-
minum.* Illic verò repentè diris correptus torminibus cœpit altis- *Psal. 113. v. 16.*
simè vociferari *ô DEUS!* atque ut erat patulo gutture, boatu suo
replebat totum cœnaculum. Nactus opportunitatem qui aderat
homo probus; tune ait DEUM invocas? an philosophiæ tuæ
oblitus es? cur non in suo cælo finis DEUM quiescere? aut si
quoque Numen sentis, fatere ubique esse & nusquam impune il-
ludi DEO posse.)) *Aliud.* Princeps quidam duxit malam vitam, *Collector spec: P. Joan. Major soc. I. tit. Confessio.*
quem cùm hortaretur uxor ejus ad confessionem, dicebat.
Non possum confiteri, quia timeo quòd gravis pœnitentia dabi-
tur mihi, cui uxor: Et quomodo sustinere poteris pœnas inferni
quæ graviores sunt, quàm aliquæ pœnæ hujus mundi? cui ipse:
putas quod infernus sit? aut pœna aliqua, aut diabolus, aut vita
alia post vitam hanc? Sacerdotes enim ista invenerunt ut time-
antur: quæ videns quòd nihil proficeret circa eum dimisit in pace.
Quadam nocte cùm jaceret in stratu suo, dæmones venientes &
accipientes ipsum de loco suo, ad infernum portaverunt. Uxor
autem sua videns hoc, (quia sancta mulier erat) oravit DEUM, ut
sibi revelaret statum viri sui. Et ecce manè surgens, corpus viri
invenit quasi titionem denigratum; in manu literam, in qua scri-
ptum erat. Jam certificatus sum, quia infernus est: & timor
quem habui ad agendam pœnitentiam me illuc deportavit. *Aliud* *Vide infra sub Oppositis Di*v*. sapientiæ.*
Exemplum Leontii Atheistæ puniti morte crudeli & æterno exi-
tio, habes infra sub Pseudosapientia.

Praxis Convertendi Atheum; datur supra sub medio trans- *In summa Theol. spirit. c. 3.*
eundi ad statum supernaturalem.

Porrò ne quis in Atheismum peccatorum abyssum demer-

gatur, cavenda est 1mo Hæresis, quæ in Atheismum seu in nullitatem fidei adducit, ut sup. probatum est sub regula fidei. 2do. Cavendus Machiavellismus, cujus asseclæ *videntur tollere Divinam providentiam; & fortunâ, casu, calliditate, malitiâque humanâ mundum regi opinantur.* 3tio. Cavenda peccata, quibus sensim in tantam perniciem descenditur, & maximè voluptas, quæ facit quatenus voluptuari *credant ut sues, vivant ut sues, moriantur ut sues.*

Ribaden. lib. 1. de Princip. Christ. c. 10.

5to. Fidei opponitur *Fides secundùm Excessum*: dum quodpiam leviter, sine ratione, superstitiosè, ac præcipitanter creditur; sive etiam quando absolutè creduntur aliàs sub conditione credenda.

SECTIO III.

§ I.

De Blasphemia in DEUM, & Sanctos.

D. Thom. 2. 2. q. 13. a. 1. Busenbaum Medul. Theol. Moral. c. 3. t. 2. c. 1.

B*Lasphemiæ vitium ad infidelitatem eatenùs spectat, quatenus per illam homo corde, vel ore, secundùm intellectum, vel affectum,* DEO *tribuit, quæ ei non conveniunt.* Blasphemat item: qui in Sanctos, vel sacra contumeliosus est, intellige ut Sancti sunt, sive cum habitudine saltèm virtuali ad DEUM, ita ut moraliter hujus etiam honor censeatur tangi.

Motiva ad cavendam Blasphemiam hæc sunt. *1mum*; ex Scriptura, & SS. Patribus. *Reg.* Si peccaverit vir in virum, placari potest ei Dominus; Si autem in Dominū peccaverit, quis orabit pro eo. *Glos.* Omne peccatum blasphemiæ comparatum minus est. *S. Aug.* Flagellatus est Christus flagellis Judæorum, sed non minùs flagellatur blasphemiis falsorum Christianorum. *Glos.* Graviùs peccat contemptor sedentis in cælo Majestatis, quàm crucifixor ambulantis in terra paupertatis. *S. Chrysost.* Blasphemiâ pejus nihil. *S. Hierony:* Blasphemia veniam non meretur.

1. Reg. 2. Gloss. S. August. t. 10. in Joan. 2do Glos. Psal. 58. S. Chrysost. hom. 1. S. Hier. l. 7. c. 18.

2dum, A pœnis blasphemorum. Multum displicuerunt DEO blasphemiæ, quas dixerunt servi Sennacherib Regis Assyriorum, Unde percussit Dominus 184. Millia de exercitu ipsius. Arrius in Filium DEI blasphemus, effusis per secretiora ventris visceribus in Orcum transmigravit. Nestorius privans Deiparam Maternitate DEI, lingva ejus blasphema à vermibus corrosa fuit.

4. Reg. 19.

S. Gre-

S Gregorius Pont. narrat puerum quinque annorum consuetum blasphemare DEUM, â dæmone ê sinu Patris abreptum. *Quidam* in Martinum, & Martialem, Confessores Domini ore injurius, statim percussus à virtute Confessorum surdus & mutus effectus, amens est mortuus. *Lib. 4. Dial. c. 18. Gregor. Turon. lib. 4. Hist. Fran. 16.*

Praxis ad propulsandum blasphemiæ spiritum est. *1mo.* Comparare sibi ex meditatione de Divinis perfectionibus, Sanctorum prærogativis, & virtutibus, &c. sublimem DEI ac Divinorum, Sanctorumque æstimationem; eaque bona in DEO, & Sanctis ejus tenero amore prosequi. *2do.* Sequi exemplum *S. Magdalenæ de Paz*, quæ adeò gravi vexabatur blasphemiæ spiritu, ut etiam vivaciter in auribus ejus sonarent horrendæ contra DEUM blasphemiæ. Quod frequentiùs contingebat, dum debitas persolveret preces; in tantùm ejus auditum detestandis implendo susurriis, ut non solùm ejus diligens distrahi posset devotio (confestim enim contrarios his tentationibus faciebat actus, & execrationes illarum) verùm etiam summopere timebat, ne loco verborum orationis, aliquod blasphemiæ verbum eloqueretur; facultatem enim dicendi in ipsa impediebant. Unde non semel amaris lachrymis petiit â sororibus opem dicẽs: Ah! dilectissimæ Sorores; rogate pro me JESUM, ne loco glorificationis blasphemem ejus Majestatem. Igitur potenter & cum effectu gloriosæ victoriæ, assiduò resistebat Magdalena huic tentationi; corde contrarios blasphemiæ eliciendo in copia lachrymarum actus; ore iterando devotarum orationum verba; Laudabat incessanter, magnificabat sine fine, & sine molestia sui ipsius deprædicabat æterno honore dignissimum DEUM. *3tio* Contemnere sathanam ad blasphemias tentantem dicendo: *Vade sathana*: (quâ Christi voce ut experientiâ probatum est, graves & terribiles tentationes fuisse devictas.) Audi *beatum Joannem Climacum* dicentem: Qui blasphemiæ spiritu se perturbari sentit, atque eo liberari cupit, „ pro certo habeat non suam animam hujusmodi cogitationum „ esse causam, sed impurum illum spiritum, qui aliquando Do- „ mino dixit: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. „ Idcirco nos quoque contemnentes ipsum, & quæ ab illo dicun- „ tur, nihil æstimantes, securi & intrepidi dicamus: Vade post „ me *In vita S. Magdal. de Paz. Matth. 4. Clim. grad. 23.*

" me sathana; sermo autem dolusque tuus in caput tuum conver-
" tetur, & in verticem tuum blasphemia tua descendet in præsen-
" ti, & in futuro seculo. Qui præter hunc modum adversùs
" blasphemiæ spiritum pugnare vult, is ei similis est, qui manibus
" suis coruscationem continere nititur.)) *4to.* Considera infrà
stupenda patientiæ exempla, quibus non modò amovearis ab im-
patientia & blasphemia in tribulationibus, verùm potiús ad gau-
I. 2. tra. I. c. I. dium in iis, & gratiarum actionem pro iis. *5to.* Vide supradicta
sec. 4. subs. 2. & huc proportionatè applica.
§ 2. & 3.

§. II.

De Blasphemia in Spiritum Sanctum.

V. Corn. à lap. Com. in cap. 12. Matth. Citant: plures SS. Patres.

Blasphemia hæc, est peccatum, quo opera manifestè Divina & miraculosa, pia & sancta, in confirmationem veritatis facta, aliquis calumniatur, eaquè scienter ex malitia adscribit diabolo. Ratio est, quia tali peccato directè itur contra Patris & Filii bonitatem, amorem, & sanctitatem, quæ prædicata sunt propria Spiritûs Sancti. Cur

V. ibidem. autem hoc crimen blasphemiæ in Spiritum Sanctum dicit Christus esse irremissibile id est difficillimè remissibile in hoc & in futuro seculo? Quia Spiritum Sanctum blasphemare nomine Beelzebub est injuria in DEUM atrocissima, inexcusabilis, & planè veniâ indigna, quæ quãtum est ex se, abigit ab homine Spiritum Sanctum, à quo omnis justificatio & salus nostra. Ad eum modum, quo morbus incurabilis dicitur, qui medicinam cibumque respuit.

Hujus criminis, ut illi Pharisæi ex malitia, invidiaq; contra Christum, ita alii quoquè fiunt rei, qui sunt maligni, invidi, suspi-
Basil. reg. brev. I. 73. ciosi, de quorum numero an tu sis, vide & cave. Appositè *S. Basilius:* Ex ea blasphemia quam Pharisæi usurpârunt, (Matth. 12.)
" perspicuum est, eum nunc etiam blasphemare Spiritum Sanctum,
" hoc est detrahere Spiritui Sancto, quicunque effectus & Spiritûs
" Sancti fructus, adversario ipsius attribuit, quod peccatum in-
" currimus plerique nostrûm, qui in periculis strenuum sæpe nu-
" mero temerè appellamus ambitiosum, & ei qui justâ indigna-
" tione per zelum movetur, & eam re indicans, iracundiæ calu-
" mniam impingimus; & ad eundem modum alia iniquis adducti
" suspicionibus, ementitis nominibus, de aliquo dicimus.

Circa

Circa *Praxim* cavendi hujusmodi Blasphemiam, vide supra data. l. 2. tr. 1. c. 1. sec: 4. subs. 2. § 2. & 3.

SECTIO IV.

De Dono Intellectûs.

Donum intellectûs est Spiritûs Sancti munus, quo ea quæ sub fidem cadunt, V.G. Mysterium Trinitatis, Incarnationis, imperfectè; quæ verò ad fidem ordinantur, ut est tota Scriptura, etiam perfectè, intima Spiritualium rerum subtiliter penetrando, ab homine in præsenti vita cognosci possunt. Ita D. Thom. 2. 2. q. 8. a. 2. & q. 15. a. 2.

Gradus operationum doni intellectûs videtur D. *Bonaventura* comparare ad Matutinum, Meridianum, Vespertinum tempus diei sic loquens: 1*mo*: Igitur manè hujus luminosæ diei in mente humana oritur, quando per donum intellectûs ad nostra interiora revocati per lumen compunctionis, omnes tenebras peccatorum de lectulo conscientiæ abstergimus, ut dicamus cum Psalmista: *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, scilicet conscientiæ, ut post hoc ad claritatem per contemplationem manè surgamus. 2*do*: Post manè hujus diei luminosæ, horæ meridianæ claritas fervida oritur in mente ex dono intellectûs, quod pariter illuminat, & inflammat in sacra Scriptura, ad modum horæ meridianæ, dum eloquium Domini vehementer ignitum, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem spiritûs & animæ, secundum Apostol. manifestat. De claritate hujus meridiei, & radiis *Rich.* dicit sic: Jucunda sanè admodùm plaga est meridiana, à nimietate lucis & fervore diei, eò quòd dulce sit valdè & delectabile aspectui, contemplari beatorum spirituum ordines, hilarescentes in claritate & charitate. *Et sequitur infra*: In meridie illa scilicèt lucis & fervoris Scripturæ, contemplamur prœmia meritorum beatorum, gaudia civium supernorum, & arcana divinorum secretorum, & cætera hujusmodi. 3*tio*: Post horam claræ & fervidæ meridiei, hora vespertina succedit, in qua labor quotidianus terminatur, somnus contemplationis inchoatur, deliciæ nocturnales celebrantur. Somnus contemplationis inchoatur. Unde dicit anima contemplativa: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* *Gregorius* dicit; Vigilanti etenim

D. Bonavent. De 7. Don. c. 6.

Psal. 6.

Rich. lib. 5. de Contemp. c. 7.

Cant. 5.

Greg. in Ezech. hom. 14. post med.

corde dormit, per quod interiùs contemplando proficit, & ab inquieto opere foris quiescit. Deliciæ Spirituales post labores diurnos à DEO ministrantur per donum intellectûs; quia post sudationes boni operis, pervenitur ad lucem contemplationis, ut dicit *Hugo*. Unde in Job dicitur: *Quasi meridianus fulgor, consurget tibi ad vesperam.* Quod exponens Gregor. in Moral. ait: Consurget, quia quanta sibi claritas meridiana maneat cùm jam occumbere cœperit, post agnoscet, quia scriptum est: *Timenti Deum benè erit in extremis.* Hæc ille. Fulgor namque meridianus illuminat, & inflammat. Illuminatio pertinet ad cognitionem, inflammatio ad refectionem. Nam in charitate refectio est, quæ duo maximè faciunt ad delicias spirituales & vespertinas. *Hactenus D. Bonaventura.*

Hugo lib. 4. de claustro animæ c. 43. Job. 11. Gregor. lib. 10. Moral. c. 11. cir. med. Eccli. 1. c.

Motiva ad æstimandum, & sese disponendum pro operatione Spiritûs Sancti per donum intellectûs hæc sequuntur. 1*mum*: Effectus doni intellectûs est juvare in contemplatione Divinitatis, nempe mentem depurando à phantasmatibus & erroribus, ut scilicèt ea quæ de DEO proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantasmatum, nec secundùm hæreticas perversitates. Unde dicitur: *Beati mundo corde quoniam ipsi DEUM videbunt.* *D. Bonaventura* inquit: Donum intellectûs facit nos ad interiora nostra ingredi, dum menti inspirat, ut se ipsam primò cognoscere discat, & in hoc diligenter se exerceat, donec se videre quid sit incipiat. Item per donum intellectûs potest homo cognoscere, quòd est factus ad similitudinem DEI. Similiter per donum intellectûs homo in se regnum DEI innuit, cùm Dominus dicat: Regnum DEI intra vos est. Post hoc Spiritus Sanctus per donum intellectûs facit nos penetrare velamina Sacrarum Scripturarum, introducens nos ad claram contemplationē puræ veritatis. Deinde non solùm facit nos penetrare omnia velamina Veritatis incarnatæ, sed & velamina Veritatis increatæ. Item facit nos penetrare velamina veritatis Divinorum Sacramentorum.

D. Tho. 2. 2. q. 8. a. 7.

S. Bonaventura de 7. donis Spiritus S. c. 3. 4. 5.

2*dum*: Quia dono intellectûs correspondet fructus Spiritûs Sancti, qui est Fides seu fidei certitudo, tanquam ultimum potentiæ intellectivæ: ut verò fructus Spiritûs correspondet dono intellectûs tanquam ultimum quid & delectabile voluntatis,

est Gaudium. Fructus enim Spiritûs dicuntur ultima, & delectabilia, quæ in nobis proveniunt ex virtute Spiritûs Sancti.

3tium: Mirantes Judæi doctrinam Christi dicebant: *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?* Sciebat igitur Christus omnia, quà est Sapientia Patris: quà verò Homo, dono intellectûs penetrabat arcana DEI: Unde Isaias super eum *requiescere* insinuavit *Spiritum sapientiæ & intellectûs.* Apostoli quoque rudes & illiterati, utì Pharisæi *videntes Petri constantiam & Joannis, comperto quòd homines essent sine literis & idiotæ, admirabantur.* Ast *repleti Spiritu Sancto loquebantur magnalia* DEI, dono intellectûs rimantes Scripturas, & nobis ejus mysteria enunciantes. Et Apostolus ad Timotheum. *Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* *Joan. c. 7.* *Isa. 11.* *Actor. 4.* *Ibid. 2.*

Circa *Praxim* seu *Dispositionem* ad operationes Spiritûs Sancti per donum intellectûs, vide supra dicta de donis in genere. In speciali autem juxta *D. Thomam* Abstinentia & Castitas maximè hominem disponunt ad perfectiones intellectualis operationis. Unde dicitur Dan. 1. quòd pueris his scilicèt abstinentibus & continentibus, dedit DEUS scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia. Sicut è contra ex gula hebetudo sensûs oritur, quæ reddit hominem debilem circa intelligentiam spiritualium; & ex luxuria cæcitas mentis provenit, quæ quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit. Quia cùm juxta Philosophum unusquisque ea in quibus delectatur, optimè operetur, contraria verò nequaquam vel debilter; jam verò cùm per vitia carnalia Gulæ & Luxuriæ, quæ sunt vehementissimæ inter corporales delectationes, intentio hominis maximè applicetur ad corporalia, sequitur quòd debilitetur operatio hominis circa intelligibilia. Magis autem per luxuriam, quàm per gulam, quantò delectationes venereorum sunt vehementiores, quàm ciborum.)) Deinde assequitur homo augmentum & perfectam operationem doni intellectûs, dum id opere implet, quod intelligit, juxta illud: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in seculum seculi.* 1. 2. *tra:* 1. *sect.* 4. *subs.* 1. §. 10. *V.* D. *Thom.* 2. 2. *q.* 15. *a.* 3. *lib.* 10. *Eth.* *c.* 5. *&* 4. *Psal.* 110.

SECTIO V.

De Cæcitate Mentis.

V. D. Thom. 2. 2. q. 15. a. 1.

Lessius de perfect. Divin. lib. 13. c. 14.

COEcitas mentis opponitur dono intellectûs: est autem omnimoda privatio cognitionis spiritualium bonorum, causata ex aversione mentis ab intelligibilibus principiis, per quæ cognoscuntur eadem spiritualia. Et Lessius ait: Sita est *excoecatio* non solùm in *Subtractione Divinæ illustrationis*, sed etiam *in positiva judicii perversione*. Unde hæc duo ad illam requiruntur. Ratione prioris fit, ut salutaria (cœci) non intelligant, vel non apprehendant, saltèm eo modo quo apta sunt affectum movere. Itaque nequè ex concionibus, nequè ex colloquiis piorum, nequè ex lectione sacra fructum referunt. Ratione posterioris fit, ut perversè de rebus ad salutem spectantibus judicent, approbantes falsa pro veris, pestifera pro salutaribus, tenebras pro luce, mala pro bonis: & è contrario vera ac salutaria detestantes ut falsa & nocentissima, & lucem serenam ut tenebras cimmerias. De talibus dicitur Isaiæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*

Job. 4.
Deutor: 32.
Psal. 48.
V. D. Thom. 2. 2. q. 15. a. 1.

Motiva ad dissipandam caliginem cœcitatis spiritualis, hæc proponuntur. *1mum:* Ex Scriptura. *Job.* Quia nullus intelligit, in æternũ peribunt. *Deut.* Gens absq; consilio est, & sine prudentia: Utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent. *Psal.* Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Deinde juxta *D. Thomam*: Ejusmodi cæcitas, sive aversio, sive non intentio mentis ad dicta principia intelligibilia spiritualium, si est voluntaria juxta illud, *Psal.* 35. Noluit intelligere, ut benè ageret: Vel si per occupationem mentis circa alia, quæ magis diligit, ab inspectione eorundem principiorum avertitur juxta illud *Psalm.* 37. Supercecidit ignis scilicet concupiscentiæ, & non viderunt solem; utroquè modo peccatum est.

S. Bernardus Epistol. 18.

2dum: Cœcitas animi punitur per reprobum sensum, ita *S. Bernardus.* Heu sic adhærendo veritati per cognitionem, sed ab illa

illa defluendo per amorem, amando pro illa scilicèt vanitatem, homo vanitati similis factus est. Et quid vanius quàm diligere vanitatem? & quid iniquius, quàm contemnere veritatem? quid verò justius, quàm contemptoribus subtrahi & ipsam cognitionem? Quid inquam justius, quàm ut jam de ejus cognitione gloriari non possit, qui cognitam non glorificavit? Itaquè appetitus vanitatis est contemptus veritatis, causa nostræ cæcitatis. Et quia non probaverunt (inquit) DEUM habere in notitia: tradidit illos in reprobum sensum. Ex hac ergo cæcitate descendit, quòd plerumquè pro eo quod est, amamus vel approbamus quod non est, quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur ab eo qui summè est.

3*tium.* Cæcitas mentis plurium & gravium est causa peccatorum juxta illud *Prov*: Via peccatorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. Vel juxta Vers. Chald. Via seu vita impiorum caligo, nesciunt in quod impingant. Quod explicans *Cornel. à Lapide* inquit. *Imo.* Hæc caligo sita in errore practico, quo peccatores dum peccant, judicant hìc & nunc peccatum præferendum esse virtuti. Gulosus enim sibi dicit in mensa delicata: Hic meliùs est mihi explere meam gulam, & ventrem cibis suburrare, quàm iis temperare, geniumque fraudare. Iratus dicit: Satiùs est mihi, & jucundiùs vindicare meam injuriam, eumque, qui me læsit, ferire, quàm parcere & noxam condonare. *II.* In imprudentia, quia qui passionis æstu agitur, non considerat locum, tempus, personas, aliasque circumstantias, quæ eum metu ac pudore afficere, ac à peccato revocare possent. *III.* In improvidentia, quia non prospicit finem, ac pericula, & damna ipsi ex peccato obventura, v.g. periculum sanitatis, vitæ, & gehennæ, quod sibi accersit. Aviditas enim & passio gulæ, veneris, honoris, eum excæcat & obtenebrat, ut ista non consideret, non videat: quo fit, ut perinde ac homo in nocte & tenebris ambulans, in lapides & scopulos tum culpæ, tum pœnarum impingat & corruat, & quandoquè præceps in fossam & necem ruat: subinde anceps hæreat & nesciat quo pergere debeat, sed palpans & manu tentans viam perquirat. Porrò hæ tenebræ per continuos peccatorum actus crescunt, donec hominem totum excæcent; ut ultro ruat in suam perniciem & gehennam. Unde S. Augustinus in Psalm. 138. *Cùm peccant* inquit, *tenebræ sunt: & cùm insuper non confi-*

Comment. in Proverb. c. 4. vers. 19.

confitentur peccata, sed ea defendunt, tenebrant tenebras suas. Has tenebras repræsentavit plaga tenebrarum Ægypti, quæ tantæ fuere, ut essent palpabiles, de quibus dixi Exodi 10, 22.

De perfect. Divin. lib. 13. c. 14.

4tum. Excæcatio & ex ea sequens obduratio juxta *Lessium* est extrema & maxima pœnarum hujus vitæ, & maximè formidabilis, ut quæ ordinariè post se trahat æternum exitium, & illud gravissimum. *Et infra. Excæcationem* sequitur *obduratio*: quod enim excæcatio est in intellectu & judicio, hoc obduratio est in voluntate & affectu. Nam quemadmodum ex illuminatione Divina sequitur in voluntate promptitudo quædam ad obsequẽdum DEO, & amplectendum quod ille inspiraverit: ita ex mentis cæcitate sequitur durities quædam & obstinatio in malo, per quam salutaribus monitis & Divinis inspirationibus resistitur: quamvis & in ipsa excæcatione obduratio quædam intrinsecè contineatur, quatenus quis affectum adversus veritatem obdurat, nullis rationibus aut declarationibus locum relinquens. Consistit obduratio in firma & obstinata affectûs ad aliquod malum, propter speciem quandam boni, adhæsione, quâ fit ut neque externis monitis, neque internis inspirationibus, neque flagellis, neque promissis dimoveri possit, sed velut saxum se ad omnia obduret, & impenetrabilem præstet, nisi majore quadam vi Divinitùs impellatur. De his dicitur Ecclesiastæ 7. juxta multorum interpretationem: *Considera opera DEI, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* & Job. 12. *Si destruxerit, nemo est qui ædificet: Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* Quibus verbis summa difficultas indicatur, quâ tales convertuntur; & raram quandam singularemquè DEI opitulationem esse ad hoc necessariam.

Lessius de perfection. Divin. Lib. 13. c. 14.

5tum. Ab exemplis Judæorum & Hæreticorum. Unde *Lessius* inquit: Hanc cæcitatem mentis videmus manifestè in Judæis, & in nostris Hæreticis. Cùm enim tota Scriptura clarissimè ostendat Christum eâ specie & formâ, qua Evangelistæ eum descripserunt, & ejus regnum, ut modò floret; Judæi tamen non agnoscunt, sed illum apprehendunt ut impostorem, ejus miracula ut opera sathanæ, ejus doctrinam ut blasphemiam, ejus religionem ut superstitionem. Simili modo hæretici, etsi certissimis notis vera Christi Ecclesia, tanquam civitas supra montem posita

pôsita omnibus considerare volentibus sit conspicua; ipsi tamen eam pro tali non agnoscunt, sed sathanæ synagogam reputant; & Christi Vicarium conspiciunt ut Antichristum, Sacrificium Missæ & cultum Sanctorum ut execrabilem Idololatriam, Sacramenta ut vacuas ceremonias vel inventiones humanas, purgatorium & indulgentias, ut figmenta Sacerdotum ad quæstum comparata, vota Monastica ut superstitiones, bonorum operum merita ut justitiam Pharisaicam, & aliia hujusmodi plena delirii & insanæ mentis. Sicut enim ob perversam organorum dispositionem fit, ut quis amicum concipiat, ut inimicum, & candidum, ut rubrum vel fuscum, & dulcia tanquam amara, & pulchra tanquam distorta; sic ex prava dispositione animi & phantasiæ accidit, ut quis pessimè de rebus ad salutem pertinentibus judicet.

Praxis ad abigendas cæcæ mentis tenebras, est tollere causas hujusmodi cæcitatis: ablatâ enim causâ, cujus influxu continuò indiget effectus, cessabit & ipse effectus. Porrò causam cæcitatis & obdurationis spiritualis triplicem etsi non eodem ordine assignat *Lessius*: *1ma* causa est *Malitia Hominis* juxta illud: Excæcavit illos malitia eorum. Quia nimirum se ipsum homo voluntariè excæcat, non solùm meritoriè per peccata prævia (propter quæ privatur illustratione Divinâ, & permittitur illusioni diabolicæ) sed effectivè & proximè: quod fit dupliciter. 1. quatenus consentit in noxias passiones odiorum, & cupiditatum, quibus excæcatur, easque in se fovet. 2. quatenus ob levem aliquam ratiunculum vult pertinaciter inhærere anticipatæ apprehensioni; & ea quæ illi adversantur, recusat considerare & excutere: nimirum sic se sponte avertens à lumine veritatis, & eligens tenebras. Etsi enim diabolus magnam in phantasiam eorum, qui excæcantur, potestatem habeat; non tamen eam ita perturbat (DEO id permittente) ut usus rationis penitus impediatur, sive ut non possit advertere se parùm solidè procedere, alioquin nec in ipsa excæcatione, neque in iis quæ per mentis cæcitatem faciunt, peccarent; quod scripturis manifestè repugnat: sed eatenus duntaxat, ut non sine magna difficultate rectè & prudenter in eo negotio, in quo excæcati dicuntur, rationis lumine uti possint. Itaque consensus in errorem, & pertinax adhæsio, est adhuc libera: similiter aversio animi à consideratione & examine veritatis

Lessius de perfection. Divin. Lib. 13. c. 14.
Sap. cap. 2.

omnino libera permanet. *Hactenus Lessius.* Hæc itaque Malitia excæcans tollitur per seriam sui ipsius recollectionē, & sui miseri statûs cognitionem, tum pœnitentiā de peccatis, ac mortificationem passionum maximè pertinacis superbiæ, fortemque inclamationem Divini auxilii sicut ille cæcus Evangelicus prohibentibus se ut taceret: *Multò magìs clamabat. Fili David, miserere mei.* Et: *Domine, ut videam.* Deinde cæcitatis causam S. Thomas ex D. Gregorio assignat Luxuriam. Cujus rationem supra dedimus sub Dono intellectûs.

Luc. 18.

D. Thom. 2. 2. q. 15. a. 3.

2da causa juxta eundem Lessium est Subtractio Divini luminis, quod DEUS ab indignis & ingratis justo judicio subducit: cùm enim *Lux venit in mundum, dilexerunt magìs homines tenebras quàm lucem.*) Hæc causa tollitur per affulsionem frequentiorem & intensiorem Divinorum radiorum in mentem humanam: quæ affulsio accipitur sublato obice peccatorum.

Johan. 3.

3tia causa est diabolus, qui sex modis judicia hominum pervertit. 1. est; interiùs concitando humores & spiritus, unde fit, ut imaginatio longè aliter res apprehendat quàm revera sunt, ut patet in phreneticis, & melancholiæ morbo affectis: maximè enim imaginatricis apprehensio ab humorum & spirituum qualitate & commotione pendet. Sic efficit in hæreticis ut cultum Eucharistiæ, & Sanctorum, firmiter apprehendant & judicent esse abominandam idololatriam. 2. est: avertendo mentem à consideratione eorum, per quæ posset instrui, & veritatem assequi. Sic diabolus semen verbi Divini in terram humani cordis seminatum aufert, juxta parabolam Evangelicam Lucæ 8. mentem ad alia divertendo. Simili modo facit ut libros Catholicorum non legant, vel si legant, non expendant. 3. est: excitando in homine varias passiones, præsertim cupiditatis & odii, quæ maximè rationis judicium perturbant, ut experientia docet. Sic odio Christi, scribæ & Pharisæi ipsius doctrinam repudiârunt, nec innumeris miraculis, quæ & ante Christi mortem, & in morte, & post mortem viderunt, neque Scripturis evidentissimis converti potuerunt. His tribus modis utitur diabolus passim cum hæreticis, & facit ut levissimæ conjecturæ, & aperta sophismata, quæ sunt contra Doctrinam Catholicam, videantur illis clarissimæ demonstrationes: & è contrario, perspicuæ demonstrationes, quas

Lessius ibidem supra citatus.

quas Catholici contra eorum errores adferunt, appareant nullius momenti, & sophismata mera. Rursus & Sanctorum Patrum in Sacram Scripturam interpretationes, reputent inventiones humanas, suas verò imaginationes apertum Scripturæ sensum, & ipsam veritatis medullam. Denique tanta in plerisque in Religionis negotio est judicii perturbatio, ut dum aliquid ex fidei principiis apertè concluditur, vim & consecutionem formæ syllogisticæ, quæ tamen lumine naturali est perspicua, non capiant, ut sæpe non sine admiratione & animi dolore adverti. 4. est; per varia visa aut verba interiùs phantasiæ objecta, sive in somnis, sive in aliqua mentis à sensu alienatione, quæ videantur esse revelationes. 5. est; per exteriores apparitiones, vel signa sensibilia à dæmone ad aliquid homini persuadendum objecta. His duobus modis non utitur passim cum omnibus, sed potissimùm cum primariis quibusdam suis amicis, & electis organis, quales sunt Hæresiarchæ, & hæreseon Ministri, Pseudoprophetæ, & Pseudoapostoli novi Evangelii; Anabaptistæ quoque Swenekfeldiani huic deceptioni modò valde obnoxii. 6. est; per præstigias & falsa miracula, quibus homines potissimùm extremis temporibus seducentur.)) *In Locum igitur Tenebrionis expetendus est à DEI Angelus lucis, qui cohibeat astutias sathanæ, & Sanctis illustrationibus motibusque piis assiduè incitet ad omne bonum.*

SECTIO VI.

De Hebetudine Sensûs.

H*Ebetudo sensûs* opponitur Dono intellectûs, sita in debili perceptione & consideratione bonorum spiritualium: seu „ dum aliquis ad cognoscendam veritatem rerum spiritua- „ lium pertingere non potest, nisi per multa ei exposita, & tunc „ etiam non potest pertingere ad perfectè considerandum omnia „ quæ pertinent ad rationem rerum Spiritualium. „ *D. Thom. 2. 2. q. 15. a. 2.*

Stimulos, cavendi hebetudinem sensûs ejusmodi accipe. *D. Thom. 2. 2. q. 15. a. eodem*
imus. Habet hebetudo mentis, rationem peccati, inquantùm est voluntaria, ut patet in eo qui affectus circa carnalia de spiritualibus

libus subtiliter discurrere fastidit vel negligit. *2dus.* Hebetes sunt duri & asperi: Hinc dicitur: *Intellectus bonus dabit gratiam, & via mentientium dura:* vertit sicque explicat *Cajetanus.* Qui bono intellectu docilique ingenio pollet, hic gratiosus est, id est, benevolus & beneficus in alios: qui verò duro & hebeti est ingenio, (quales hic mentientes vocantur) ipsius via, id est, vita & mores sunt duri & asperi.

3tius. Hebetum indigna & asinina est natura. Prov.21. *Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.* Supra quod *Cornel. à Lap.* inquit: stultum & stultitiam accipe Tum physicè, puta indocilem & hebetem, vecordem; Tum ethicè, puta imprudentem, improbum, sceleratum, obduratum: nec enim hebes doceri potest, esto eum fustibus contundas; nec obduratus molliri potest, esto plagis eum conteras. Huc faciunt sententiæ Sapientum: Quid prodest asino hinnitum doceri, num propterea rudere non se sinet? Petrarcha Dial. 41. Sic habe, inquit, omnes, qui sunt, & qui erunt, aut fuerunt virtutibus clari, non posse ullum ingenium accendere, nisi aliquæ intus in animo scintillæ sint, quæ præceptoris spiritu excitatæ & adjutæ, generosum disciplinæ fomitem arripiant; alioquin algidum in cinerem flabis. Huc spectant Paremiæ: Æthyopem dealbas, suem doces, caput cerebro vacuum erudis, mens non est centauris, &c.

Corn. à Lap. in Proverb. Salomon. cap.27.

Praxis ex hebete fieri docilem. *1mo.* Humiliter DEUM precari cum Salomone: *Domine DEUS dabis servo tuo cor docile, ut possit discernere inter bonum & malum.* *2do.* Tribulationes ferre patienter ad emendationem vitæ juxta illud: *Tantummodò sola vexatio intellectum dabit auditui.* Non verò imitandi illi de quibus questus est Dominus: *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* *3tio.* Conatus & frequentatio poliendi ingenium in discendis sacris doctrinis. Quippe ut vulgò dicitur:

Reg.3. cap.3.

Isai. c.28.

Jerem. c.2.

Gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo
Ita homo fit doctus, non vi, sed sæpe studendo

Expertus id in se ipso *S. Isidorus* Archiepiscopus Hispalensis, qui ob suum hebes & durum ingenium cogitârat derelinquendis studiis, & ecce ex consideratione sulcorum in lapide excavato-

cavatorum, non tam vi aliquâ quàm ex frequenti decursu aquæ, denuò resumpsit animos ad poliendum suum ingenium frequentiâ studendi. Unde nemo illo ævo doctior Isidoro in Hispania fuit: quin & ei debeat Gymnasia, Academias, virosque doctos, utpote qui ejus fuere discipuli, vel asseclæ, & æmuli. Advertant hæc Cathechistæ rusticorum, rudiumquè hominum, quibus juxta Arist. *Natura dimidium mentis duntaxat dedisse videtur.* Tum superiores considerent illud: *Novit justus jumentorum suorum animas.* Prov. c. 12. Ubi *Beda* ait: Justus compatitur & miseretur hebetudini & fragilitati sibi commissorum. 4to. Tollatur causa hebetudinis, quam dicit *S. Thomas* esse Gulam: de quo supra vidimus sub Dono intellectûs: Hinc proverbium: *Pingvis venter, non parit subtilem sensum.* 2. 2. q. 15. a. 3.

SECTIO VII.

De Dono Scientiæ.

D*Onum scientiæ Spiritûs Sancti est, quo homo per causas secundas certum & rectum judicium habet de rebus Divinis, ac de rebus creatis, discernendo credenda à non credendis, & agenda à non agendis: Sicut intellectûs donum DEI est, quo eadem proposita sibi sanè capit.* Et hæc est Scientia Sanctorum, de qua dicitur Sap. 10. Justum deduxit Dominus per vias rectas: & dedit illi scientiam Sanctorum. Et *S. Bernardus* inquit: Scientia Sanctorum est hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum. Et in contrarium scientia malorum relabitur. Alia est scientia mundi quæ docet vanitatem, & alia est scientia carnis quæ docet voluptatem. D. Tho. 2. 2. q. 9. per totum. S. Bern. serm. 36. in Cant.

Gradus Scientiæ *S. Bonaventura* refert ad similitudinem temporis Matutini, Meridiani, Vespertini. 1. Itaq; manè hujus diei (*Spiritualis in anima*) causat donum scientiæ, dum se extêdit ad lumê scientiarû aquisitarum per studium ac doctrinâ, quæ scientiæ licèt sint quædam lumina, tamen sunt obscura. Quia sicut dicit *Hugo* in prologo super Librum Angelicæ Hierarchiæ, Philosophis, vel Sapientibus mundi datum est, veritates aliquas invenire propter nos, quibus consummatio servabatur. Unde invenerunt veritatem illam, quam oportuit suscipere filios vitæ, ad obsequium S. Bonaven. de 7. donis Spiritûs S.

summæ Veritatis. Illis labor appositus est, nobis autem fructus servabantur. Ipsi arcana sapientiæ non noverant: quia conditorium thesaurorum scilicet incarnatum JESUM, non noverant, sed naturali documento solo utentes, lippienti acie lumen nubilum, & ambiguum adduxerunt, propterea erraverunt, & evanuerunt, cùm mente transire vellent ea, quæ eis concessa sola fuerant nosse.

II. Donum scientiæ extendens se ad lumen Sacræ Scripturæ, & ad credibilia, causat in anima horam meridianam diei Spiritualis. Nam lumen horæ meridianæ clariùs illuminat, & vehementiùs inflammat. Unde *Gregorius* dicit sic: Quamvis omnem scientiam atque doctrinam, Scriptura Sacra sine aliqua comparatione, transcendat, ut taceam, quòd vera prædicat, quòd ad cælestem Patriam vocat, quòd à terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis inuitat, quòd dictis obscurioribus exercet fortes, & parvulis humili sermone blanditur, quòd nec sic clausa est, ut pavesci debeat, nec sic patet, ut vilescat, quòd usu fastidium tollit, & tantò ampliùs diligitur, quantò ampliùs meditatur, quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus verò sententiis levat, quòd aliquo modo cum legentibus crescit, quòd ab avidis lectoribus quasi recognoscitur, & cum doctis semper nova reperitur. Ut ergò de rerum pondere taceam, scientias tamen omnes atque doctrinas, ipso etiam locutionis suæ more transcendit. Hæc ille. Sic ergò donum scientiæ per lumen Sacræ Scripturæ, animam illuminat & inflammat ad modum lucis meridianæ, ut dicatur de ea illud Isaiæ: Sicut Lux meridiana clara est.

Gregor. lib. 20. Moral. c. 1.

Isa. 18. c.

III Donum scientiæ se extendens ad lumen scientiæ moralis, & ad agibilia, facit horam vespertinam in die spirituali animæ, quæ est hora quietis, & terminus laboris: Exibit enim homo manè ad operationem suam, usque ad Vesperam, ait Psalmista, sic donum scientiæ notificans homini rectum judicium circa credenda, ipsum quietat, dum eum in veritate stabilitat. Sed & laborem minuit, & quasi terminat, dum eum gaudenter operari facit, quia finis laboris quietem æternam ei piè ostendit. *Hæc S. Bonaventura.*

Psal. 103. c.

Motiva donum scientiæ appretiandi, ad illudque sese dispo-

ſponendi hæc proponuntur. *Imum.* Donum ſcientiæ diſponit ad
conſolationem Spiritûs S. in hunc modum *à Divo Aquinate* relatum: [*D. Tho. 2.2. q. 9. a. 4.*]
Nimirum dono ſcientiæ reſpondet tertia beatitudo nempe: Beati
qui lugent. Quia per donum ſcientiæ habendo rectum judicium
de creaturis, innoteſcit homini damnum, quod occaſione creatu-
rarum incurrit, dum ſcilicèt avertit ſe à Summo Bono, & conver-
tit ad infimum bonum: quod damnum cognitum movet ad lu-
gendum, luctus autem meretur conſolationem.

IIdum, Juxta *D. Hieronymum:* Diſcamus in terris, quorum [*Epiſtol. 103. ad Paulin.*]
ſcientia remanebit in cælis. Valde enim indignum eſſet, quòd
tantùm laborarem circa ſcientiam & virtutes, ſi deſinerent eſſe in
morte.

IIItium. Donum ſcientiæ juxta *S. Bonaventuram* convivan- [*D. Bonavent. de 7. donis Sp. Sancti. c. 3.*]
tes (ſpiritualiter) multipliciter reficit, per ferculorum diverſorum
delicioſam exhibitionem, quæ in ſcientia Sacræ Theologiæ occul-
ta oſtendit, & convivantes illuminando, guſtare facit. Unde
Gregorius in Moralibus exponens illud Job. Tunc ſuper Omnipo- [*Gregor. lib. 16. Moral. c. 9. in principio.*]
tentem deliciis affluens, dicit: Super Omnipotentem deliciis af-
fluere, eſt in amore illius Sacræ Scripturæ epulis ſatiari. In
quibus nimirum tot delicias invenimus, quot ad profectum no-
ſtrum intelligentiæ diverſitates accipimus: ut modò nos nuda
paſcat hiſtoria: modò ſub textu literæ velata nos reficiat medul-
litùs, allegoria: modò ad altiora ſuſpendat contemplatio anago-
giæ, in præſentis vitæ tenebris, jam de lumine æternitatis inter-
micans.

IVtum. DEUS ſcientiarum Dominus eſt. Et Chriſtus JESUS, [*1. Reg. 3.*]
in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. [*Coloſſ. c. 2.*]

Praxis. Circa Donum ſcientiæ videantur ſupra data ſub [*1. 2. tra. 1. ſect. 4. ſubſ. 1. §. 10.*]
donis in genere. Jam verò in ſpecie pro conſervando & benè
utendo ſcientiæ dono ſervit humilitas & charitas, aſſertore *D. Gre-* [*S. Gregor. in Moral.*]
gorio, qui ait: In omne quod ſcit ſe mens deprimat, ne quod vir-
tus ſcientiæ congregat, ventus elationis ſpargat. Sancti viri ut [*Idem hom. 7. in Evangel.*]
humilitatis in ſe virtutem cuſtodiant, cùm quædam mirabiliter
ſciunt, illud ante mentis oculos ſtudent revocare quod neſciunt:
ut dum ex parte alia infirmitatem ſuam conſiderant, ex ea parte
quâ perfecti ſunt, eorum ſe animus non extollat. Scientia enim

virtus eſt, humilitas etiam cuſtos virtutis. Et *S. Bernardus* inquit: Cibus indigeſtus & qui bonam non habet concoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, non nutrit: ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, qui eſt memoria, ſi concocta igne charitatis non fuerit.

S. Bern. Serm. 36. in Cant.

SECTIO VIII.

De Oppoſitis Dono Scientiæ.

OPpoſita dono ſcientiæ ſunt *Imo Pſeudoſcientia*, quâ aliquis non modò naturalibus verùm & Sacris Theologicis ſcientiis utitur ad faſtum ſuperbiæ, & lucra avaritiæ, &c. Vel etiam dum in mera ſpeculatione hæret, nec ad piam praxim prorſus ordinat. De quo Apoſtolus: *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Et: *ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Divus autem *Bernardus* ait: Sunt qui ſcire volunt tantùm, ut ſciant, & curioſitas eſt. Sunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & vanitas eſt. Sunt qui ſcire volunt, ut ſcientiam vendant, & turpis quæſtus eſt. Sunt qui ſcire volunt, ut ædificent, & charitas eſt. Sunt qui ſcire volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt. *Idem* in quodam loco ſuper *Cant.* Scientia quædam eſt ſecularis, quædam inebriat non charitate, ſed curioſitate, implet non nutrit, inflat non ædificat, ingurgitat & non confortat.

1. Cor. cap. 8. 2. Tim. cap. 3. Bern: Sermon. 36. in Cant.

II. Oppoſitum ſcientiæ per exceſſum: Eorum verò eſt, qui avidiores ſcientiarum, indiſcretè caput & ſanitatem graviùs labefactant; Preces, Miſſæ ſacrificia, aliaque Spiritûs exercitia vel negligenter perſolvunt, vel prorſus negligunt. Unde Divinitùs quibuſdam Religioſis dictum: *Plus ſpiritûs, quàm literæ.* Contra hunc exceſſum in ſcientiis vide alibi fuſiùs dicta.

V. in Prælimi-naribus, & de Curioſitate.

III. Scientiæ *per defectum* opponitur *Ignorantia* DEI, & rerum ſalutarium. De qua Ignorantia in infidelibus, actum eſt ubi de infidelitate, & expreſſiùs illuſtrabitur ex dicendis. Porrò ignorantia aliquando eſt peccatum, aliquando non, aliquando cauſa peccati formalis, aliquando ſolùm materialis. De qua ſuccinctè & lucidè *Dobroſielſcius* dicens. Peccatum ex ignorantia tribus modis accidit, *aut* videlicèt ex ignorantia omnino involun-

In Summario Theolog. Aſcet. & Myſt. tr. 5. diſt. 3. a. 2.

taria, *aut* ex ignorantia omnino voluntaria, *aut* ex ignorantia partim voluntaria partim involuntaria. Hæc autem ignorantia *vel* est *juris*, vel *facti*, vel *poenæ*. Unde ignorantiâ *juris* peccatur, quando contravenitur alicui præcepto legis æternæ, quod non putatur ejusmodi esse, aut nescitur tam strictè obligare. Ignorantiâ *facti* peccatur, quando adest scientia ac notitia legis; sed ignoratur factum quod dictâ lege prohibetur, ut dum quis occidit hominem, putans esse feram. Ignorantia *poenæ* contingit, quando nescitur latam esse tantam ac talem pœnam contra delinquentes. 1. Itaque peccatum ex ignorantia omnino involuntaria, aliàs invincibili, non est formale, nisi materiale, unde etiam excusat à toto: quia nullum est peccatum, nisi sit voluntarium, non potest autem esse voluntarium cum ignorantia invincibili juris, vel facti: quia voluntarium supponit notitiam. Talis ignorantia eorum est, qui scire Divina nequeunt; cujusmodi sunt infantes, à natura dementes & insensati; ac demum nonnulli simplices, qui nec per seipsos, nec per alios instrui possunt. 2. Ex ignorantia omnino voluntaria, vel aliàs ex ignorantia *affectata* ille peccat, qui scire potest ea, quæ ad salutem scire tenetur, & non vult. De quo *Propheta* ait: Noluit intelligere ut bene ageret. Et *S. Bernardus*: Frustra sibi de ignorantia blandiuntur; qui ut liberiùs peccent, libenter ignorant. Hujusmodi ignorantia, ratione perversæ voluntatis ignorandi ea, quæ ad salutem necessaria sunt, verè est culpa & peccatum, quod æquiparatur peccato ex malitia. 3. Denique peccatum ex ignorantia partim voluntaria, partim involuntaria, aliàs ex ignorantia vincibili, in eis est, qui possunt scire & volunt, sed tamen negligunt. Unde illi, qui scire possunt ea, quæ tenentur, & non nisi cum magna difficultate & labore, faciunt tamen facienda, ut addiscant addiscenda, sed aliquatenus negligenter & insufficienter, excusantur à tanto peccato, quamvis non à toto, ita, ut per talem ignorantiam aliquando non nisi venialiter peccent. Verùm qui possunt modò velint (puta absque magna difficultate, modico nimirum labore adhibito, seu morali adhibitâ diligentiâ) ignorantiam *juris* & *facti* superare, & non curant ob suam pigritiam & negligentiam gravem, non excusatur à peccato mortali: est

Psalm. 35.

enim hæc illorum ignorantia *crassa*, ac *supina*, quæ licèt non sit à voluntate efficiente seu approbante, sicut est affectata, est tamen à voluntate omittente, quæ nihilominus voluntas est efficiens, quamvis non verè ac propriè, tamen interpretativè. Unde S. Chrysostom. super Matth. inquit. Non potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis: Quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas.

Proverb. 19. *Proverb.* 17. *Sap.* 13. 1. *Cor* 14. *S.Greg.lib.* 25. *Moral. c.* 7.

Stimuli ad excutiendam ignorantiam. *1mus. Prov.* Ubi non est scientia animæ, non est bonum. *Proverb.* Qui evitat scire, incidit in mala. *Sap.* Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia DEI. *Cor.* Si quis ignorat, ignorabitur. *2dus. S. Gregorius:* Seclusum ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpâ mentis oculos perdidit, & quò meritorum passibus gradiatur, nescit. Sæpe enim est donum gratiæ, quod iram DEI putat; & sæpè Divinæ districtionis ira est, quod gratiam putat.

S Ambros. in Psalm. 118. *S. Bernardus in Epistolis. Idem super Cant. S. Isidorus in Syn. cap.* 14.

S. Ambrosius: Ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamque meritorum. *S. Bernardus:* Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut inquirendi verecundiâ: & quidem hujusmodi ignorantia non habebit excusationem. *Idem:* De ignorantia tui venit superbia, ac de DEI ignorantia venit desperatio. Ignorantia sui, initium omnis peccati; ignorantia DEI consummatio omnis peccati. *S. Isidorus:* Ignorantia mater est errorum, ignorantia vitiorum nutrix.

Praxis propulsandi Ignorantiam fit diligenti studio, per Auditionem, Lectionem, Conferentiam, Meditationem eorum, quæ ad DEI æternæque salutis notitiam, proportionatè ad cujusque statum & officium, conducunt. Vide plura sub PRAXI circa donum scientiæ.

CAPUT II.

DE SPE.

De Spe Theologica, ac de Timore DEI, eorumque Oppositis, sequentibus agendum est.

SECTIO

SECTIO I.

De Spe Theologica.

SPes Theologica quatenus supra amorem concupiscentiæ, cujus objectum est DEUS, ut summè bonus homini, præterea importat quandam erectionem & conatum animi ad DEUM obtinendum; est habitus infusus, quo ex motivo Omnipotentiæ, Bonitatis, Fidelitatisq; DEI, potentis, volentis, promittentis dare, cum conditione operum bonorum, expectamus in futura vita DEUM ut summè bonum nobis per visionem beatificam possidendum, ad ipsius gloriam; omniaque alia media ad hanc possessionem necessaria. Ubi breviter nota formale motivum spei esse perfectiones DEI, nempe Omnipotentiam, Bonitatem, & Fidelitatem; ita tamen ut exigat simul conditionem necessariam (sine qua non) bonorum operum. Vult enim ex sua bonitate cælum homini dare, illudque promisit dare, ast si fecerit voluntatem DEI, executusque fuerit ejus mandata. De quo obvia habes plura loca in S. Scriptura. Sufficiat nunc illud Christi effatum: *Nisi abundaverit justitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisæorum* (scilicet supra observationem antiquæ quoad moralia, etiam novæ legis, nisi adfuerit custodia) *non intrabitis in Regnum cælorum.* Matth. cap. 5. Porrò objectum materiale circa quod spes versatur patet in Oratione Dominica, ubi cum fiducia obtinendi, DEUM precamur. *Imo* Ultimum Finem scilicet Gloriæ DEI, (dicendo; *Sanctificetur Nomen tuum*) tum beatitudinis nostræ, precando: *Adveniat Regnum tuum.* *IIdo* Media ad eundem Finem necessaria, scilicet Executionem voluntatis DEI, orando: *Fiat voluntas tua* &c. Et ad executionem hujus voluntatis subsidia opportuna 1. Spiritualia positivè conducentia id est Panem verbi Divini, Panem Sacramenti Eucharistiæ, Panem cælestis gratiæ. 2. Corporalia, id est Victum, & Amictum, dicendo: *Panem nostrum* &c. 3. Spiritualia subsidia negativè ad executionem voluntatis DEI & cælum possidendum convenientia, nempe Remissionem peccatorum, Victoriam tentationum, Liberationem ab omni malo pœnæ temporalis, quatenus obest saluti, tum pœnæ æternæ in inferno. *Et dimitte nobis debita nostra* &c. usque ad finem. Appositè hic *S. Bonaventura* dum ait: *Spes data homini, quâ* De Perfect. Religiosor. lib. 1. cap. 20.

quâ confidat de bonitate DEI, ut speret à DEO gratiam consequi in præsenti, & gloriam in futuro, peccatorum veniam si poeniteat, temporalium sustentationem sicut sibi expedit, & liberationem à malo, & conservationem in bono. Hæc Seraphicus Doctor.

Fiducia dicitur quasi duplicata, seu firmior ac robustior spes.

Spes Justorum, alia est practica, alia anagogica. *Spes practica* illa dicitur, quæ insistit bonis operibus: de qua illud est *Tob. 2.* Ubi est spes tua, pro qua Eleemosynas & Sepulturas faciebas? *Spes anagogica*, vel aliàs sursum activa illa est, quæ actualiter sursum tendit in DEUM, de qua *Psalm. 7.* Domine DEUS meus in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Et *Psalm 25.* In Domino sperans non infirmabor.

Spes practica duplex est, necessitatis nimirum, & supererogationis. *Spes necessitatis* illa dicitur, quæ omnibus salvandis necessaria est de lege præcepti, juxta illud *Psalm 31.* Sperantes autem in Domino, misericordia circumdabit. Et *Proverb. 28.* Qui sperat in DEO, salvabitur. *Spes supererogationis* est in lege consilii, habens rationem majoris meriti, de hac spe illud est, *Psalm. 4.* Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

Item spes alia est primæ authoritatis, alia suffragii. *Primæ authoritatis* duplex est, absoluta nimirum, & respectiva. *Absoluta* alia est, quam simpliciter, immediatè, ac ultimatè ponimus in solo DEO, tanquam in prima causa, movente ad beatitudinem. *Respectiva* illa dicitur, quam ponimus in Cruce Christi (dicentes cum tota Ecclesia: O Crux ave spes unica) non quidem determinativè, sed relativè ad Christum Filium DEI unigenitum: seu; referibiliter ad ipsum Crucifixum, Dominum, Salvatorem nostrum. *Spes suffragii* illa dicitur, quam ponimus principaliter in B. V. MARIA, Matre DEI, ut in agente primario instrumentali, cùm dicimus; Salve Regina, Mater Misericordiæ, vita, dulcedo, & Spes Nostra salve. Postea in aliis Sanctis, qui apud DEUM valent & nostri memores sunt, juxta illud 2. *Petr. 1.* Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. Ac tandem in quibusvis justis Ecclesiæ adhuc militantis, quorum intercessiones, non sunt etiam vanæ in conspe-

conſpectu DEI, juxta illud *Jacob.* 5. Multum valet deprecatio juſti aſsidua.

Gradus Spei ex Formula aurea Seraphici Doctoris. Spei altus gradus eſt, expectare cæleſtem hæreditatẽ, quam daturũ ſe DEUS nobis per pignus obligavit, ſcilicet Spiritum Sanctum in baptiſmo, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, ut dicit Apoſtolus. Altior eſt expectare beatitudinis eandem hæreditatem, quam nobis ſe daturum juramento firmavit. Unde, jus jurandum, &c. Altisſimus eſt, expectare eandem beatitudinem, quam nobis ſe daturum in lege & Prophetis promiſit. Unde Apoſtolus: Quod oculus non vidit, &c.

S. Bonaven. de Gradibus virtutum c. 27.

I. *Graduũ Christianæ ſpei ordo.*

Ephes. 1. 6. *Luc.* 1. I. *Cor.* 2. 6.

II. Item in alto gradu eſt, qui expectat æternam beatitudinem ex operibus miſericordiæ, & juſtitiæ, in quibus ſe diu exercuit. In altiori eſt, qui expectat eam ex Pasſione Chriſti, qui nobis eam promeruit. Unde S. Bernardus: Peccanti mihi peccatum, &c. In altisſimo, qui expectant eam ex mera bonitate, & miſericordia DEI, qui nos ad ipſam creavit.

III. Item in alto gradu eſt, quem certificat de æterna beatitudine benè diſcuſſa conſcientia. In altiori eſt, quem certificat veteris, & novæ legis ſcriptura. In altisſimo eſt, quem certificat inſpiratio Divina.

IV. Item altum gradum tenet, qui expectat æternam beatitudinem ex multiplici intercesſione in via, & in Patria. Altiorem, qui eandem expectat ex diligenti cuſtodia Angelorum. Altisſimum, qui eandem diligentisſimâ cuſtodiâ Divinâ expectat. Unde Auguſtinus: Perfectioribus adeſt ipſe DEUS ad cuſtodiam, imperfectioribus verò ipſi Angeli.

Stimuli ad exercitium Spei & Fiduciæ in DEUM ejuſmodi præſtò ſunt. *Imus* Ab effectu Spei qui eſt multiplex. *A tribulatione liberat.* In te ſperaverunt Patres noſtri, ſperaverunt & liberâſti eos. Exemplum de Suſanna, & Daniele. *Confortat.* Pereuntes ſeptem filios ſub unius diei tempore conſpiciens mulier, bono animo ferebat, propter Spem, quam in DEUM habebat. *Mentem elevat.* Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, & aſſument pennas &c. *Salvat.* Qui ſalvos facit ſperantes in ſe. *Temporalia miniſtrat.* Oculi omnium in te ſperant Domine. *Hucusque S. Bona-*

S. Bonavent. Comp. Theol. c. 22. *Pſal.* 21. *Dan:* 13. 2. *Mach:* 7. *Iſa:* 40. *Pſal.* 16.

Jerem: c. 17. *S. Bonaventura.* Denique audi *Prophetam* dicentem: Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod plantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus, & erit folium ejus viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.)) Et DEUS ipse per Coronatum *Psal. 90.* *Psaltem*: Quoniam in me speravit liberabo eum: protegam eum quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

S. Bern. Serm. 5. in vigil. Nat. Domini. 2*dus.* Audi *S. Bernardum.* Credete DEO, committe te ei, jacta in eum cogitatum tuum, & ipse te enutriet; ut fiducialiter & fideliter dicas: Domine solicitus es mei. Neque enim hoc sapiunt homines amantes se ipsos, homines scioli, & soliciti pro se ipsis, curam carnis perficientes in desideriis suis, surdi ad vo- *1. Pet: 5.* cem dicentis: *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, ipsi enim cura est de nobis.* Nam sibi quidem ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est: non confidentiæ sed diffidentiæ magìs in se ipso habere fiduciam. Is verò fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum, & sic perdens animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam. Porrò id quidem sola facit humilitas cordis, ut non sibi fidelis anima inveniatur, sed deserens se ipsam ascendat jam de deserto, innixa super dilectum, atque adeò deliciis affluens. *Idem Sanctus* explicans *S. Bern. serm. 15. super Psal. Qui habitat.* illum textum Scripturæ: *Quemcunque locum calcaverit pes vester, vester erit*; inquit: Pes vester utique spes vestra est: & quantumcunque illa processerit obtinebit, si tamen in DEUM tota figa- *S. Aug. in soliloq. c. 15.* tur, ut firma sit & non titubet. *Sanctus Augustinus* ait: Constanter DEO crede, eique te totum committe quantùm potes: ita enim ipse te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.

3*tius.* *Ab Exemplis*: I. Deiparæ; cujus spes in eo eluxit, quòd voto obstricta Virginitatis, eamque tenerrimo prosequens affectu, licèt ex dispositione Divina desponsaretur S. Josepho, solaque cum solo habitaret, certâ tamen fiduciâ innitebatur Deo, habi-

habituram se Josephum non violatorem, sed custodem & vindicem suæ castitatis. Deinde in Cana Gallilææ ad nuptias deficiente vino, id ipsum insinuavit Filio suo, à quo audiens nondum venisse ipsius horam faciendi miracula, tamen spe fretâ in gratiam sui mutandum consilium DEI (quod aliàs non fuit absolutum, sed conditionatum ut patet) de providendo vino etiam per miraculum, hoc ipsum ulteriùs promovit, & inclinavit dulcem JESUM ad satisfaciendum desiderio suo. II. *S. Job.* in suis horrendis tribulationibus protestatus est dicens: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* III. Refert Ruffinus de Cœnobitis, & Anachoretis sub Beato Apollonio constitutis, ita dicens: Supra modum autem lætitia & gaudium inerat eis, & tanta exultatio, quanta haberi ab ullo hominum non possit in terris. Nullus in eis tristis omnino inveniebatur, sed etsi aliquis visus est aliquantulùm mœstior, statim Pater Apollonius causam mœstitiæ, perquirebat. Frequenter autē, etiamsi aliquis occultare voluisset, ipse enunciabat, quid lateret in corde, ita ut is, qui patiebatur, agnosceret. Monebat ergo eos dicens; non oportere prorsus inesse tristitiā his, quibus salus in Deo est, & spes in regno cælorum. Tristentur ajebat Gentiles, & lugeant Judæi, plangant sanè sine cessatione peccatores, justi verò lætentur. Nam si hi qui terrena diligunt, super fragilibus & caducis rebus lætentur; nos qui tantæ gloriæ spem, & æternitatis habemus expectationem; cur non omni exultatione lætemur? aut non & Apostolus nos ita monet dicens? *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* IV. Sanctus Hugo Episcopus in omnibus rebus, quæ illi in hac vita, quantumvis graves & asperæ accidebant, aut accidere poterant, securissimus erat cum ingenti, quam in DEUM habebat spe, id sibi in omnibus eventurum, quod magis è re animæ suæ foret, dum ipse in DEI obsequio perseverâsset. Et quod ad res temporales attinet, pariter confidebat, DEUM sibi prospecturum, quidquid ad ejus cultum sibi opus esset. Idque sic esse re ipsâ comperit, ut quantò ipse diligentiùs res Divinas, & quæ ad DEI cultum spectabant, procurabat, tantò ipsi faciliùs, idem DEUS de omnibus rebus necessariis provideret. Et cum hac magna in DEUM fiducia, quando se teneri, aut magis è re, Divini honoris esse censebat, non dubitabat Regem, ac Magnates, peccatorum,

Job. 13.

Ex vitis Patrum de Apollonio.

1. *Thess.* 5.

Arias in Thesauro de spe ex Sur. in Nov.

quæ committebant, arguere, quamvis ipsi minitarentur, adeoque strictos gladios capiti ejus intentarent, quia de Divina bonitate certus erat, se, quoad suæ spirituali saluti expediret, ab omni periculo liberatum iri. Quantumvis etiam gravia, periculosa, perplexaque negotia sese illi offerrent, cum hac ingenti in DEUM fiducia nihil turbabatur, nec de sua pace & quiete quicquam perdebat, nec de necessario ad vitam conservandam somno remittebat; faciens enim quantùm in se erat, sibique ipsi multùm diffidens, certus erat DEUM in omni re manum suam admoturum, bonumq; in omnibus exitum daturum, & quod magis in bonum animæ suæ, Divinamq; gloriam cederet, eventurum. V. Legimus de B. V. Gertrude, quòd neque pericula, neque tribulationes, neque damna rerum, neque impedimenta alia, sed nec delicta quidem vel defectus proprii, constantem securamque confidentiam, quam ad benignissimam DEI misericordiam retinebat, unquam in illa obscurare potuerint. Certissimè enim confidebat, tam adversa quàm prospera omnia sibi in bonum Divinâ providentiâ converti. Et huic Virgini Dominus aliquando dixit: Secura illa confidentia, quam quis erga me habet, credens me reverà posse scire, & velle sibi in omnibus adesse, transvulnerat cor meum, tantamque vim facit pietati meæ, ut nullatenus possim hujusmodi homini non adesse.

Ludov. Blosius. Monil. Spirit. c. II.

Praxis in spe & fiducia erga Deum proficiendi est: 1mo. Per sedulam meditationem concipere magnam æstimationem *Summæ* DEI *Potentiæ*, cui nîl impossibile; *Bonitatis*, quâ infinito amore propendit in salutem nostram, simulq; desiderantissimè vult adjuvare infirmitatem nostram; facientique quod in se est homini non denegat gratiâ: Tum eandem Bonitatem considerare in incarnatione, vita, & passione Christi in remedium salutis humanæ: *Fidelitatis*, quâ ad punctum servat promissa sua. De quibus *Motivis erectivis* Spei nostræ in DEUM ex parte Omnipotentiæ, Bonitatis, Fidelitatis, DEI, &c. Hæc *Mellifluus Doctor* dicens: Securè credamus in eum, securè credamus ei nosmetipsos fratres mei, cui nec potestas deest salvandi nos, cùm sit verus DEUS & DEI Filius: nec bona voluntas, cùm sit tanquam unus ex nobis, verus homo & hominis Filius. Quomodo namque nobis

S. Bern. Serm. 3. Ep. Dom.

bis erit inexorabilis, propter quos factus est similis nobis passibilis? *Idem*: Quantumcunque gravis se ingerat memoriæ meæ recordatio scelerum meorum, quantumcunque me deterreat præteritæ vitæ meæ consideratio, faciant alii quod censuerint expedire. Ego semper sentiam in bonitate de dulcedine Domini mei JESU Christi: semper oculi mei ad misericordiam ejus, sciens nimirum & quandocunque in me experiens longè efficaciorem ejus dulcedinem ad consolandum, multòque promptiorem ejus benignitatem ad indulgendum, quàm meam iniquitatem ad delinquendum. Scio utique quia non est iniquitas, sicut iniquitas mea. Sed è regione non est dolor sicut dolor ejus. Si supra modum peccavi, non despero, quia supra modum doluit, in quo respiro: si exasperatur DEUS immanitate sceleris mei, mitigatur procul dubio in satisfactione Filii sui. *Idem*: Respirandum est nobis & nullatenus desperandum, donec in terra adhuc interim constituti, & suspicere cælum possumus, & suscipere data optima, & dona perfecta de sursum à Patre luminum, à Patre spirituum, à Patre misericordiarum. Nam & propterea rectum fecit hominem etiam corpore ipso, & os homini sublime dedit, cùm prona utique spectent animantia cætera terram, ut attollens ad sydera vultus, illico suspiret, ubi tam beatam & perennem conspicit mansionem. *Idem. Quoniam tu es Domine Spes mea.* Quidquid igitur agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei, & æstûs, jejunare bis in Sabbatho dicatur, postremò non esse sicut cæteros hominum glorietur: mihi autem adhærere DEO bonum est, ponere in Domino DEO Spem meam. Sperent in aliis alii, fortè hic in scientia literarum, hic in astutia seculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: Propter te omnia detrimenta feci, & ut stercora arbitror; quoniam tu es Domine spes mea. Speret, qui vult in incerto divitiarum; ego verò, ne ipsa quidem, nisi abs te victui necessaria sperem, nimirum verbo tuo confidens, in quo abjeci omnia. *Quærite primùm regnum DEI, & justitiam ejus, & omnia adjicientur vobis.* Nempè,

Idem Epist. 385.

Idem Serm. de S. Martino.

Idem Serm. 9. super Psalm. Qui habitat.

Matth. 6.

Psalm. 9.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo, si insurgant adversùm me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversùs spiritum concupiscat; in te ego sperabo. Fratres hoc sapere, ex fide vivere est: nec alius ex sententia dicere potest, quoniam tu es Domine spes mea, nisi cui intus sit persuasum à

Psal. 54. Spiritu, ut (quemadmodum monet Propheta) jactet cogitatum suum in Domino, sciens quòd enutriendus sit ab eo, juxta illud

1. Petr. 7. quoque Petri Apostoli: *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Ut quid enim si hæc sapimus, ut quid cunctamur abjicere spes miseras, vanas, inutiles, seductorias? & huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei, totâ devotione animi, toto fervore Spiritûs inhærere? Si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud in quo speres. Sed verbo omnia potest, quid faciliùs dictu? attamen hujusmodi dictum intelligas volo. Si decreverit salvare nos, continuò liberabimur: Si vivificare placuerit, vita in voluntate ejus est: Si præmia æterna largiri, licèt ei, quod vult facere. An verò de facilitate jam non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas? pla-

Joan. 15. nè & voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis. *Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam ponat quis pro amicis suis.* Denique quando in se speranti desit illa Majestas, quæ tam studiosè monet in se sperare, planè non derelinquit sperantes in se:

Psalm. 3. 6. *Adjuvabit eos*, ait, *& eruet eos à peccatoribus, & salvabit eos*; Quare? quibus meritis, audi, quod sequitur: *Quia speraverunt in eo.* Dulcis causa attamen efficax, attamen irrefragabilis. Nimirum hæc est justitia, sed quæ ex fide est, non ex lege. *De quacunque tribulatione*, inquit, *clamaverint ad me, exaudiam eos.* Ecce numera tribulationes; secundùm multitudinem earum consolationes ejus lætificabunt animam tuam; dummodò ad alium non convertaris, dummodò clames ad eum, dummodo speres in eum: nec humile aliquid terrenum, sed altissimum ponas refugium tuũ. Quis

S. Bern. in Ps. speravit in eo, & confusus est? faciliùs est cælum & terram transi-

Qui habitat. re, quàm verbum ejus evacuari. *Idem*: In spe vivimus fratres, nec

Serm. 7. deficimus in tribulatione, quod in expectatione simus ineffabilium gaudiorum. Neq; enim vana nobis hæc expectatio, aut dubia

spes

ſpes videtur, innixa æternæ promisſionibus Veritatis. Deinde etiam ex perceptione præſentium munerum firma eſt expectatio futurorum; & præſentis gratiæ virtus nimis credibiliter atteſtatur felicitatem promiſſæ gloriæ ſine dubio ſecuturam. Nempe Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ, gratiam & gloriam dabit Dominus. *Idem. Miſericordia Domini ab æterno, & usque in æternum ſuper timentes eum.* Ab æterno propter prædeſtinationem, in æternum propter beatificationem. Altera carens principio, altera neſciens finem. Siquidem quos ab æterno prædeſtinavit, in æternum beatificat; intercedente ſanè mediâ vocatione, una cum juſtificatione duntaxat in adultis. Sic ad ortum Solis juſtitiæ ſacramentum abſconditum à ſeculis de prædeſtinatis & beatificandis emergere quodammodo incipit ex abyſſo æternitatis, dum quiſque vocatus per timorem, juſtificatus per amorem, præſumit ſe quoque eſſe de numero Beatorum, ſciens nimirum quia quos juſtificavit, illos & magnificavit. Quid enim? audit ſe vocari, cùm timore concutitur: ſentit & juſtificari, cùm amore perfunditur: & de magnificatione diffidet? initiatur, provehitur, & de ſola conſummatione deſperabit? Nempe ſi initium ſapientiæ timor Domini, in quo dicta eſt eſſe noſtra vocatio; quid niſi provectus in ſapientia eſt amor DEI, is duntaxat, qui interim ex fide eſt, ex quo & noſtra fit juſtificatio? Quid item niſi conſummatio in ſapientia eſt; ipſa, quam in fine ſperamus de Divina illa & Deifica viſione glorificatio? Sicut abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum ſuarum, cùm in terrore judiciorum ſuorum, immenſa illa æternitas, & æterna immenſitas, cujus ſapientiæ non eſt numerus, cor hominis pravum & inſcrutabile, mirâ ſuâ bonitate & potentiâ educit in admirabile lumen ſuum.

Idem Epiſt.107
Pſal.102.

Idem: Peccavit peccatum grande Petrus Apoſtolus, & fortasſis quo grandius nullum eſt, & tam velocisſimè quàm facillimè veniam conſecutus eſt, & ſic, ut nihil de ſingularitate Primatûs amitteret. Sed & Paulus, qui in ipſa viſcera naſcentis Eccleſiæ tam ſingulariter quàm incomparabiliter graſſatus eſt, per ipſius Filii DEI vocem ad fidem adducitur, & pro tantis malis, tantis bonis repletus eſt, ut vas electionis fieret, ad portandum nomen ejus coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael. Vas dignum & cæleſtibus

Idem Serm.1.in feſto S.S.Petri & Pauli.

leſtibus ferculis repletum, de quo & ſanus eſcam, & infirmus accipiat medicinam... *Et alibi.* Quis deſperet ultra pro magnitudine cujuslibet criminis, quandoquidem audiat adhuc ſpirantem minarum, & cædis in diſcipulos Domini, ſubitò factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere preſſus, aſſurgere jam ad ſtudia meliora non valeo: quando in ipſo itinere, quo ſanguinem ſitiens Chriſtianum, dirum toto pectore virus efflavit, perſecutor crudelisſimus in fidelisſimum repentè mutatus eſt prædicatorem? Magnificè ſiquidem in hac una converſione & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. *Et alibi.* Audiiſtis certè quam miſericordiam conſecuti ſint Apoſtoli noſtri: ut jam nemo ex vobis ſuper peccatis præteritis ultra quàm neceſſe ſit confundatur, in cubili conſcientiæ ſuæ compunctus. Quid enim? fortè peccâſti in ſeculo: nunquid ampliùs Paulo? quod ſi & ipſa in Religione, nunquid plùs Petro? Attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes non modò ſalutem, ſed & ſanitatem conſecuti ſunt: etiam & ſalutis miniſterium, & magiſterium adepti ſunt Sanctitatis. Et tu ergo fac ſimiliter; quoniam propter te Scriptura loquitur viros illos eſſe miſericordiæ, utique propter multam miſericordiam, quam conſequi meruerunt.))

Idem Serm. 1. in Converſione S. Pauli.

Idem Serm. 3. in Feſto S.S. Petri & Pauli.

2do. ***Motiva erectiva*** fiduciæ in DEUM à parte hominis, comparantur ex conſideratione ſignorum ſeu indiciorum prædeſtinationis, quibus excitari poteſt homo ad illud gaudium. De quo Chriſtus: *Gaudete, quòd nomina veſtra ſcripta ſint in cælis.*

Luc. 10.

Porrò hæc ſigna enumerat *Dobroſielſcius* dicens: *Primum ergò ſignum prædeſtinationis eſt Vocatio DEI;* juxta illud Rom. 8. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit. *Vocatio DEI* nîl aliud eſt, quàm Divina invitatio hominis ad imitationem & cultum juſtitiæ, quæ ex fide eſt, ſeu ad ſtudium Chriſtianæ perfectionis, effecta videlicet per externam ſacri verbi prædicationem, ac internam intellectûs illuſtrationem, & voluntatis permotionem. Hujusmodi autem Vocatio DEI duplex eſt, altera *Sufficiens*, & altera *Efficax.* Vocatio DEI ſufficiens illa eſt, quæ caret effectu conſenſionis ac obeditionis humani liberi arbitrii, de qua illud eſt. *Proverb. 1.* Quia vocavi & renuiſtis; extendi manum meam, &c.

In Summar. aſcet. & Myſt. Theolog. Med. glor. cæleſt.

Et

*Et Matth.*22. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Vocatio efficax eſt illa, quæ habet effectum conſenſionis & obeditionis, de qua *Job.*14. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi, *utpote conſenſione & obeditione meâ.*

Hæc deinde Vocatio Efficax, alia eſt *Communis* omnium juſtorum, quæ eſt congrua & opportuna Divina invitatio, ac ſuavis quædam Spiritûs Sancti pertractio ad perfectionem neceſſitatis: alia *Specialis*, quæ eſt eadem Divina invitatio ac pertractio quorundam juſtorum ad ſtatum Spiritualem, præſertim alicujus Religionis reformatæ, in qua viget ſtudium perfectionis ſupererogativæ. Utraque præſens vocatio eſt ſignum prædeſtinationis ad gloriam, ſed ſecunda ad abundantiorem: nec requiritur quòd talis vocatio ſit extraordinaria, *id eſt* miraculoſa, ſed ſufficit quòd ſit ordinaria, quæ fit per ſolā inſpirationem, ac illuminationem & motionem internam. Unde *Joan.*10. Oves meæ vocem meam audiunt. Et *Cap.*8. Amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum. Et *Luc.*11. Beati qui audiunt verbum DEI, & cuſtodiunt illud. Et *Laurentius Juſtinianus de perfect.* Securè ſperet poſt hanc peregrinationem ad ſupernam intrare Jeruſalem, quicunque in juſtorum congregationem fuerit vocatus. Magnum quippe electionis indicium eſt, hujus fraternitatis habere conſortium; & facilè ab illa excluditur, qui ab hac fuerit ſegregatus.))

Secundum ſignum ac indicium prædeſtinationis eſt juſtificatio, juxta illud *Rom.*8. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit. Et *S. Bernardus ſerm.*2. *in Aſcen. Domini.* Quis ſcit ſi omnium veſtrûm, quos hìc video, nomina ſcripta ſunt in cælis, & in libro prædeſtinationis annotata? Vocationis enim & juſtificationis veſtræ aliqua ſigna mihi videor intueri in converſatione hujus tantæ humilitatis. Quanto putas gaudio replerentur omnia oſſa mea, ſi id ſcire contingeret? Sed *Eccl.* 9. Neſcit homo utrum ſit dignus amore, an odio. *Collector.*

Tertium ſignum ac teſtimonium prædeſtinationis eſt ſtudioſa averſio mentis à lege iniquitatis, & ejusdem perpetua converſio ad obſervantiam legis Divinæ. Vel: *Eſt odium peccati perpetuum, & voluntas æterna in lege DEI*; juxta illud in *Pſal.*1. Beatus vir, qui non abiit in conſilio

impio-

impiorum, (*id est qui non est secutus consilium peccandi*) & in via peccatorum non stetit (*id est alios peccare non docuit* seu *ad peccandum non induxit*) sed in lege Domini voluntas ejus; & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et *Psal.* 118. Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Et 2. *Tim.* 2. Firmum fundamentum DEI stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt ejus, & discedit ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Domini.)) Sicut enim arbor, quò se suorum, propensione inclinat ramorum, sive nimirum ad aquilonem, sive ad meridiem, cùm succiditur, ibi provoluta jacet: ita etiam mens humana, si in partem legis humanæ, carnalis, ac diabolicæ in præsenti vita inclinatur, cúm arbor corporis illius securi mortis succiditur: Ad aquilonem æternæ damnationis cadit. Si verò in partem observantiæ legis Divinæ sese extendit, in meridiem Claritatis cælestis transportatur, quod ipsum S. David expectans dicebat. *Psal.* 118. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.

Quartum signum est victoria mundi, & sui, per imitationem Christi: juxta illud 2. *Tim.* 2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit, *id est* vicerit. Et *Apoc.* 3. Qui vicerit dabo ei sedere in throno meo. Ille autem vincit mundum, qui semper illius prosperitates fugiendo reprobat, & adversitates eligendo approbat, juxta illud *Galat.* 6. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Est autem alicui mundus crucifixus, dum scilicet ejus adversa non metuit: & mundo aliquis crucifigi dicitur, dum ejus prospera contemnit. Unde *S. Aug. Tract. de Cont. Mundi.* Si Christus pro te de cælesti sede descendit, tu propter ipsum fuge terrena. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus. Si amarus est mundus, omnia pro te sustinuit Christus.)) Ille quoque vincit se ipsum, qui semper captivat proprium judicium, & abnegat propriam voluntatem, & mortificat sensualitatem juxta illud quod dicitur *Gal.* 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.

Quintum signum est zelus Christi. Seu. *Zelus animarum spiritualis*; juxta illud *Jer:* 15. Si separaveris pretiosum à vili (*hoc est,*

si ab

si ab errore infidelitatis ad veritatem fidei; vel à peccato, ad cultum virtutis proximum induxeris) quasi os meum eris. Unde *S. Gregorius lib.1. Homil.12. in Ezech.* Nullum Omnipotenti DEO tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Et *S. Dion. lib. de cælesti Hierarch. cap.3.* Omnium Divinorum esse Divinissimum, DEO cooperari in salute animarum. Et *V. Beda.* Quæ gratia sublimior, & DEO gloriosior conversatio esse potest, quàm illius, qui quotidiano exercitio alios ad Authoris sui gratiam studet convertere; & crebrâ animarum acquisitione, gaudium Patris cælestis semper augere?

Sextum signum est Perseverantia finalis; juxta illud *Matth.* 10. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et *Apoc.* 2. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Unde *D. Bonavent. de perfectione vitæ ad sorores ait*: Postquam omnium virtutum adeptus est quis principium, nec tamen in conspectu DEI apparet gloriosus, nisi virtutum consummatrix adsit perseverantia: quia nullus omnino mortalis, quantumcunque perfectus, est laudandus in vita, nisi prius hoc totum quod inchoavit, bono fine ac felici perseverantiâ includat.

Septimum prædestinationis signum est interna Devotio: quæ significat promptitudinem voluntatis, seu ipsam voluntatem promptam ad faciendum ea, quæ pertinent ad Divinum servitium. Vel. Significat fervorem animi, ac pium, suavemque & humilem affectionem, tum in oratione, tum in qualibet alia actione pro majori gloria DEI suscepta, conceptam & sursum extensam. Hujus autem devotionis causa extrinseca est ipse DEUS; intrinseca verò est mentis nostræ contemplatio, seu meditatio Divinorum, per quam dilectio sancta in nobis excitatur, quæ nimirum hanc generat devotionem: quâ deinde nutritur dilectio, (ut calor generat pingvedinem, eâque calor nutritur) odium peccati acuitur, amor legis Divinæ intenditur, virtus animi contra mundi, ac sui amorem roboratur, Christi zelus accenditur, & finalis perseverantia acquiritur.

Ipsa quoque *Devotio* erga Beatissimam Virginem MARIAM, est etiam probabile admodum prædestinationis seu electionis signum ac indicium, juxta consensum Sanctæ Matris

Ecclesiæ, in persona DEIparæ proferentis illud *Proverb.8.* Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei: Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Et *S. Anselmus de Excell.Virgin. cap.12.* Velocior est nonnunquam salus invocato nomine MARIÆ, quàm invocato nomine JESU: non quòd illa potentior sit: nam per Illum Ipsa potens est, sed quia Matrem vult Filius sic honorare; & quia Filius ejus Dominus & Judex est, discernens merita singulorum. Dum ergò ipse, invocatus suo nomine non exaudit, justè facit; invocatus autem nomine Matris, etsi merita invocantis non merentur, merita tamen Matris intercedunt. *Idem.* Sicut omnis O Beatissima, à te aversus, & à te despectus, necesse est ut intereat; ita omnis ad te conversus, & à te respectus, impossibile est ut pereat.)) Sed nota in triplici differentia esse devotos erga DEIparam. *Alios*, qui exiguum ac non satis gratum huic Virgini præstant obsequium; dum ei preces aliquas recitant, aut nonnulla jejunia offerunt; & mores ejus non solùm non imitantur, verùm etiam multis in peccatorum fecibus corde obdurato volutantur. Et hic est plurium, qui levem Virgini quotidianum aliquem pensum exhibentes, statim se ab omni reprobationis periculo securos existimant, & imprudenter favore illius salutem æternam omnimodè sibi pollicentur, nullam interim curam aut solicitudinem adhibentes, vitia nimirum horrendæ iniquitatis, quæ Virgini displicent, exstirpandi, & virtutes solidas (necessitatis saltèm) moresque illius imitandi. *Alios* devotos esse puta erga DEIparam, qui cùm in peccato mortali degunt, tunc maximè ad Virginem recurrunt, ut eruantur: & placet illi eorum talis devotio, quia nimirum initiali cuidam conversioni conjuncta est: quamobrem etiam paratissima est ad perfectiorem conversionem eis auxilium impetrandum, & pœnitentiæ spatium obtinendum. *Alios* tandem puta esse devotos, qui dum Virginem DEIparam summoperè colunt, ac amorem ejus profitentur, omnimodè vias iniquitatum distortas deserunt, ac obliqua vitiorum itinera derelinquunt, & per semitam novæ conversationis ad eam transeunt, ut ejus fructibus, quos ipsa amatoribus suis ingenerare cupit, adimpleantur. Sunt

autêm hujusmodi fructus non alii, quàm quævis bona opera, virtutes Sanctæ, & ipsa finalis perseverantia. *Hucusque Dobrosielscius.*

3tio. His & similibus motivis erectus animus ad spem in DEUM, ut in éa ampliùs crescat, exstimulet sese ad exercitium spei ex consideratione ejus pretiosorum fructuum & effectuum supra datorum. Tum ampliùs se incendat sequentibus actibus & affectibus. Sed primo vide dicta supra & hîc proportionatè applica. *l.2. tract. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2.*

Actus & Affectus circa Spem.

A*Ctus appretiationis Spei.* O quantum bonum elevata spes in DEUM! O quàm ineffabile donum vera fiducia in DEO salutari suo! *Lætentur omnes qui sperant in te Domine. Etenim qui sperat in Domino beatus est.* *Mich. 7.* *Prov. 16.* Si pœnitentiam egero de peccatis meis & offensis tuis, *sperantem me in Domino misericordia circumdabit*: misericordia liberans à culpa, liberans & à pœna. *Psalm. 32.* Si in pulvere jacens vitiorum, & multimodæ imperfectionis meæ, ad altiora virtutis conatus fecero: Spero votorum meorum felicem successum: audio enim: *Confide in DEO, & mane in loco tuo facile est enim in oculis DEI subitò honestare pauperem.* *Eccles. 11.* *Si exurgat adversum me prælium in Domino sperabo.* *Psalm. 26.* Et: *In Domino sperans non infirmabor.* *Ibidem.* Denique: *Respicite filii nationes hominum: & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? aut quis invocavit eum, & despexit illum? quoniam pius & misericors est DEUS, & remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* *Eccl. 2.*

Actus & Affectus Amoris, Propositi, Orationis.

J*Am mihi nunc cordi es Virtus spei nobilissima: jam præcipuas laboris & temporis partes in tui exercitium destino: Ecce DEUS meus tot N. N. actus internos, externosque virtutis spei hac die, vel septimanâ, vel mense perficere propono. Adjuva me gratiâ tuâ. Succurre pia Mater DEI: Succurrite S.S. Patroni mei, &c.*

Actus interni Spei.

P*Ater noster qui es in cælis, & ubique in terris: innixus tuæ infinitæ potentiæ, bonitati, fidelitati, confido in te firmissimè: quòd satisfacies*

intensis desideriis, & petitis meis, quatenus coram Te unquam vixerim, & vivam punctualiter juxta misericordissimam, summam, efficacem, specialem, bonam, beneplacentem, perfectam Voluntatem Tuam; ad Tuorum, & Tuam Gloriam.

Actus sequentes spei Cardinalis Bonæ in via Compendii ad DEUM c. 14.

I. Clementissime DEUS, tametsi multa & gravissima peccata commiserim, spero tamen ex tua misericordia, & ex bonis operibus gratiæ tuæ adjutorio præstitis, me gloriâ sempiternâ fruiturum.

II. Etsi reus essem omnium peccatorum mundi, tamen in Te sperabo, major est enim misericordia Tua, quàm iniquitas mea.

III. Gaudebo Domine, nihil in me esse, in quo confidere possim: Lætor quòd nullibi spes mea consistere queat, nisi in Te, qui solus es refugium meum, & firmamentum meum.

IV. Dixisti Domine, & ita est: sine me nihil potestis facere: quid ergo residui habeo, nisi ut oculos ad Te dirigam, & Tu ô Bonitas adiuves me?

V. Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me DEUS salutaris meus. Tanquam prodigium factus, sum multis, & Tu adjutor fortis.

VI. Ad Te confugio Domine, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeam, & in Te sperans non confundar.

VII. Omnis spes mea optime IESU, & totius fiduciæ certitudo in pretioso sanguine Tuo mihi est. In ipso respiro, & in ipso confisus ad Te pervenire desidero, non habens meam justitiam, sed eam, quæ est ex Te.

VIII Quidquid asperum, & molestum mihi evenire Divina providentia tua, benignissime Pater, permiserit, semper in Te sperabo: certus enim sum, quia si in inferno demersus fuero, inde me liberabis.

IX. Magna valde misericordia Tua Domine, & in ea sola posita est tota spes, & consolatio mea.

X. Mirifica misericordias Tuas, qui salvos facis sperantes in Te: custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me.

XI. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine: bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.

XII. Domine virtutum, beatus homo qui sperat in Te. In Te eripiar à tentatione, & in DEO meo transgrediar murum.

XIII. Toto corde firmissimè spero Omnipotens DEUS, me posse à Te omnia obtinere, quæ mihi necessaria sunt ad salutem: & quia Filius tuus, Redemptor meus, omnia bona mihi promeruit, tantam in Ejus meritis fiduciam habeo, ac si bonum quod desidero, jam tenerem, & possiderem.

XIV. Ego

XIV. *Ego autem in Te speravi Domine: dixi; DEUS meus es Tu, in manibus Tuis sortes meæ.*

XV. *O si citò adveniret Regnum Tuum, Summum bonum meum, Regnum quod spero, quod expecto. quod toto corde concupisco! utinam citò adveniat, quia Regnum omnium seculorum est, plena possessio totius felicitatis.*

Actus externi Spei.

Cum die sudo, serenâve nocte cælũ ridet, arridet humus, aut aliudquidvis placet venustum, opulentum, magnificum, exclama cum Aug: *Si tanta DEUS meus facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Si tam innumera, & varia nunc amicis pariter tribuis & inimicis, quàm magna & dulcia solis es largiturus amicis? Si tanta solatia in hac die lachrymarum, quanta conferes in die nuptiarum?* *Actus sequentes spei Blasii Palmæ Thes: indefic:*

Cùm affici te sentis ad res infimas, reprehende te ipsum, & hoc tibi probrum objice. *Quid Animule mi, quid reculas istas miramur, & tanto licitamur salutis periculo? quæris opes? DEUS est omnia, mundus nihil. Amas voluptates? DEUS cælo reponit æternas. Ambis honores? veros sectare. Quid umbras, fumos, fungos sequimur? Denique quid solâ vanitate mentem pascis, id est siliquis porcorum, regali dignus mensâ? suspira & suspice cælum, cui nati sumus: illic bona, & magna, & æterna sunt. Cætera tanquam te minora, pedibus & animo preme, imò calca.*

Cùm acerba, & dura pateris corpore, morbis aliisque miseriis afflicto; cutem manũs unius manu alterâ quasi mortificatim non nihil stringe, atque asinum tuum malis fatiscentem hoc stimulo adige. *Non ut jam, ita erit semper, imò nec erit diu: breve est, quidquid finem habet. Atqui scio, quòd Redemptor meus vivit, & in Novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo DEUM Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes in sinu meo.*

Cùm res acerbæ DEI & salutis causâ, animo intus reluctante, tamen exsorbendæ sunt, poculum hoc saccaro & melle oblinies. *Non sunt animæ mi condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Leve, & momentaneum hoc, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contem-*

contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ non videntur, æterna sunt. Hoc sudario egregius pugil Paulus omnem gravissimorum laborum sudorem abstergebat; hoc proposito bravio cæteri fortissimi Athletæ cum bestiis, cum ignibus, crucibus, mortibus ipsis fortiter pugnârunt, vicerunt.

Si tentationum vi in desperationis abyssum, in mortis præsertim agone præcipitari te sentias, Spei anchoram projice, & dic: *Quid naufragaris anime? Spera in DEO; quoniam adhuc confitebor illi salutare vultûs mei, & DEUS meus: projice te in eum, non subtrahet se, ut cadas. Infinitè bonus est, pronior que ut beneficia conferat, quàm tu petere aut sperare posses. Pater est, ipse enim te fecit, & tanti fecit: ut pro te servo redimendo Filium suum tradiderit: hic autem triginta tribus annis quid non fecit, quid non est passus? JESUM Ipsum habes Advocatum, qui Patri ostendit vulnera; MARIAM, quæ Filio ostendit ubera; Angelum cui commissus, tot Sanctos quibus es commendatus. Eja adesto optime JESU, ne Sangvis tuus in me pereat: Adsis clienti MARIA: Adeste Sancti omnes: vestris præsidiis munitus, Sperabo in Domino: & licèt consurgant adversùm me castra, non timebit cor meum.* Hæc Blasius Palma.

Extat aureus, imò omni lapide pretioso æstimabilior Liber insinuationum Divinæ Pietatis à S. Gertrude conscriptus; unde ex consideratione Divinæ Bonitatis curam gerentis salutis nostræ, timiditas humana in summam assurgere potest fiduciã & confidẽtiam erga Deum suum: ut nunquam ita Filius queat inniti amãtissimo Patri suo, sicut homo DEO suo adeò solicito salutis humanæ, quòd homo nequaquam valeat sibi meliùs optare, vel providere, vel de DEO unquam cogitare, quantùm ille curam animæ ipsius gerat, ut minutissima quæque cedant in hominis æternam beatitudinem.

SECTIO II.
De Timore DEI

V.D. Tho. 2.2. q. 19. a. 2.

Timor DEI est triplex: Servilis, quo timetur malum poenæ; *Initialis*, quo timetur malum culpæ, & poenæ; *Filialis*, quo timetur malũ culpæ. *Timor servilis actus est Spei Theologicæ*, non ut spes sumitur pro erectione quadam & conatu animi, orto ex motivo increato; Timor enim est depressio animi, ex motivo creato: sed ut spes est

eſt amor concupiſcentiæ, cujus objectum finale eſt DEUS ut videndus; ſeu Viſio DEI, quæ ex parte hominis eſt quid creatum. *Hic Timor definitur eſſe, Motus ſpei, recedens à culpa propter malum pœnæ, homini à DEO infligendæ.* Ubi intelligitur malum maximè ſitum in pœna damni ſeu privatione Viſionis beatificæ, quæ potisſima eſt pars pœnæ gehennalis. *Filialis verò, ſeu ingenuus, aliàs reverentialis, & caſtus timor DEI, eſt Donum Spiritûs S. quo fugitur culpa quatenus offenſa ſeu malum DEI eſt: eumque voluntariè reveremur & nos ipſi ſubducere refugimus.* Unde inter Dona Spiritûs S. per aſcenſum primus eſt Timor: quia cùm Dona ſint habituales perfectiones, quibus potentiæ animæ redduntur benè mobiles à Spiritu Sancto; jam verò ad hoc quòd aliquid ſit benè mobile ab aliquo movente; ſequitur primò requiri, ut ſit ei ſubjectum non repugnans: quia ex repugnantia mobilis ad movens, impeditur motus. D.Tho. 2. 2. q. 19. a. 3. & 9.

Timor Domini initialis dicitur eſſe Donum Spiritûs Sancti, tamen ſub imperfecto eſſe. Non enim differt à timore filiali, niſi ut imperfecta charitas à perfecta. Unde 1. *Joannis* 4. *dicitur*: Perfecta charitas foras mittit timorem. *Ubi dicit Gloſſa*: Timorem illum emittit, qui dicitur initium Sapientiæ. Illo enim timore ſe cohibet homo à peccato principaliter propter DEUM, ſecundariò verò, propter pœnam æternam. *Et Mellifluus Doctor dicit*: 1mus Timor DEI eſt, nè cruciemur in gehenna. 2dus, Ne excluſi à Viſione DEI, privemur tam inæſtimabili gloriâ. 3tius, Replet animam omni ſolicitudine timidam, nè fortè deſeratur â gratia. Et quidem omnis timor Domini, ſicut aqua extinguit ignem, ſic extinguit peccati concupiſcentiam: ſed is maximè cùm ad omné tentationem ſtatim occurrit, ne fortè contingat amittere gratiam, ut ſibi derelictus homo labatur quotidie de malo in pejus, de periculo minori in graviorem culpam. Quales utique multos videmus, cùm in ſordibus ſunt ſordeſcentes adhuc. Nam adverſùs timorem iſtum, non eſt unde ſibi blandiatur anima ſive de minori forte quantitate, ſive de emendatione futura. Talibus enim blandimentis impediuntur aliquatenus duo prima genera timoris. *S. Bonav. de ſeptem Donis Spiritûs Sancti de Dono Timo- c. 1.* *S.Bern. Domin. 1. poſt Octav. Epiph. ſerm. 2.*

Gradus Timoris, ex Formula aurea Seraphici Doctoris, S. Bonaventuræ. Timoris infimus gradus eſt, timere judicem ſecu- *S. Bonav. de Grad. virtu. c. 28. I.*

secularem. Altior est, timere judicem Spiritualem. Altissimus, timere judicem sempiternum.

II. Item altus gradus est, timere judicem DEUM; quia punire potest corpus in hoc mundo. Altior, timere eundem; quia punire potest animam. Altissimus, timere eundem; quia punire potest corpus, & animam in inferno.

III. Item in alto gradu est, quem timor cogit fugere omnia, quæ elongant â familiaritate DEI ad breve tempus. In altiori est, quem cogit timor fugere omnia, quæ separant ab unione de longo tempore. In altissimo est, quem cogit timor fugere omnia, quæ separant à fruitione DEI omni tempore.

IV. Item in alto gradu est, cui timor suadet requirere volun-
Eccles. 2. tatem DEI, juxta illud: *Qui timet Dominum, inquiret, quæ placita sunt ei.* In altiori gradu est, cui timor suadet semper perficere volun-
Ibidem 7. tatem DEI juxta illud: *Qui timet DEUM, nihil negliget.* Et: *Qui*
Ibidem 15. *timet DEUM, faciet bona.* In altissimo est, cui timor omnia bona
Ibidem. 25. conservat juxta illud: *Timor Domini omnibus superponit quasi signaculum omnia conservans.*

S. Bonav. de 7. *Gradus Timoris DEI*, quatenus est Donum Spiritûs
don. Spir. s. c. 3. Sancti, ponit *S. Bonaventura* adinstar diei quoad tempus Matutinum, Meridianum, Vespertinum, ita dicens: Hanc diem (nempe animæ spiritualis) Timor DEI inchoat tanquam manè, tanquam meridiem deducit, tanquam vesperam consummat. Unde *Hugo* dicit, quòd prius dies noster interior, est timor Domini permanens in seculum seculi. Cujus ratio est: Quia timor Do-
Eccli. 1. mini initium est sapientiæ, ut dicitur *in Ecclesiastico.* Et is à sapientia nunquam recedit, sed cum ea quotidie crescit, & proficit usque in perfectum diem. Ultimò formam timoris filialis indu-
Hugo lib. 2. c. ult. cit secundùm quosdam. Unde *Hugo* de arca Noë dicit: Sapientia DEI in cordibus sanctorum tanquam in paradiso invisibili per timorem seminatur, per gratiam rigatur, jam mane diei Spiritualis oritur; per dolorem moritur, per fidem radicatur, per devotionem germinat, per compunctionem oritur, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, ut sit quasi lux meridiana lucens & fervens; per fidem viret, per circumspectionem frondet, & expandit ramos, per disciplinam floret, per virtutem fructificat,
per

per patientiam maturescit, per mortem carpitur, per contemplationem cibat. Et tunc dies timoris vesperascit, quando à labore quiescitur, & Spiritualiter homo reficitur. Et iste est cibus de quo *Psalmista* ait: Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. In omnibus istis radiis sapientialibus timor Domini permanet in seculum seculi, & ut radix sapientiæ discurrit, & circuit solicitè circumspiciens, nè aliquæ tenebræ lateant, vel se istis radiosis luminibus immisceant, quæ diem mentis obscurent, vel oculis DEI displiceant, ut sunt tenebræ concupiscentiarum, quæ frequenter claritatem diei Spiritualis impugnant, & obnubilant. Unde *Richardus* dicit: Quis in illo unquam prælio victor extitit, ubi spiritus adversus carnem, & caro adversus spiritum concupiscit? Quis inquam tam numerosum exercitum concupiscentiarum suarum debellavit, si sine timore pugnavit? quia timor Domini maximè confortat cor contra concupiscentias. *Psal.* 15.

Stimuli ad comparandum Timoris DEI incrementum. *Imus. Deut.* Dominum DEUM tuum timebis. *Eccl.* Serva timorem illius, & in illo veterasce. *Eccl.* Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua. *Psal.* Voluntatem timentium se faciet. *Prov.* Timor Domini apponit dies. *Proverb.* In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit spes. Timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruina mortis. *Proverb.* Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur absque visitatione pessimi. *Proverb.* Finis modestiæ, timor Domini, divitiæ & gloria & vita. *Eccl.* Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. *Ibidem.* Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die obitûs sui benedicetur. *Ibid.* Plenitudo sapientiæ est, timere DEUM. *Eccl.* Qui timetis Dominum sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. *Eccles.* Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Dominum. *Eccl.* Oculi Domini ad timentes eum. *Eccl.* Agnoscent, qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est, quàm timor DEI. *Eccl.* Beatus homo, cui donatum est habere timorem *Deut.* 6. & 10. *Eccl.* 2. *Eccl:* 27. *Psal.* 145. *Proverb.* 10. *Prov.* 14. *Ibidem* 19. *Prov.* 22. *Eccl.* 1. *Ibidem.* *Eccl:* 2. *Eccl.* 10. *Eccl.* 15. *Eccl.* 23. *Eccl.* 25.

Eccl. 32. DEI. *Ibidem.* Timor DEI super omnia se superposuit. *Eccl.* Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus, & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. *Ecclef.* Timenti Dominum non occurrunt mala, sed in tentatione DEUS illum conservabit, & liberabit à malis. *Eccl.* 33. *Ecclef.* Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit, & quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima ejus. Oculi Domini super timentes eum. *Eccl.* 34. *Ecclef.* Facultates & virtutes exaltant cor, & super hæc, timor Domini. Non est in timore Domini minoratio. Timor Domini sicut Paradisus benedictionis. *Eccl.* 40. *Mich.* Salus erit timentibus nomen Domini. *Mich.* 5. *Malach.* Orietur vobis timentibus, nomen meum, sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus, & egrediemini, & salietis, sicut vituli de armento. *Malach.* 4. *Luc.* Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. *Luc.* 1.

S. Bern. in tract. de don. Spirit. S. c. 1. 2dus. *S. Bernardus* ait. Prima gratia, inquit, est timor Domini; qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatem, juxta illud Psalmistæ: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* Et alio loco: *Omnem viam iniquitatis odio habui.* *Psal.* 110. Scriptum namque est: *Timor Domini odit malum.* *Prov.* 3. Et iterum: *Time DEUM, & recede à malo.* *Ibidem.* Et de Iob dicitur: *Vir timens DEUM, & recedens à malo.* *Job.* 1. Sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare vel manere potest. *D. Chrysost.* 15. *ad pop.* *Et D. Chrysostomus inquit:* Nisi bonum esset timor, non multos impendisset Christus sermones, & longos de pœna & supplicio loquens. Timor nihil aliud est, quàm murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis; etenim multa nobis munitione opus est, quia multæ sunt undique insidiæ. *S. Bern. de dom. Spirit S. c.* 1. *S. Bernardus*: Sicut enim securitas vel desidia, causa & materia est omnium delictorum; sic Timor Domini radix est, & custos omnium bonorum. Unde Scriptum est: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* *Eccli.* 27. Omne namque virtutum ædificium illicò vergit in præcipitium, si hujus gratiæ amiserit præsidium. *Idem serm.* 1. *Dom. post.* 8. *Epi.* *Idem* Timor Domini fons est vitæ, aqua, inquam, timor Domini est, etsi minus sapida, sed optimè refrigerans animam, noxiis desideriis æstuantem. Aqua est quæ jacula inimici ignita possit extinguere. Nam nec illud dissonat, quòd aqua semper ima petit,

& timor ad ima cognitionem deducit, & in inferioribus demoratur; atque loca horrenda, pavidâ mente collustrat juxta illud. *Vadam ad portas inferi.*)) Psalmista inquit: *Initium Sapientiæ Timor Domini.* Supra quod *S. Thomas* discurrit: Nempe sicut articuli fidei sunt initium Sapientiæ quoad ejus effectum, seu unde sapientia incipit operari: ita etiam timor Domini ceu hoc modo erit initium Sapientiæ. Aliter tamen & aliter timor servilis, & filialis, sunt initium Sapientiæ. Nam servilis est tanquam principium extra disponens ad Sapientiam, dum quis timore pœnæ recedit à peccato, & habilitatur per hoc ad Sapientiæ effectum. Timor autem filialis est primus Sapientiæ effectus, cùm ad Sapientiam pertineat, quòd humana vita reguletur secundùm rationes Divinas; hinc oportet sumere principium, ut homo DEUM revereatur, & se ei subiiciat. Sic enim consequenter in omnibus secundùm DEUM regulabitur.)) Monitum Apostoli est: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Hinc Divus *Bernardus* inquit: Heu mihi Domine DEUS, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta. Quocunque me vertam nulla usquam securitas est: & quæ mulcent, & quæ molestant timeo; & esuries, & refectio, & somnus, & vigiliæ, & labor, & requies, militant contra me. *Divitias, & Paupertatem nè dederis mihi,* orat Sapiens; nimirum, quia in utroque laqueus; quia ubique periculum.)) *Psalmista ait:* Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Ad quod *S. Bonaventura* inquit: Non quòd illa multitudo dulcedinis totaliter abscondita sit à timentibus eum, sed quòd ipsa est in eis abscondita à non timentibus DEUM. Multa enim manifestantur bonis, quæ tamen absconduntur à malis. Quòd autem timor Domini dulcem saporem in mente causet ostendit *S. Bernardus* super Cantica ubi dicit: Timor Domini benè dicitur initium Sapientiæ, quia tunc primùm DEUS animæ sapit, cùm eam ad timendum, non tam ad sciendum instruit: quia timor sapor est. Porrò sapor Sapientem facit, sicut scientia scientem. Times DEI justitiam, times potentiam, & sapit tibi justus, & potens DEUS. Sapientia enim à sapore dicitur. Igitur timor

Psal. 110.
D. Thom. 2. 2. *q.* 19. *a.* 7.
Thessal. 2.
S. Bern. serm. 6. *in Quadrag.*
Proverb. 30.
Psal. 30.
S. Bonav. de 7. *donis. Spir. S. c.* 4.
Idem, Ibidem.
S. Bern. in cant. s. 23.

initiumSapientiæ, saporem sapidum in intimo mentis secreto multipliciter immittit, & ita multipliciter reficit totam mentis familiã: sed & totum regnũ animæ justificat, pacificat, & lætificat: quæ tria perficiunt convivium timoris Domini, quod non in exterioribus animæ celebratur, quia regnũ DEI intra nos est, ut dicitDominus.

3ius Ab exemplis. S. Iob ait: Semper quasi tumentes super me fluctus timui DEUM, & pondus ejus ferre non potui. *Aliud.* Refert Doctor Iacobus. Idem narrat S. Vincentius Ord. Prædicat. Serm. 6. de Septuagesima. Et Martinus Polonus ejusdem Ordinis Prædi. in suo promptuario. exemplorum c. 18. Et P. Major in speculo Exemplorum. Quòd illâ horâ, quâ beatus Bernardus de hoc mundo feliciter migravit, triginta millia hominum decesserunt, inter quos fuit quidam Decanus Ecclesiæ Lingonensis, laudabilis vitæ, dum vixit: hic mundanos honores fugiens vitam solitariam elegit in quadam eremo, in qua per 25. annos conversatus est. Obiit etiam eodem die, quo Beatus Bernardus, hic Decanus. Post mortem autem apparuit Lingonensi Episcopo cum magna gloria, pro ipsius Episcopi, & omnium hoc audientium admonitione dicens ei: Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige conscientiam, dimitte superbiam, simul & avaritiam, aliter nunquam habebis cælestem gloriam. Non enim tam facile est salvari hominem, sicut credunt, quoniam dum ego præsentarer DEI judicio, affuerunt ibi triginta millia animarum, de quarum numero vir Beatus Bernardus, & ego sumus salvati, tres descenderunt in purgatorium, alii omnes ceciderunt in infernum. His dictis disparuit. *Aliud.* In revelationibus Beatæ Brigittæ, animæ aliquando dicuntur descendere ad infernum, sicut nix descẽdit in terram *Aliud.* Beatus Arsenius incessanter lachrymis madens, rogatus an non cum tot lachrymis securus ad DEUM accederet? Respondit: Fratres mei, metuo, & nec momento sine metu fui, ex quo me DEO consecrans, huic vitæ nomen dedi.

Ludovicus Blosius in Monili spirit. c. 1.

Praxis Comparandi sibi Timorem DEI est *1mo.* Orare DEUM identidem cum Psalmista: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.*

Psal. 118.

2do. Recogitare in amaritudine animæ annos præteritos

vitæ

vitæ ſuæ, revocando in memoriam delicta & peccata propria: Tum ſedulò meditari quatuor novisſima, ac terribilem DEUM in judiciis ſuis: poſt quæ excitare in ſe actus & affectus juxta *praxim ſupra datam*: quibus omnibus tanquam motivis depresſivis animus dejiciatur in timorem DEI, & ſui humiliationem. *l. 2. tr. 1. c. 1. ſec. 4. ſubſ. 1.*

3tio. Conſiderare ſigna Reprobationis: de quibus ita *Dobroſielſcius* diſcurrit. Condemnabitur omnis à DEO reprobatus, propter prævisum finale peccatum juxta illud *Apoc.* 20. Qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Licèt autem non ſit nobis certitudinalitèr & ineffabilitèr ſcire posſibile, quis videlicet hominum ſingillatim ab æterno vel prædeſtinatus vel reprobatus fuerit, cùm etiam de nullius hominis vel juſtitia vel peccato finali certò nobis conſtet, eò quòd ſæpiùs accidat, ut cùm de unius correctione deſperamus, ſubitò convertatur, & fiat optimus; & cùm de alterius vitæ probitate multùm præſumimus, brevi deficiat & fiat pesſimus: & hinc omnino incertum eſt, qualis futurus ſit, qui nunc vel bonus vel malus apparet. Tamen in quandam hujus rei conjecturalem ac probabilem poſſumus devenire cognitionem, ex nonnullis videlicet teſtimoniis ac ſignis, tum in Sacra Scriptura, tum inter placita Sanctorum Patrum expresſis, & conſignatis: quorum quidem ſignorum reprobationis, aliqua in medium ad noſtri cautelam proferre liceat. *§ 3. Dobroſielſ. in ſummar. Aſcet. & Myſt. Theol. Medit. de inferno.*

I. Signum Finalis peccati, & conſequenter ipſius reprobationis, eſt Infidelitas: quæ alia abſoluta habetur: qualis eſt Judæorum, Turcarum, & ſimilium; alia ſecundùm quid: qualis eſt Hæreticorum. *Unde Joan.* 3. Qui autem non credit (ſive in toto, ſive in parte) jam judicatus eſt. Et *Rom.* 2. Quicunq; enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Et *Timoth.* 3. Hæreticum hominem poſt unam vel ſecundam correptionem devita, ſciens quòd ſubverſus eſt, qui ejusmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus. Et *Heb.* 11. Sine fide, imposſibile eſt placere DEO.

II. Signum finalis peccati, ac ipſius reprobationis, eſt Injuſtitia, quæ juſtitiæ generali opponitur. Unde ſicut juſtitia generalis ſecũdum *D. Bonavent*: eſt virtus quâ ſibi, DEO, & proximo, quod ſuum eſt, tribuitur. *Vel*: Eſt virtus, quæ comprehendit totius animæ recti-

tudinem, ac omnes virtutes ordinantes ad proximum, ſicut eſt æquitas, liberalitas: & ad ſeipſum, ſicut eſt innocentia, pœnitentia: & ad DEUM, ſicut eſt latria, obedientia. Ita injuſtitia præſens, nil aliud eſt, quàm vitium, quo ſibi, DEO, & proximo, quod ſuum eſt, ſubtrahitur. *Vel:* Nihil aliud eſt, quàm omne, quòd eſt contra juris æterni regulas in cauſa DEI, ſui, & proximi. De hac injuſtitia illud eſt: *Deut.* 25. Dominus averſatur omnem injuſtitiam. *Et Pſal.* 5. Non permanebunt injuſti ante oculos tuos. *Et* 1. *Pet.* 4. Si juſtus vix ſalvabitur (*Lectio græca habet*, ſalvatur) impius & peccator (*qui nimirum habentes fidem, & agnoſcentes veritatem DEI, operibus impiis, & quibusvis peccatis deditiſunt*) ubi parebunt?

III. *Eſt Conſvetudo prava aliquod peccatum perpetrandi*, juxta illud *Jacob* 2. Quicunque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. *Id eſt*, quantùm ad averſionem à ſummo Bono, & quantùm ad durationem punitionis: quia ſic ſe homo per unum peccatum avertit à DEO, ſicut per plura; & ſic etiam punietur pro uno peccato quantùm ad durationem, ſicut pro pluribus. Quòd autem conſvetudo alicujus peccati ſignum ſit reprobationis, dat rationem *S. Gregor. Moral. lib.* 15. Tenent enim pravæ conſvetudines, quem ſemel cœperunt, atque quotidie duriorem efficiunt: & non niſi cum peccatoris vita finiuntur. *Idem*: Vſitata culpa obligat mentem, ut nequaquã ſurgere poſſit ad rectitudinẽ, conatur enim & labitur, quia ubi diu ſponte perſiſtit, ibi etiam cùm noluerit, coactè cadit. *Idem*: Si pravæ rei aditus, antequam diu pateſcat non clauditur, uſu fit latior, & erit conſvetudine licitum, quòd ratione & lege conſtat eſſe prohibitum. *Item Iſid. lib.* 1. *ſoliloqui.* Difficile eſt peccati conſvetudinem vincere, pravus uſus vix aboletur; aſſidua conſvetudo, vitium in naturam convertit. Animus ſceleribus aſtrictus, vix ab eis divelli poteſt. *Idem de ſummo Bono.* Cogitatio prava delectationem parit, delectatio conſenſionem, conſenſio actionem, actio conſvetudinem, conſvetudo neceſſitatem. *Idem.* Dum facta quædam non gravia liberè & ſine metu committimus, ad pejora ſcelera, & horrendam peccati conſvetudinem labimur. Unde *Proverb.* 22. Proverbium eſt, Adoleſcens

ſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. *Item Ierem.* 13. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.

IV. *Signum reprobationis, eſt Recidivatio animæ in priſtinam peccati ægritudinem.* Illud autem peccatum recidivationis dicitur, quod videlicet poſt veram ac plenam ad DEUM converſionem practicam, ex certa ſcientia & libera voluntate iterum perpetratur. *Unde Ezech.* 18. Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid vivet? omnes juſtitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione quâ prævaricatus eſt, & in peccato ſuo quod peccavit, in ipſis morietur. *Et S. Gregorius in Ezech: Sicut* qui à fide recedit apoſtata eſt, ita qui ad perverſum opus quod deſeruit, redit; ab Omnipotenti DEO abſque ulla dubietate apoſtata deputabitur, etiamſi fidem tenere videatur.

Nota autem quod hujuſmodi peccatum recidivationis pejus, gravius, & periculoſius eſt peccato ſimplicis conſvetudinis, ut patet. *Ioan.* 5. Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat. *Tum ſcilicet*; quia difficilioris eſt curationis: peccatum enim ſimplicis conſvetudinis curari ſolet funditus pœnitentiâ ordinariâ ſolenni ac publicâ. *Tum*, quia peccata per pœnitentiam dimiſſa, redeunt deinde recidivanti, non quoad actum; ſed tanquam circumſtantia, peccatum præſens multùm aggravans.

V. *Signum reprobationis puta eſſe Principia politica, & habitus pravos.* Quia ſicut concubina de domo non expulſa, ſolet eſſe pœnitenti laqueus, & cauſa recidivationis; tanquam proxima peccati occaſio externa; ita etiam principia politica per ſtudium meditationis non ſuperata, & habitus pravi per aſceticam diſciplinam non mortificati, ſunt cauſa recidivationis viam ſpiritualem incipienti, tanquam proxima occaſio interna diverſorum peccatorum: Et quia ſicut ventus ignem, ſic principia politica, & habitus pravi concupiſcentiam, & deſiderium peccandi accendunt, quemadmodum quotidiana docet experientia.

VI. *Signum reprobationis eſt, Pœnitentia ſera ſeu tarda, ac usque ad mor-*

ad mortem dilata. Et ratio est, quia hujusmodi pœnitentia, communiter ac ordinariè, ex parte hominis, non solet esse vera; & ex parte DEI, non solet esse accepta. Ex parte quidem hominis pœnitentia sera, ordinariè non est vera, propter duas rationes. *1ma est*; quia talis pœnitentia, communiter non est voluntaria, & consequenter, non meritoria; quippe nullum opus nostrum potest esse meritorium, quod non est voluntarium. Probatur autem pœnitentia in mortem dilata, non esse voluntaria: quia si mors nunquam veniret, pœnitens hujusmodi nunquam pœniteret; & ita cùm quis vellet mortem nunquam venire, nunquam etiam vellet verè pœnitere. Et inde patet, quòd pœnitentia in morte communiter fiat ex necessitate, non ex voluntate. *Hinc S. August. serm. 36.* Age pœnitentiam dum sanus es; si sic agis, dico tibi, quòd securus es; quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis pœnitentiam agere, quando jam peccare non potes; peccata te dimiserunt, non tu illa. *2da ratio est*, quia pœnitentia in morte solet esse nimiis impedita doloribus. videmus enim quòd una qualitas impedit, nè alia sentiatur; sicut patet in saporibus: cùm enim gustus est infectus aliquo sapore amaro, non discernit alios sapores; quia omnia quæ gustat; videntur sibi amara. Sed sicut unus sapor impedit alium; ita una delectatio impedit aliam, scilicet delectatio sensibilis intellectualem. Propter quod *1. Corinth. 2. dicitur.* Animalis homo, non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI. Et similiter dolor sensibilis impedit intellectualem, ac tantò magis, quantò intensior est. Sed dolor sensibilis qui mortem inducit, est maximus & intensissimus; ideo dolorem contritionis spiritualem (qui consistit in appretiatione rationis & detestatione voluntatis) sic impedit, ut ille homo affectus non valeat se supra suum inferiorem sensum abstrahere, ac sursum in Spiritum elevare, internæq; mẽtali actioni sicut oportet insistere. Ex parte quoq; DEI pœnitentia sera comuniter ac ordinariè non est accepta, juxta illud *Psalm. 58.* Convertentur ad vesperam, & famem patientur, ut canes, & circuibunt civitatem. Hujus rei ratio datur in Persona DEI. *Prov. 1.* Quia vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non erat qui aspiceret;

ceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis: advenerit. Unde S. *Aug. serm. 36.* Quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatia, qui se non cogitavit moriturum. *Idem de doctrina Christiana.* Non potest malè mori, qui bene vixerit; & vix benè moritur, qui malè vixit. *Idem:* Vivite benè, nè malè moriamini. *Idem:* Ad hoc prodest homini benè vivere, ut detur ei semper vivere. *Hæc ille.* Verùm etiam maximo peccatori nunquam est desperandum, quamvis ordinariè sera pœnitentia (ut dictum est) non soleat esse vera, & apud Deum accepta; quia non fit ordinariè, nonnunquam fieri potest extraordinariè. *Unde Ezech. 33.* Impietas impii non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit ab impietate sua. *Et S. Augustinus in Psalm. 6.* Conversio nostra semper inveniet DEUM paratum. *Idem de dogm.* Pœnitentiâ aboleri peccata indubitanter credimus, & in ultimo vitæ spiritu, si admissorum pœniteat. *Et S. Hier.* Nunquam est sera conversio; Latro de cruce transit ad Paradisum.

VII. *Signum reprobationis est, Peccatum in Spiritum Sanctum.* Quia irremissibile dicitur, juxta illud Matth. 12. Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non dimittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.

Nota primò, quòd aliquod peccatum, tripliciter potest dici irremissibile. *1mo* Negativè: hoc modo irremissibile est peccatum reproborum ac damnatorum: quia nulla jam ratione remittitur. *2do*, privativè: hoc modo irremissibile est quodlibet peccatum mortale: quia privat hominem illo dono cælesti, sine quo ex se ipso non potest ad gratiam resurgere, nisi deinde cælitùs efficaciter adjuvetur. *3tiò* contrariè: hoc modo irremissibile est peccatum hujus loci in Spiritum Sanctum: quia habet in se contrariam dispositionem ad remittendum, & repugnat gratiæ Spiritûs Sancti, seu gratiæ pœnitentiali, per quam fit remissio peccati à DEO, intra unitatem Ecclesiæ.

Nota secundò, quòd repugnantia gratiæ Spiritûs Sancti aliàs dispositio contraria, gratiæ pœnitentiali, triplex habetur:

vel nimirum in comparatione ad ipsam pœnitentiam, vel in comparatione ad DEUM, vel in comparatione ad unitatem Ecclesiæ. *Prima* repugnantia, duas peccati in Spiritum Sanctum species constituit, ut est, obstinatio mentis, & finalis impœnitentia: pœnitentia enim facit animam resilire à commisſis, & præcavere à committendis: contra quod est mentis obstinatio, & finalis impœnitentia seu propositum nunquam pœnitendi. *Secunda*, duas ejusdem peccati species constituit, utpotè desperationem, & præsumptionem: nam universæ viæ Domini, misericordia & veritas, *id est*, justitia. Non sic enim DEUS misericors est, quòd non sit jam & justus; & non sic est justus, quòd non sit etiam & misericors. Unde misericordiam DEI impugnat desperatio, & justitiam præsumptio. *Tertia* tandem, duas species constituit, ut est impugnatio agnitæ veritatis, & fraternæ charitatis invidentia. Nam unitas Ecclesiæ, maximè in duobus consistit, utpotè, in veritate fidei, contra quam est impugnatio agnitæ veritatis, & in gratia DEI seu charitate, contra quàm est fraternæ gratiæ invidentia. *Hæc Dobrosielsciuſ.*

4to. Perpende pericula multorum qui post innocentem, vel aliàs probam vitam actam, aut pœnitentiam, in gravia peccata prolapsi, æternùm perierunt. I. Talibus potest applicari illud

Jerem. Thren. c. 4. prophetæ. *Quomodo obscuratum est aurum* Charitatis, *mutatus est color optimus* pulcherrimæ virtutis: *dispersi sunt Lapides Sanctuarii*, homines dediti Divino cultui, illo neglecto abjecti ad profana, *in capite omnium platearum*, ut sint in conculcationem, seu contemptum mortalium? *Filii Syon inclyti, & amicti auro primo* virtutis ac perfectionis, *quomodo reputati sunt in vasa testea*, in vasa contumeliæ & reprobationis, *opus manuum figuli. Qui nutriebantur in croceis* cælestis consolationis, *amplexati sunt stercora* carnalis voluptatis &

Galat. 3. mundanæ felicitatis. Et illud Apostoli: *Sic stulti estis, ut cùm spiritu cæperitis, nunc carne consumemini.*

Exodi. 32. II. Placet spectare exempla in hac materia. 1. Populus Israeliticus per stupenda prodigia Ægypti servitute emancipatus, à cultu veri DEI in turpem vituli idololatriam, aliàque peccata

Num. 14. murmuris, & rebellionis deficiens, indignus factus est terrâ promissionis; ut ex immensa illius multitudine, nonnisi duo, *Iosue*, &

Caleb

Caleb illuc ingressi sunt; alii vèro auersi corde in Ægyptum, corpore manentes in deserto, serviebant militiæ Cæli, seu astra, Deosqùe alienos Moloch, & Remphan adorabant, morientes in peccatis suis. De quibus DEUS ait: *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi, semper hi errant corde. Et isti non cognoverunt vias meas: ut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Et alibi de iisdem. *Non audivit populus meus vocem meam: & Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum*, subtrahendo gratias speciales, ut faciant, quod eis libeat, & sic pereant. 2. Rex Saul initio optimus, deinde pessimus; cùm esset parvulus in oculis suis tractus ad regnum, factus est caput in tribubus Israel: Verùm post hæc inobedientiæ reus in DEUM, abjectus infeliciter regnavit, ac infeliciùs periens regnum temporale, æternumque amisit. 3. Iudas Iscariothes gradu Apostolatûs, gratiâque miraculorum à Christo sublimatus, O quam in profundam voraginem avaritiæ, proditionis, desperationis, ipsius denique inferni corruit! 4, Nicolaus unus ex septem Diaconis primitivæ Ecclesiæ tanquā *boni testimonii*, & *plenus Spiritu Sancto* electus, in impudentissimum hæresiarcham descivit 5. Origines, & Tertulianus, vitâ & doctrinâ insignes, magna Lumina & columina Ecclesiæ, tandem ille antesignanus hæreticorum, iste infamis erroribus Montani extitère. 6. Osius Episcopus, cui parem nulla vidit & luxit ætas, quem Arriani ipsi synodorum principem appellârunt, Orbis universus veluti æui sui miraculum suspexit, Constantinus Imperator ut Patrem venerabatur, laterique suo veluti assiduum monitorem adhærere volebat, in Conciliabulo quodam firmiensi ignominiosè prostratus, & Nicenæ fidei, quam extulerat ipse, proditor atque desertor extitit, & in extrema centum annorum ætate Vrsacii & Valentis hæresim amplexus est 7. Heron Eremita à summis ad ima dejectus, omnes pristinos labores perdidit, & insuper miserabiliter vitam finivit. Etenim quinquaginta annis in eremo commoratus, singularem vitæ districtionem tenuit, & solitudinis secreta mirabiliter ultra omnes sectatus est; nec die Paschæ ad Ecclesiam cum aliis conveniret, nec eodem die quantulacunque perceptione leguminis parvi abstinentiæ rigorem solveret. Quâ præsumptione decep-

Actor. 7. *Amos. 5.* *Psal. 94.* *Psal. 80.* *1. Reg. cap. seq.* *Actor. 6.* *Baron. a. 357.* *De vitis Patrum Cassian. Collat. 2. c. 5.*

ptus, Angelum ſathanæ velut Angelum lucis ſuſcipiens cum ſumma veneratione, ejuſquè præceptis obediens, ſemetipſum in puteum profundisſimum præcipitem jactavit, magnum ſcilicet virtutis ſuæ meritum probaturus, cúm inde exiiſſet illæſus: de quo puteo cum grandi fratrum labore ſemivivus extractus, vitam tertiâ die finivit; & quod his deterius eſt, ita in deceptionis ſuæ obſtinatione permanſit, ut ei nullatenus potuiſſet perſuaderi, quòd dæmonum calliditate fuiſſet deluſus. 8. Refert Frater Gvilhelmus Lugdunenſis Epiſcopus quendam Eremitam in ſylva non longè à quodam Monaſterio infirmatum, Abbatem ad ſe accerſiiſſe, ut Eccleſiaſtica Sacramenta ſibi porrigeret, qui confeſſus eſt, & communicavit. Videns verò Latronem ſtantem prope januam, ac cum humilitate cordis ſui dicentem: O ſi eſſem talis, qualis es tu! Eremita in elatione mentis, & complacentia ſuiipſius dixit: Hoc libenter deberes velle, quòd eſſes talis, qualis ego ſum. Et ſic mortuus, eſt damnatus. Latro verò ille velociter currens poſt Abbatem cecidit, & mortuus eſt immediatè. Et quia firmum propoſitum habuit confitendi, Angeli animam ejus rapuerunt, & ad cælum cum gaudio deduxerunt: quia ſua contritio fuit tanta, quòd delevit culpam & pœnam. Prout de horum duorum exitu Fratri pio ſocio tunc Abbatis, revelatum fuit.

V. ſpeculum Exemplor. diſt. 9. Exemplo. 199.

S. Aug. ſoliloq. c. 29.

Terribilia nimis ſunt, quæ S. Auguſtinus pavens & tremens refert: *Vidimus multos Domine, & audivimus à Patribus noſtris, quod utique ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor, aſcendiſſe primitùs quodammodo usq; ad cælos, & inter ſidera nidum ſuum collocâſſe, poſtmodum autem cecidiſſe usque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cælo cecidiſſe ab impetu ferientis caudæ draconis: & eos qui jacebant in pulvere terræ, à facie ſublevantis manûs tuæ Domine, mirabiliter aſcendiſſe. Vidimus vivos morientes, & mortuos à morte reſurgentes: & eos, qui inter Filios DEI ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum fluxiſſe. Vidimus lucem obtenebrâſſe, & de tenebris lucem proceſſiſſe; quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regno cælorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Rationem verò ejuſmodi horribilium caſuum ſubdit S. Pater, nempe *Superbiam* dicens: *Quare autem iſta omnia, niſi quia in montem illum aſcenderunt, in quem primus aſcendit Angelus; & deſcendit diabolus?*

Ejuſmo-

Ejusmodi igitur motivis ad timorem depressus: *Noli altum sapere, sed time.* Et: *Qui stat, videat nè cadat.* Et: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Rom. 11. 1. Cor. 10. Apoc. 3.

5to. Exercere se in actibus timoris DEI juxta *supradicta*, tum quos hic ex *Thesauro indeficienti Blasii Palmæ* subjicio. 1. 2. tra: 1. c. 1. sec: 4. subs. 1. §. 3. & subs: 2. §. 2. & subs: 4.

Actus Timoris DEI.

PRimò *Summe, timende, ac tremende Domine, si justus timor est anxietas quædam cordis, quæ retrahit hominem ab illicito usu membrorum, & sensuum exteriorum, internorumq; affectuum: nè anima, vel omnino, vel ex parte à te, DEO meo, separetur, aut quærat delectationem in aliqua creatura, atq; ita refrigescat ardor Spiritûs: ego nunc considerans infinitam Majestatem & magnitudinem tuam, in cujus conspectu tremunt omnes Spiritus, cælestes, terrestres, & infernales, totus confusus ob meam monstrosam indignitatem, descendo in abyssum nihili mei; magnopere timens, nè te offendam, & separer à Divina tua gratia: sicuti aliis multis evenit, eò quòd in conspectu tuo rectè non ambularent.*

2dò. *Itaque dum cogito solùm, quòd possim te offendere peccatis venialibus, ac mortalibus, horreo, & totis artubus meis contremisco: maximè quòd agnoscam me omnino debilem & imbecillem, & nihil posse, sine gratia tua singulari.*

3tiò. *Agnosco tamen etiam, Domine, hunc timorem mihi esse valde necessarium, & utilem; & ideo instanter illum à te peto; ipsumq; ut in me augere, & animæ meæ imprimere velis, rogo, dicendo cum Psalmista: Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui.*

Plures actus Timoris DEI vide supra sub *Praxi Meditationis.* 1.2. tr. 1. c. 1. sec. 4. sub. 1. §. 3.

SECTIO III.

§. I.

De Præsumptione.

PRæsumptio *est oppositum vitium spei per excessum, timori per defectum, quo aliquis innitens Omnipotentiæ & misericordiæ DEI, absque requisita conditione poenitentiæ, vel bonorum operum, confidit se obtenturum veniam peccatorum, gratiam, & gloriam.* V. D. Thom. 2. 2. q. 21.

Stimuli ad vitandam præsumptionem sunt hujusmodi. 1mus. *Eccl.* Nè dixeris peccavi, & quid mihi accidit triste? Al- Eccl. 5.

 tissimus

tisſimus enim eſt patiens redditor. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum. Et nè dicas: Miſeratio Domini magna eſt: multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.)) Deinde præſumptio eſt vana ſpes & confundens, hominem maledictum faciens: Audi *S. Bernardum* hæc proferentem: Sunt autem alii qui ſperant quidem à Domino ſed fruſtra, quia ſic de miſericordia ejus ſibi ipſis blandiuntur, ut à peccatis ſuis non emendentur. Vana eſt omnino ſpes iſta, & hæc confundit, eò quòd charitas deſit. Contra hos † Propheta *Maledictus*, inquit, *qui peccat in ſpe.* Et alibi: *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus.* Dicturus qui ſperant, ſignanter præmiſit ſuper timentes eum. Fruſtra ſiquidem ſperat, qui contemptu ſuo gratiam à ſe repellit, & ſpem ſuam prorſus evacuat.

S. Bern. Serm. 1. ſuper Pſal. Qui habitat.

† Prophetam hunc non invenio: interim Vide Eccl. 5. Pſalm. 146.

2dus. S. Joannes Chryſoſtomus inquit: Præſumptio numeratur inter peccata in Spiritum Sanctum. Utrumque periculum eſt, & confidentia perverſa, & deſperatio. Nam confidentia nimia ſtantem evertit; & deſperatio poſt lapſum non permittit exurgere.

S. Joan. Chryſoſtom. de poenit. homil. 10.

3tius. Quia ſine labore affectare ſalutem, eſt imitari Luciferum, ut è contra per merita ad præmia anhelantes imitantur Chriſtum, & SS. Angelos: Elegantem ſuper hoc accipe diſcurſum Melliti Doctoris ore formatum. *Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altisſimo.* O impudens! millia millium miniſtrant ei, & decem centena millia asſiſtunt, & tu ſedebis? *Cherubim* ait Propheta *ſtabant*, & non ſedebant; quid laboràſti, ut jam ſedeas? Omnes adminiſtratorii ſunt ſpiritus misſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, & tu ſedebis? quid ſeminâſti, ut jam metas? Non eſt tuum, non eſt tuum hoc, ſed quibus paratum eſt à Patre. Quid tu eis invides? profectò ipſi ſedebunt, ipſi inquam vermiculi terræ judicantes ſedebunt, & tu non modò non ſtabis, ſed judicandus adſtabis. *Neſcitis* ait Apoſtolus, *quia & Angelos judicabimus?* Ipſi utique ibant, & flebant mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Duo manipuli ſunt, quos

Iſai. 14.
S. Bern. Serm. 1. de S. Bened. Abb.
Ezech. 10.
2. Cor. 6.

quæris

quæris honoris scilicet, & quietis. Sessionem affectas & altitudinem, sed non sic, non sic: non colliges, quia non seminâsti. Qui seminaverunt laborem & vilitatem, metent honorem pariter & quietem. Pro confusione enim sua duplici & labore in terra sua duplicia possidebunt. Unde & dicebat quidam. *Vide humilitatem meam, & laborem meum.* Hodie audîstis in Evangelio promittentem Dominum & dicentem discipulis. *Sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel.* Ecce quies sessionis, & honor judicii. Nam & ipse Dominus ad hæc noluit pervenire nisi per humilitatem, & laborem. Unde & morte turpissimâ condemnatus est, interrogatus tormentis, & opprobriis saturatus: utique ut inimicus induatur confusione, ipse pariter & omnes, qui imitantur eum, & prætergrediuntur viam. Ipse est, ô inique, ipse est, qui sessurus est in sede Majestatis suæ, similis Altissimo, & Coaltissimus ei. Hoc utique cogitaverunt Angeli Sancti, qui cadente maligno, Apostasiæ illius non consẽserunt, nobis relinquentes exemplum, ut quemadmodum ipsi elegerunt ministrare, sic & nos faciamus. Nam etiam qui laborem fugiunt, honorem captant, illum se noverint imitari, qui sessionem altitudinemque quæsivit, & si non satis eos terret illius culpa, terreat vel vindicta. Omnia enim in contrarium devenerunt, ut formatus sit ad illudendum ei, & ignis æternus præparatus est illi.

4*tus.* Verùm dices: equidem scio nihil coinquinatum introire in illam Sanctam Civitatem, ideòque pœnitentia agenda est; sed sufficere mihi tempus æstimo in senecta, vel morbo, imò & in ipso articulo mortis, ad illam. An non in puncto Publicanus ille Evangelicus justificatus? an Latro in agone mortis Paradisum non meruit? Unum: *DEUS propitius esto mihi peccatori*, contrito corde prolatum, centum quoque annorum crimina expiabit, jus ad regnum cæleste dabit. *Respondetur.* Sit sanè: at cur Publicanum allegas, nec eum incolumem tempestivè imitaris, potiùs ad senium, & mortem differs pœnitentiam? Latronem unum in morte salvatum canis; & innumeros præsumptuosos perditos æternùm haud numeras? quid si ad senium non devenias? quid si inopinatâ morte intereas? quid si morbo oppressus contritionem non elicias, etsi elicias, & fiat naturaliter

subtra-

subtrahente DEO concursum supernaturalem ob indignitatem tuam, & justam vindictam, & sic non in cælum, sed in infernum æternum arsurus proficias? Vide, quid facias; exhorresce scriptum: *Non tardes converti ad Dominum, & nè differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

Eccl. 5.

Ad Praxim cavendi præsumptionem servit; Firmâ fide credere DEUM non daturum veniam culpæ citra pœnitentiam; nec laxationem pœnæ citra satisfactionem; nec augmentum gratiarum citra exercitium bonorum operum; nec finalem gratiam pro felici morte (ut ordinariè fit) citra ardentissimas supplicationes. Hic enim est sensus Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, obvius, frequentissimus. Deinde non per transennam ad illud Apostoli se reflectere: *DEUS non irridetur.* Præsumptuosus enim videtur velle nugari cum DEO, ut illa summa Puritas suas sordes culpæ per misericordiam non aversetur, summa justitia suas injustitias blandè respiciat, sicque spurcum & ipsis dæmonibus abominabilem in suum Divinum consortium admittat. An DEUS non irridetur, dum præsumptuosus non suam ad Divinæ Majestatis, sed Divinam ad suam voluntatem peccatricem regulare velit, tempus hærendi in fœtore peccatorum, tum ex illis emigrandi, metas denique vitæ sibi præscribendo?

Galat. 6.

Depositâ igitur præsumptione tradas te ad timorem DEI, pœnitentiam, aliaque exercitia virtutum.

Adhibe huc quoque *Supraspecificata*, proportione servatâ.

l. 2. tra. 1. cap. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

§ II.

De Securitate mala.

PRæsumptioni affinis est Securitas mala, *quâ homo penè totalitèr quiescit à timore circa perditionem salutis æternæ.* Differt à securitate bonorum, quia hæc non caret timore DEI saltèm filiali, tum provenit ex testimonio conscientiæ bonæ, aut Revelatione Divina. Malorum autem securitas hæc minimè præsefert.

Contra Securitatem malam est 1mo. Prov. Beatus homo qui semper

ſemper eſt pavidus, qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum. *Prov.28.*
Ibidem: Viri mali non cogitant judicium de ſecuritate malorum.
Eccl. Quia non profertur citò contra malos ſententia, filii hominum absque timore ullo perpetrant mala. *In eodem:* Sunt impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant. *Apoſtolus:* Cùm dixerint pax & ſecuritas: tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. *2do. S. Auguſtinus:* Nemo ſecurus eſſe debet in vita iſta, quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. *S. Gregorius:* Sæpè mens dum virtutis ſuæ ſecuritate reſolvitur, inſidiante adverſario inopinatæ culpæ telo perforatur, & inde à DEO in æternum longè fit, undè ei ad tempus ſine cautelæ cuſtodia propinquaverat. *Idem:* Sæpè quem tentationis certamen ſuperare non valuit, ſua deteriùs ſecuritas ſtravit. *Idem:* Quibus ſæpè magnitudo virtutis occaſio fuit perditionis: ut cùm de confidentia virium inordinatè ſecuri eſſent, per negligentiam inordinatè morerentur. Mater enim negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas. Videndo ergo meretricem, *id eſt*, Magdalenam, de tua liberatione non deſperes: Sed etiam Judam cogitando, ſecurus eſſe non debes. Confidentia ſtantem evertit, & deſperatio poſt lapſum exurgere non dimittit. *S. Bernardus:* *Scuto* (inquit) *circumdabit te veritas ejus.* Ad quid enim? *Non timebis* (inquit) *à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.* Videsnè quàm neceſſe ſit, ut ſcuto circumdet te veritas, quem ſic hoſtium tela circumdant? Ab inferiori enim parte timor nocturnus inſurgit, à ſiniſtris ſagitta volat in die, à dextris perambulat negotium tenebroſum: & ut nihil ſit vacuum, à ſuperiori parte dæmonium meridianum inſurgit; nos autem miſeri, & miſerabiles, vicinis tot ſerpentibus, & igneis telis undique volantibus, inſurgentibus inimicis, nihilominus perniti oſa ſecuritate & negligentia dormitamus, torpemus otio, vanitatibus, & ſcurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad ſpiritualia exercitia, ac ſi jam pax ſit, & ſecuritas, & non ſit militia vita hominis ſuper terram. Hoc eſt (dico vobis Charisſimi) quod me vehementiùs terret, quod omnino timoris acerbisſimi gladio transverberat animam meam: quod inter tanta pericula minùs timorati,

Eccleſ.8. *Theſſal.5.* *S.Auguſt.lib.10 Confeſſ.* *S.Gregor. in Moral.* *Idem in Moral.* *Idem in Paſt.* *S.Bernardus ſerm.2. de S. Andrea.* *Pſalm.90.*

rati, minùs exercitati, minùs quàm necesse sit soliciti videamur. Siquidem unum è duobus hæc ipsa negligentia nostra probat, aut omnino traditos nos hostibus, & nescire: aut si inter hæc conservamur, ei, qui tuetur, ingratos nimirum inveniri: Quoniam utrumque quid periculi habeat, satis manifestum est. Propterea obsecro vos dilectissimi, ipsa nos excitet hostium malitia pervigil, & instantia eorum maligna, quâ tam seduli, tam soliciti sunt in nostram perditionem, nos quoque solicitos faciat & circumspectos, ut in timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur. *Idem*: Timeo Fratres nè fortè etiam sit in nobis, qui non habitet in adjutorio Altissimi, sed confidat in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum. Fortè enim fervorem habet aliquis, potens in vigiliis, in jejuniis, in labore, & cæteris hujusmodi, aut etiam multorum (ut sibi videtur) divitias meritorum longo tempore acquisivit, & in his confidens remissior est in timore DEI, facilè jam ad otiositates, & curiositates, pernitiosâ quadam securitate declinat, murmurat, detrahit, dijudicatque. Qui profectò si habitaret in adjutorio DEI, attenderet utique sibi, & timeret offendere, quem sibi cognosceret adhuc tam necessarium esse. Tantò siquidem ampliùs timere DEUM, & magis solicitus esse debuerat, quantò majora ejus munera jam percepit. Neque enim quæ habemus ab eo, servare aut tenere possumus sine eo. Nunc verò (quod sine dolore non loquimur, aut videmus) sunt aliqui, qui in conversionis initio, satis timorati & soliciti sunt, donec initium aliquod conversationis acceperint; & cùm multò magis desiderare debuerant, juxta illud: *Qui edunt me, adhuc esurient:* Incipiunt sic agere ac si dicant: ut quid ei serviamus ultra, quando jam habemus, quod daturus est? O si scires, quàm parum est, quod habes, & hoc ipsum, quàm citò perdes, si non servaverit ille, qui dedit. *Hugo*: Sic comedo, bibo, & dormio securus, quasi jam transierim diem mortis, & evaserim diem judicii, & tormenta inferni: sic ludo, & rideo, quasi jam regnem in regno tuo.

Idem Serm. I. *super Psalm.* 90 Qui habitat.

Eccles. 24.

Hugo lib. 3. *de anima.*

Ad *Praxim* securitatem pernitiosam abigendi facit consideratio tum modò dictorum; tum periculorum cadendi è statu bono vitæ in profundum perditionis: de quibus vide sub Praxi Timoris DEI. Et supra in summa Theol. Spirit. C.4. §. III.

§. III.

OPponitur quoque Timori DEI, *Timor DEI per Excessum*, quo aliquis ex severitate judiciorum Divinorum adeo constringitur, ut exinde vel in maximas anxietates & scrupulos incidat, vel sit in periculo pusillanimitatis, aut desperationis. De quibus vide infrà suis locis.

SECTIO IV.

De Desperatione.

DEsperatio est peccatum per defectum, spei contrariè oppositum: potestque juxta D. Thomam dupliciter spectari; tum ex parte hominis, tum per respectum ad DEUM. Ex parte hominis est *Motus voluntatis, quo aliquis immersus vitiis, ita deiicitur animo, ut impossibile existimet nec per se, nec per alium exinde posse emergere.* Per respectum verò ad DEUM, *Desperatio est motus voluntatis ex indiscreta apprehensione judiciorum DEI, ac infidelitate ortus, diffidens de potentia, vel bonitate, vel fidelitate DEI, quasi vel non possit, vel nolit agenti, quod in se est, dare veniam, gratiam, gloriam.* *V. D. Thom. 2. 2. q. 20.*

Stimuli ad deponendum desperationis animum sunt. *Imus. Reg:* An ignoras quod periculosa sit desperatio? *Eccl:* Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit à spe sua.)) Deinde etsi Angelico Doctore infidelitas & odium DEI per ordinem ad DEUM sint graviora peccata desperatione, hæc tamen illis est periculosior quantùm ad hominem. Quia sicut per spem revocamur à malis, & inducimur ad bona prosequenda; ita sublatâ spe irrefrœnatè homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahuntur. &c. Unde super illud Proverbiorum 24. Si desperaveris lapsus in die angustiæ, minuetur fortitudo tua, dicit *Gloss.* Nihil est execrabilius desperatione, quam qui habet. & in generalibus hujus vitæ laboribus, & quod pejus est, in fidei certamine constantiam perdit. Et *Isidor.* dicit in libro de summo Bono. Perpetrare flagitium aliquod, mors animæ est: Sed desperare, est descendere in infernum: *2dus.* Desperatio, ut ait *S. Bonavent.* est gravissimum peccatum, quod dicitur in Spiritum S. de quo dicit Dominus: Non remittetur in hoc, neque in futuro. *2. Reg. 2. Eccl. 14. D. Thom. 2. 2. quæst. 20. a. 3. Gloss. Ordine ibid. Isidor. l. 2. c. 14. circa principium. S. Bonavent. T. 2. Spec. Ani. c. 3.*

Non quod non possit dimitti, sed quia vix dimitti potest; vel quia ibi non est color excusationis, qui locum præstet Divinæ misericordiæ. Et *B. Isidorus*: Non desperes de salute, sed ad meliora convertaris, qui veniam de peccato desperat, plus se desperatione, quàm commisso scelere damnat. Desperatio namque auget peccatum, & pejor est omni peccato. *3tius. Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit* scilicèt præ desperatione: contemnit autem ut frœna laxans sceleribus, nec timeat DEUM, nec verecundetur coram hominibus. At infelix ejusmodi homo sciat, quia sicut secundùm mensuram bonorum operum mensuram quisque accipiet æternæ gloriæ; ita quoque secundùm mensuram peccatorum atrociorem quoque vel minùs atrocem perenniter experturus est damnationis pœnam. *4tus. Ab Exemplo*: Hilbrandus quidam habitans in Villa Holchcyn Diœcesis Trajectensis fecit homicidium, ob quod in rotam actus, sine pœnitentia desperans decessit. Qui post mortem apparens Sacerdoti Bertolpho in camino ardente, inquisitus de statu suo, respondit: Æternaliter damnatus sum, æternisquè incendiis propter desperationem maximè deputatus. Si secundùm consilium tuum egissem pœnitentiam, per pœnam temporalem evasissem æternam. His & aliis dictis statim impulsus & expulsus, cum stridore & ululatu maximo recessit.

Isidorus in Synonimis. c. 1.

Proverb. 18.

Cæsarius lib. 2 cap 6.

Praxis rejiciendi desperationem, sive dum ad eam aliquis tentatur, sive dum in eam lapsus est. Si ratione veniæ peccatorum haud consequendæ, desperat, sciat, quòd desperando minimè proficiet, imò aliis peccatis addet supra modum peccans peccatum, pro quo cum Caimo & Juda proditore horrendas perpetuò accepturus est pœnas. Si ratione auxiliorum gratiæ DEI pro melioranda vita sua desperat, sciat, quia non est abbreviata manus Domini, potens in momento de stercore vitiorum elevare pauperem, ut sedeat cum principibus in perfectione virtutum, & solium æternæ gloriæ teneat; ut ibi abundet gratia, ubi abundavit delictum, prout videre est in Davide adultero & homicida, Petro negante Christum, Paulo persecutore Ecclesiæ DEI, Magdalena, de qua Dominus septem ejecit dæmonia, seu universalitatem vitiorum; qui verè pœnitentes & veniam peccatorum conse-

consecuti, & summis gratiæ multiplicis prærogativis, tandem in sublime cælestis gloriæ evecti sunt. Itaque & tu fac similiter, resume animos, rejice fortiter instinctus desperationis, vel aliàs desperatam erigito mentem, invoca Patrem misericordiarum, & DEUM totius consolationis; *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*: Invoca Matrem misericordiæ MARIAM, monitore S. Bernardo: *Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca MARIAM. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ foeditate confusus, judicii horrore perterritus, baratro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita MARIAM. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis MARIAM cogita, MARIAM invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde; & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras. Idem*: Quis misericordiæ tuæ ô benedicta longitudinem, & latitudinem, & sublimitatem, & profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit universis: latitudo ejus replet orbem terrarum, ut suâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra. Sed & sublimitas ejus supernæ civitatis invenit restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem. MARIA omnibus sinum misericordiæ aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi; captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii Persona carnis humanæ substantiam. *S. Bonaventura* ait: Mater per omnia conformis Patri & Filio, in hoc miro modo debet laudari & amari, quòd adeo compassa est, ut si fieri posset omnia tormenta quæ Christus pertulit ipsa libentiùs sustinuisset, & nihilominus placuit ei, quòd Unigenitus ejus pro salute humani generis offerreretur. Verè ergo fuit fortis, & pia, dulcis, pariter & severa, sibi parca, & nobis largissimâ.

Rom. c. 10.

S. Bern. hom. 2. super missus est.

S. Bern. Serm. 4. in Assumptione B. V. post medi.

S. Bonavent. in 1. dist. 48. q. 2.

Deinde age dignos fructus poenitentiæ, & brevi in te experieris mutationem dexteræ Excelsi, respirabis citò in lucem miserationum DEI, ad quæ omnia ut erigaris animo accipe consolationem. 1. E Sacris Scripturis. Ecce Spiritûs Sanctus

Ezech. 18. 32. & 33. 12. apud Prophetam ita loquitur: *Quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus DEUS, revertimini, & vivite.* Et rursus: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Et apud Jeremiam: Jerem. 13. 1. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Et apud Isajã: Isai. 1. 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarũ ab oculis meis, &c. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Deinde apud Ecclesiasticum: Eccl. 17. 20. *Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad se.* B. Joannes Apostolus quoq; sic loquitur: 1. Joan. 2. *Christus propitiatio est pro peccatis nostris: non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Et: 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate.* II. Ex Sanctis Patribus: S. Chrysost. 3. proem. 1. In Psalm. 50. hom. 2. Sanctus Joannes Chrysostomus ait: *Et si quis innumeris peccatis sit sauciatus, si eorum poeniteat, & bonum agat, ita DEUS omnia abolet, ut nullum eorum vestigium appareat.* Et alibi: *Nolo dicas, blasphemus sum: nolo dicas; persecutor sum, immundus sum: habes omnium ostensiones. Vis in novo, vis in veteri? In veteri David, in novo Paulus. Nolo excusationes mihi afferas, nolo ignaviam mihi prætendas. Peccasti? poenitere. Millies peccasti? millies poenitere. Hæc assiduè infundo medicamenta, &c. Si lapsus es, poteris resurgere. In utramvis partem habes liberum arbitrium. Si vulneratus es, adhibe tibi curam dum vivis, dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiam si dici potest, animam efflans, ut jam de hoc mundo exeas. Non impeditur temporis angustiâ misericordia DEI. Quid enim est peccatum ad misericordiam DEI? tela araneæ, quæ vento flante nusquam comparet.* Et S. Augustinus: S. August. serm. 58. de temp. *Forte cogitat aliquis tam gravia se admisisse peccata, ut jam misericordiam promereri non possit, absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo quicunquè illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cælestis medici non attendis? Cùm enim DEUS velit misereri, quia bonus est, & possit, quia omnipotens est, ipse contra se Divinæ Bonitatis januam claudit, qui DEUM sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, eumque aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit.* Idem: In lib. retract. 1 cap. 19. *De quocunque pessimo in hac vita constituto utique non est desperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* III. *Ab exemplis.* In Vita Joannis Ægyptii Eremitæ ex Vitis Patrum. Fuit quidam vir in hac proxima civitate, vitam turpissimam per omne facinus ducens; ita ut opinatissimus in flagitiis haberetur.

retur. Hic aliquando DEI miseratione compunctus ad pœnitentiam, intra sepulchrum se concludens, priorum scelerum pollutiones lachrymarum fontibus diluebat, diebus ac noctibus in faciem prostratus, & neque allevare quidem ausus oculos ad cælum, nec vocem emittere & nomen DEI nominare, sed in solis gemitibus & fletibus perdurabat, & tanquam vivens sepultus de inferno quodammodo jam mugitum cordis gemitumque reddebat. Quem post septimanam dæmones modò blandimentis, modò terroribus, & cruciamentis ad desperationem adducere volentes, cùm post graves afflictiones nec quicquam cessisset dæmonibus, illi exclamantes voce magnâ dixerunt: Vicisti, Vicisti. Et mox velut quadam virtute cælitus ipsi effugati, præcipites abscedunt, nec ei ultra quicquam suæ artis aut sceleris intendunt. Ipse verò intantùm virtutibus animi profecit, & ita ornatus moribus effectus est, ac ita Divinâ gratiâ repletus, ut omnis hæc regio quasi de cælo lapsum eum viderit, & unum esse ex numero crederet Angelorum, omnes penè simul uno ore dicentes. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Quanti exemplo ejus, qui jam semetipsos desperaverant, rursus ad spem salutis regressi sunt, & emendationem sui, quam priùs desperaverant, præsumpserunt? Quanti admiratione ejus, de ipso jam inferno peccatorum retrâcti sunt, & ad virtutum indolem reparati? illo namque tanta immutatione converso, omnibus omnia visa sunt possibilia. Non solùm enim emendatio morum florebat in eo, & assumptio virtutum, verùm & gratia DEI plurima ei collata est. Signa enim & prodigia quæ ab ipso facta sunt, quæq; Deus per ipsum tanquã suum amicum operari dignatus est, quantùm apud Deum haberet meriti, testabantur. *Aliud.* Senis erat civis quidam, Andreas Naddini dives opum, sed omnis virtutis inops, cunctis propè flagitiis coopertus, in Deum & Sanctos ejus perpetim blalphemus & detestabilis. Is infirmatus tendebat ad extrema, sed omninò impœnitens, & seipsum planè desperans. Verum ad continuas lachrymas & preces S. Catharinæ Senensis flexus Dominus JESUS decumbenti apparet, hortatusque eum ut sua peccata confiteretur, libenter ei, si id faceret, veniam pollicens. Et ecce ille saxo durior, repentè mollescit, magnâ voce postulat acciri Confes-

Raimund. Capua. in Vita S. Catharinæ Senensis apud Sur. 19. April.

Confessarium, dicit, Christum JESUM se videre, qui ipsum de facienda confessione admonuerat. Lætantur omnes, curritur ad Sacerdotem: ille venit. Andreas cum magno cordis dolore integrè confitetur peccata sua: condit testamentum, & feliciter migrat è vita. *Aliud.* In civitate quadam Brabantiæ adolescens quidam ob suam luxuriam, furta, ebrietates, lites, aliaque vitia judici traditus est. Qui, cùm ligatis manibus pedibusque in saccum submergendus mitteretur, cerneretq; se mortis imperia evadere non posse, parentibus suis, cognatis, & proprio sanguine contra se vehementer appellantibus, obstinato animo ingemuit, & lachrymis infusus, judici dixit: Etiamsi ob id perenniter damnari debeam, nec tibi tamen, nec me accusantibus atque tradentibus veniam dono. Quibus dictis sacco immittitur obstinatus ad veniam, aquis moriturus injicitur, mortuus rursum aquis extractus secretiùs sepelitur. Eadem nocte cùm Judex obstinatum animum juvenis miraretur, & eum damnatum esse pro tot sceleribus pro rato haberet, subitò respiciens ad lectuli sui latus, eum quem occiderat, ante se positum vehementer expavit & quàmprimùm animo resumpto loqui potuit. Damnatus, inquit, nè es, adolescens, an justitiâ DEI aut misericordiâ Domini reservatus ad gratiam? Respondit ille: Quamvis actu acerbissimis pœnarum agar procellis, & supra quàm lingua effari potest, justis ob scelera mea tormentis fatiger, in gratia tamen mortuus sum, & æternæ quietis sedem expecto. Judex: Miror si vera fateris, præsertim cùm totus mundus te dignum gehennâ decernat, & maximè ego, amicique tui, qui te in tanta obstinatione, ira, & odio spiritum efflare conspeximus. Cùm, inquit, adolescens, submersus in aquam, palpitarem, & mortis me inciperent angustiæ commovere, Divinæ gratiæ lumine irradiatus, plus cœpi dolere, quòd obstinatione, irâ, luxuriâ, cæterisque vitiis Divinam clementiam offendissem, quàm quòd submersus vitæ dispendia sustinerem. Unde alto clamore cordis mei inter acerbas mortis angustias hanc orationem Domino fudi. O pietatis fons indeficiens, & sceleribus mortalium bonitas invincibilis, pone crucem & mortem, tuam inter peccata mea & justitiam tuam. Indulge mihi, quæso, offensam, quia nunc pro

Collector speculi, ex quo P. Joannes Major in marg. specul. exempl.

amore tuo, omnibus qui me offenderunt libens offensas dimitto. Expande nunc brachia tua amor æterne, & peccatricem animam meam in sinu tuæ vastissimæ pietatis recollige, qui si imposterum vita daretur, non te à modo tantis ut hactenus feci, sceleribus lacerarem. Et inter hæc verba spiritum emittens pietatis Divinæ januas aliquando mihi aperiendas agnovi. Audiens hæc Judex attonitus stabat, & ad tam ineffabilem pietatem stupefactus ajebat: Tibinè Deus veniam dedit? Tibinè regnum æternum spopondit? Tibi, inquam lubrico, tibi improbo, tibi non gratiâ, sed supplicio digno? At juvenis: Ita fecit, inquit. Tunc judex totus perfusus lachrymis, nunc ait, infelix desperatio vale, siquidem si DEUS tam pius est, ad ejus misericordiam penitùs pergo, & peccatorum licèt me gravissimi fasces premant, qui huic quondam sceleratissimo juveni veniam dedit, mihi quoquè pœnitenti veniam non negabit. Disparuit interim adolescens submersus, & judex post hæc tribunalibus valedicens, mundanos omnes fastus deposuit, seculum cum suis deliciis dereliquit, & Carthusiensium ordinem pœnitens intravit.

Porrò pro perfectioribus subtiliori tentatione desperationis afflictis placet exemplum *S. Magdalenæ de Pazzis* afferre, ubi videant circa quas materias magis in spiritualibus versati desperatione tententur; & quomodo in praxi circa eam vincendam se gerere debeant. Hæc igitur Sancta horrendo spiritu desperationis graviter tentata, hisce suggestionibus, quasi potenti fulmine cor ejus sine ulla impetebat misericordia. Injiciebat dæmon menti Virginis, quòd omnia dona, favores & gratiæ, quæ videbantur sibi accepta esse à DEO, fuerint fallacia, & mera deceptio diabolica: quodvè in omnibus suis visionibus & ecstasibus fuerit decepta; quare tota ejus vita (susurrabat) non placeret DEO; imò quòd sit Voluntati ejus in omnibus contraria: Et propterea, quòd jam sit à gratiâ DEI abalienata, & nihil horum, quod faceret, esset DEO acceptum. Quare in quolibet opere sine fructu perdat tempus pretiosum. Unde & DEUM ad graviorem contra se incitaret iram. Et pro horum ratione quæ dicebat sathan, adjiciebat sanctæ Virgini spiritum ariditatis, quem tum temporis patiebatur. Quodvè jam sit à DEO abjecta, & in oblivi-

In vita S. Magdal. de Pazz.

oblivione relicta. Et deniquè quamvis faceret severissimas juxta voluntatem suam pœnitentias, non assequetur misericordiam, quia jam est damnata in æternum. Quæ suggestiones eò graviùs in Magdalenæ cor sese insinuabant, quò majorem in se sensit ariditatem Spiritûs ad vincendum illas per intimum actum confidentiæ in DEUM, & resignationis in ejus sanctam voluntatem; in quo sensit se adeò mortificatam, ut nè unum actum ferventem facere, potuerit habere modum. Unde intantùm crescebat hæc tentatio diaboli, ut suggerreret Magdalenæ, ipsa sibi inferret mortem. Quâdam ergo vice hâc atroci oppressâ tentatione, currit ex Vigiliis ad refectorium sola, ut jam sibi inferret mortem, ubi cultrum arripiens, cum illo reversa ad chorum (& hoc quasi in ecstasi faciebat) postea subsiliit in altare Beatissimæ Virginis in illius misericordes manus illum porrexit cultrum, mendicando opem ad vincendam hanc tentationem: Prout etiam retulit consolationem, quia ad se reversa cultrum in terram projecit, & pedibus contrivit, simul & dæmonem, eum ipsius insidiis conculcando. Aliâ iterum vice eadem Sancta ad rejectionem similis tentationis, jussit se ipsam fortiter ligare in cella Matris superioris. Et in præmium adeò singularis humilitatis vocavit illam Clemens Dominus ad intelligentiam mysteriorum Divinitatis, & per hoc non modicè illam confortavit pro novo cum tentationibus conflictu.

Contingit non infrequens tentatio circa prædestinationem, cujus occasione vel quis agitur in desperationem, vel saltèm in
" robore spei multùm minuitur. Refert *S. Augustinus:* Fuit, inquit,
" in nostro Monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam
" non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat: Qua-
" liscunque nunc sim, talis ero, qualem me Deus esse præscivit.
" Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in
" bonum: sed usque adeò profecit in malum, ut desertâ Mona-
" sterii societate, fieret canis reversus ad vomitum, & tamen ad-
" huc, qualis sit futurus, incertum est. Ejusmodi igitur tentationi ita in praxi obviari potest. *Imo.* Mox ut inciderit hæc importuna cogitatio rejicienda & contemnenda est: quo enim diutiùs ei inhæseris, majori tristitiâ & pusillanimitate absorbearis,

necesse est. 2*do.* Facere id ut quidam, qui (ut scribit *Thomas à Kempis*) anxius cùm inter metum & spem frequenter fluctuaret, *Thom. à Kempis lib. 1. cap. 25.*
"& quadam vice mœrore confectus, in Ecclesia ante quoddam "altare se in oratione prostravisset, hæc inter se revolvit dicens: "O si scirem, quòd adhuc perseveraturus essem! Statimquè au-"divit intus Divinum responsum. Quid si hoc scires, quid fa-"cere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles, & benè securus "eris. Moxquè consolatus & confortatus Divinæ se commisit "voluntati, & cessavit anxia fluctuatio. Noluitquè curiosè in-"vestigare, ut sciret, quæ sibi essent futura: sed magis studuit "inquirere; quæ esset voluntas DEI beneplacens & perfecta, "ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum. 3*tio.* Accipe hac in materia perpulchra ex *Seraphico Doctore* qui ait: Si de prædestinatione, aut præscientia DEI aliqua cogitatio tibi surrepat, sic responde talia propinanti: Quidquid sit de me: te certum est esse damnatum: Sed si ego præscitus sum, & DEUM non debeam habere post hanc vitam, totis tamen viribus laborabo; ut ipsum saltèm habeam in præsenti, & ipsum possideam, quantum possum: nè in utroque statu caream tanto Bono. Momentum ergo temporis de cætero non dimittam, quin secundùm meum posse fruar ipso, & semper in ipso, summâ jucunditate delecter, ex quo æternam miseriam assequi debeo in futuro. Nonnè mihi summa vesania esset, si certum est, me æternalibus ignibus cruciandum, me inimico tradere in præsenti, & ex nunc incipere cum diabolo conversari? Non sufficit illa miseria, nisi me nunc miserum faciam ante tempus? Imò certè plus prædestinanti me DEO meo, prout potero, totaliter exhibebo, ut nihil sit in me, nec cor, nec lingua, nec cœtera membra, quin continuè sint in servitio DEI mei, ut saltèm dum possum, & quantum possum habeam summum Bonum. Sicut enim seculares, qui in Quadragesima non debent comedere carnes, volunt in carnisprivio carnibus abundare: Sic certè de DEO deberet facere, qui de sua præscientia esset certus. Et hoc præcipuè faceret, qui quàm suavis sit Dominus, degustaret; cætera verò delicata absynthium reputaret. Sed quantumcunquè me

S. Bonavent. de stimulo amor. C. 13.

DEUS præsciverit scientiâ, constat mihi, & scio, quòd se ipsum
Gen. 32. negare non potest. Eum ergo totis visceribus amplexabor, &
ipsum stringens fortiter, etiamsi aurora apparuerit, & non mihi
benedixerit, non ipsum dimittam, & sine me recedere non valebit. Licitum est enim mihi inferre sibi violentiam in hac parte, cùm ipse commendet illos, qui regnum cælorum rapiunt violenter. Aut certè scio quid faciam. In cavernis vulnerum suorum me abscondam, ibique quietus latitabo, nec extra se me
Matth. 11. invenire poterit, & etiam expellere non decebit, qui dicit: Eum
Joan. 6. qui venit ad me, non ejiciam foras. Et sic me damnare non poterit, nisi seipsum judicare voluerit. Aut ad Matris suæ pedes provolutus stabo, & quòd propter peccatores Mater DEI facta sit, allegabo: & ut mihi veniam impetret, implorabo. Nec repulsam ab ea pati potero, quia fons pietatis ab omnibus prædicatur. Ipsa enim non misereri ignorat, & miseris non satisfacere nunquam scivit. Non credo, quòd propter me novam velit addiscere lectionem. Ideoque ex compassione maxima ante Filium suum mecum, si dici potest, misera apparebit, & mihi ad indulgentiam suum unicum Filium inclinabit. Et sic triplex refugium habeo, quod quasi triplex funiculus difficilè confringetur. Quòd si prædestinatus sum, & æternam patriam debeam cũ Angelis possidere: certè debeo ex nunc vitam Angelicam ducere non humanam. Totum me illi debeo, qui se mihi in præmiũ præparavit, & hâc portione contentus, nihil aliud à modo debeo affectare. Justus est enim, & si aliud, quàm ipsum quærerem, contra me posset rationabiliter indignari, & quem visurus sum benevolum, viderem statim iratum contra me sententiam inferentem. Igitur in fine diabolo sic conclude. Quidquid de me futurum sit, à servitio DEI non desistam, & væ tibi, qui non potes tanto Domino ministrare, & ejus dulci præsentiâ jucundari, &c. *Hæc S. Bonaventura.*

l.2. tract.1. c.1. sec. 4. subs. §. 2. & 3. Circa *Praxim* vitandi Desperationem applica quoque hic proportionatè supra specificata.

SECTIO V.

De Opposito Spei Contradictorio.

OPponitur Spei contradictoriè *Neglectus fiduciæ in DEUM, & Confidentia in creatura.* Ejusmodi est illorum, imo, qui confidunt in se, & suis bonis; de quibus Psaltes Regius: *Qui confidunt in virtute sua: & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Psalm. 48. Et *Videbunt justi, & timebunt, & super eum ridebunt & dicent: Ecce homo qui non posuit DEUM adjutorem suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum: & prævaluit in vanitate sua.* Psal. 51. Unde imitare S. Job dicentem: *Si putavi* (id est non putavi) *aurum robur meum: & obrizo dixi; fiducia mea. Si lætatus sum super multis divitiis meis: & quia plurima reperit manus mea.* Job. 31. Audi quoque *S. Bernardum.* Sibi ipsi fidere non fidei, nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis, in se ipso habere fiduciam. Is verè fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum: sed sic perdens animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam.)) S. Bern. Serm. 5. in Vigil. Nativi. Domin. Imitare quoque S. Regem David dicentem: In te confidit anima mea. *Idem:* Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. *Psal.* Qui confidit in Domino sicut mons Syon, non commovebitur in æternum qui habitat in Hierusalem. *Eccli.* Qui amat periculum, in illo peribit. Psalm. 57. Psalm. 118. Psalm. 125. Eccli. c. 3. *S. Augustinus:* Adversaria est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat: & lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat, incerta victoria est inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est flammis circumdari, & non ardere.)) S. August. de singul. Cleric. Salomon Rex contra præceptum Divinum conjungens se mulieribus alienigenarum gentium (quia certissimè essent seducturæ viros suos in idololatriam) confisus in magnitudine sapientiæ suæ, quòd nunquam posset devenire ad tantam dementiam: tandem *cùm jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos, colebatque eos & ædificavit ipsis phana.* 3. Reg. 11. S. Petrus confisus de virtute sua haud relinquendi Christum in sua passione, immiscens se Christi persecutoribus, volens videre quid cum eo ultra ageretur, denique ipsum abnegavit. S. Jacobus pœnitens eremita puellam dæmonicam In vita ejus.

 ad

ad expellendum ab ea malignum spiritum solam apud se morari passus, tandem cum ea in peccatum lapsus, ejus crudelis interfector mansit, nè publicaretur facinus. Verùm ad se rediens pœnituit, discens serò magnam quoque sanctitatem suis viribus relictam ruere in profundum. Meliùs egit S. Martinianus Eremita, cui terrâ mariquè nullus à mulieribus tutus locus; deniq; maluit è rupe posita in mari præcipitare sese in medium pelagus, sperans DEI adjutorium sibi affuturum, quàm sibi confidens in eodem loco è naufragio emergenti fœminæ cohabitare, sciens non esse tutum serpenti, vel paleam igni sociari. Unde (ut legitur in Vitis Patrum lib. 3.) dicente quodam sene: Ego jam mortuus sum seculo huic: alter senex optimè respondit: Nè confidas in te ipsum, donec egrediaris de corpore hoc. Nam etsi tu dicas: Mortuus sum, diabolus tamen necdum est mortuus, cujus innumerabilia sunt præstigia.

In vita ejus.

His incitatus animus omnem de suis viribus deponens confidentiam, eam totam in solo DEO reponat. Cujus licèt magnis auxiliis munitus, nunquam sese periculis committet, nisi justa necessitas, vel quæpiam legitima causa, obedientia, aut charitas, cum sale discretionis id persuaserit.

l. 2. tract. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

Vide infra similia de præsumptione.

Item Adhibe hìc proportionatè supradata.

Psalm. 145. *Esaias. 30.*

2*do.* Sunt qui confidunt in hominibus. Contra quos hæc accipe: Psal. *Nolite confidere in principibus: in filiis hominum, in quibus non est salus.* *Esaias.* Væ filii desertores! dicit Dominus, ut faceretis consilium & non ex me: & ordiremini telam, & non per Spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum: qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogâstis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbra Ægypti in ignominiam. *Jeremias*: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit qvum venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.)) Hinc Asa Rex Juda arguitur à Propheta dicente: *Quia habuisti fiduciam*

Jerem. 17.

etiam in Rege Syriæ, & non in Domino DEO tuo: idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Et mox: *Stultè igitur egisti: & propter hoc ex præsenti tempore adversùm te bella consurgent.* Et paulò infra: *Ægrotavit etiam Asa, &c. & nec infirmitate suâ quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. Dormivitquè cum patribus suis, & mortuus est.* 2. Paralip. 16.

3tio. Sunt, qui spem suam collocant in diabolicis præstigiis, & superstitionibus: Aliqui *explicitè*, quales sunt magi, & maleficæ, qui dementati à sathana in sua spe eluduntur, vel non potiendo cupitis bonis, qualis fuit Julianus Apostata Imperator, ducens exercitum alium hominum, alium dæmonum, spe tamen frustratus victoriæ, miserè interiit; Vel si potiantur, ea bona sunt plerumquè apparentia, prout sagas diabolus tractat sterquilinio, licèt eis videantur delicati cibi, ornat centonibus, qui apparent eis purpura, & aurea materia, &c. Vel si bona illa sunt vera, multis tamen permiscet malis, nec diu sinit frui. Porrò aliqui confidunt in dæmonis ope, sed *implicitè*, dum scilicet non respicientes expresè diabolicum concursum, aliquid tale dicunt, vel faciunt, ad effectum quempiam producendum, inter quem effectum, & illud dictum, vel factum nulla est prorsus naturalis connexio, tanquam inter causam & effectum. Harum observantiarum vanarum & superstitionum infinitus est numerus, maximè inter simplices, quos instigat sathan ad ejusmodi vanitates, ut si quidpiam successerit, prout quandoquè contingit, avocet à vera fiducia, & recursu ad DEUM, ad ponendam spem in præfatis fallaciis creaturarum; & si possibile, ut procedant ad pactum explicitum secum, & spem in auxilio dæmonis reponendam. *Histor. Eccles.*

CAPUT III.
DE CHARITATE.

AGemus hoc Capite de Charitate, ejusque Actibus seu effectibus, ac Dono Sapientiæ charitati correspondente, tum de horum Oppositis. Nunc cumprimis videndum est, ordinatam debere esse Charitatem, nempe quod post DEUM alia præ aliis

prius

priùs & posteriùs sint diligenda, innuunt illa Cantico. 2. verba: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Itaque post DEUM, Christum, Deiparam, tum nosmetipsos, deinde proximos nostros diligere debemus. Quod concernit *Christum Dominum:* certum est eum magis esse diligendum quàm nosipsos; quia etsi secundùm hominem sit Proximus noster nempe secundùm naturam humanam nobiscum in specie communem; Unde
Luc. 10. & ipse figurari voluit in illo pio Samaritano, qui homini in Jericho descendenti & à latronibus semivivo relicto præstitit misericordiam & medelam, ex quo ille Samaritanus verus Proximus judicatus est: Attamen Christus quâ est Homo Personalitate Divinâ subsistens non est proximus noster, quia infinitæ alterius est essentiæ & excellentiæ Personalitas DEI à personalitate creaturæ. Hinc sicut modus Charitatis respectu proximi fit secundùm modum & regulam diligendi seipsum: ita DEUM Hominem debet purus homo diligere plusquàm seipsum; adeò ut sit ipsi eligibile, potiùs non existere in rerum natura quoad naturalia & supernaturalia bona, quàm DEUM Hominem non existere, ex suppositione quòd DEUS voluerit in se humanam naturam suscipere ad redimendum genus humanum: quippe ex existentia DEI Hominis infinities major Gloria in Deum redundat, quàm ex existentia tui, tum publicum bonum totius Universi: jam verò præferenda est Gloria DEI, & publicum bonum totius Universi privato; maximè cùm ex suppositione decreti salvandi hominem mediâ Incarnatione DEI, hâc non factâ minimè esses capax donorum supernaturalium, sine quibus bonum erat homini peccatori si natus non fuisset in mundum, utpote æternâ morte plectendus. Propter eandem ultimam proportionatè rationem DEIpara quoque plus diligenda est quàm nos ipsi; mallequè se ipsum non esse quàm ipsa non esset; quia sine illa DEUS Homo factus non fuisset, estque ipsa Mater quasi idem cum Filio.
S. Brigitta lib. 7. revelat. c. 13. Carolus S. Brigittæ filius in Virginem Matrem exprimebat ejusmodi ardentissimum amoris affectum dum ad eam diceret: *In tantum ego gaudeo, quòd DEUS Virginem MARIAM Matrem suam habet super omnia charissimam, quòd nulla creatura, vel corporalis delectatio est in mundo, quam ego in permutationem illius gaudii recipe-*

reciperem, imò illud gaudium omnibus terrenis delectationibus præferrem; & si possibile esset, quòd ipsa in uno puncto minimo, à dignitate in qua est, à DEO remotior fieri posset; ego magìs mihi permutationem eligerem in profundo inferni æternaliter cruciari: & idcirco sit ipsi DEO pro benedicta gratia illa, ac immensa gloria, quam dedit suæ Matri dignissimæ, infinita gratiarum actio, & gloria sempiterna. Qualibus affectibus beatam æternitatem adeptus est optimus hic & Brigittâ Matre dignus Filius. Et Alphonsus Rodrig. è Societate JESU præ amore DEIparæ in ejusmodi erupit voces: *O Domina ego te impensius quàm me ipsum amo.* Item: Angelus in sermone quem dictavit Beatæ Brigittæ hæc asseruit dicens: *Intuebantur quoq;* (ab origine mundi Angeli) *in illo Benedicto scilicet in DEO creatore suo sedem quandam reverendam; ipsi DEO ita propinquam quod impossibile videbatur aliquam aliam sibi sedem fieri propinquiorem, & hoc tamen increatum* (id est nondum creatum) *esse noverunt, cui ab æterno sedes illa extitit præparata; ex intuitu etiam charitatis DEI omnes & sine dubio in uno puncto, ita Divina charitas inflammabat, quòd quilibet alium, sicut seipsum diligebat, verumtamen DEUM maximè & super omnia, atque illud increatum* (nondum creatum) *plus seipsis amabant, quod in sede propinquiori erat collocandum; videbant enim DEUM illud increatum summè diligere, & de illo permaximè gratulari; Videbant etiam super sedem illam coronam quandam tantæ pulchritudinis, tantæquè dignitatis, quòd nullius majestas nisi solius DEI ipsam debebat excellere.* Jure igitur merito spectat ad ordinem charitatis post DEUM diligere Christum Dominum, tum Beatam Virginem, deinde nos ipsos, ac proximos nostros.

Euseb. Niremb de amore B. V. C. 14.

Beata Brigitta c. 4.

Quòd verò prior suiipsius requiritur dilectio, deinde proximi, inde est; quia regula dilectionis proximi est dilectio nosmetipsorum, cùm dicatur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Porrò dilectio salutis suæ animæ debet anteponi, sicut dilectio sui corporis debet postponi dilectioni animæ proximi. Id patet ex illis verbis. *Et nos debemus pro fratribus* (id est pro salute animæ fratrum nostrorum) *animas* (id est animalem vitam corporis) *ponere.* Similiter prius debet seipsum diligere secundùm bona corporalia, tum proximum secundùm eadem. Item primò seipsum secundùm bona externa, tum proximum secundùm eadem.

Matth. 22.

1. Joan. 3.

Cæterùm bona spiritualia proximi debes præferre tuis externis. Deinde inter proximos, meliores sunt primò diligendi eo amore qui vocatur complacentiæ de possessione bonorum alterius: itemque honor eis, & cultus, & reverentia exhibenda. Et itaque magìs diligendus est vir sanctus, quàm parens improbus. *Ratio:* quia magis est conjunctus cum DEO, qui est principale objectum charitatis: Item parentes magìs quàm filii, vel uxor; magisquè benefactores, quàm alii quibus benefecimus, amandi. Appretiativâ verò dilectione, & ea quæ vocatur benevolentiæ, quâ alicui cupimus bonum nondum possessum cùm beneficentia, Conjunctiores nobis magis sunt diligendi. Et quidem ex bonis spectantibus ad naturæ & vitæ corporalis conservationem & tutelam, succurrendum est primò uxori, quia una caro est cum viro, secundò filiis, tertiò Parentibus, & quidem patri præ matre, quartò fratribus, sororibus, tum propinquis, domesticis, & familiaribus. In extrema verò necessitate anteponendi sunt parentes (ut potè qui dederunt vitam) uxori, & filiis. Ad quod hortatur
1. Timoth. 2. Apostolus: *Siquis suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Porrò in rebus concernentibus civilem communicationem, anteponendi sunt concives, in bellicis commilitones, in spiritualibus spirituales filii, patres, fratres. Secundùm tamen *Bannes* probabilem sententiam, parentes carnales in spiritualibus quoquè præferendi aliis omnibus: Quia conjunctio carnalis est fundamentum aliarum conjunctionum. Deniquè magìs diligendum est commune ac publicum bonum quàm privatum, adeoquè præferenda est communis salus, vita, substantia, propriæ vitæ & substantiæ. Exceptâ tamen æternâ salute, cujus detrimentum nec propter totius mundi salutem præferendum.

SECTIO I.

De Charitate DEI.

CHaritas DEI seu in DEUM, est habitus infusus, quo homo ex toto corde suo, ex tota mente, ex tota anima, & ex omnibus viribus suis diligit DEUM ut Summum Bonum, propter infinitam sui bonitatem. Dicitur: *habi-*

habitus infusus: ad differentiam acquisiti amoris naturalis in DEUM. Dicitur: *quo homo ex toto corde suo, &c.* quia iste modus est dilectionis Divinæ juxta illud: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo; id est*, ut tota nostra intentio in DEUM, tanquam in ultimum finem referatur: *& ex tota mente*; id est, ut noster intellectus, & voluntas DEO subdatur: *& ex tota anima*; videlicèt ut omnis noster appetitus dirigatur secundùm DEUM: *& ex tota fortitudine, seu virtute, seu viribus*; id est, ut omnis noster exterior actus DEO subjiciatur: Dicitur: *DEUS ut Summum in se Bonum*; ubi cum Bonitate sumitur etiam (ut ita humano modo concipiendi loquar) quasi in concreto simul ipsa Entitas DEI, & habet hoc concretum rationem materialis objecti. Dicitur: *Propter infinitam sui bonitatem*; quæ habet rationem formalis motivi propter quod diligitur DEUS. Hæc autem Bonitas DEI sumitur pro aggregato quodam omnium bonitatum, seu perfectionum, & attributorum DEI, propter quorum unum expresse, alia verò in confuso accepta; Vel etiam unum attributum, v. g. Omnipotentiæ Divinæ, vel Charitatis, vel Sapientiæ, & sub ratione infinitæ cujusdam Bonitatis conceptum, idquè in certo aliquo genere Omnipotentiæ, vel Sapientiæ, vel Charitatis summè manifestatæ, v. g. in Incarnatione Filii DEI, vel exhibitæ in dono quo Summum Bonum DEUS se ipsum dedit homini pro sua beatitudine, sufficit ad movendum & eliciendum actum veræ charitatis. Quia sufficienter motivum actûs, dat speciem actûs, atqui quodcunq; DEI attributum etiam unum sub ratione bonitatis infinitæ, vel etiam supra similem creaturæ bonitatem limitatam appretiativè summæ in aliquo opere DEI ad extra manifestativæ objectum & consideratum sufficienter movet ad amorem DEI super omnia; Ergo quodcunquè attributum DEI taliter propositum dat actui speciem charitatis; Hinc autem pro praxi notanter & diligentissimè adverte plurimos decipi, & forsan ob ignorantiam non paucos perire in periculo mortis, dum abest Sacerdos, qui existentes in peccato, & elicientes actum amoris, DEI ut ipsis summè boni vel benefici, putant se elicere actum charitatis, cùm eliciant actum amoris concupiscentiæ seu spei, qui non sufficit ad salutem extra Sacramentum, sed solus amor ex actûs charitatis motivo nimirum

Deutor. 6.
Matth. 22.

summæ DEI Bonitatis in se spectatæ, vel contritio ex tali amore procedens.

Hic Amor vocatur *Amicitiæ*, ad distinctionem Amoris Spei seu *Concupiscentiæ*, quo diligitur DEUS non quia bonus in se est; sed quia bonus homini per beneficia Creationis, Redemptionis, Sanctificationis, Glorificationis; quæ dilectio per se præcisè non sufficit ad justificationem peccatoris; quia est actus spei non charitatis, in quo multi decipiuntur. Quare ut in hoc quoque passu formetur proprium motivum charitatis ulteriùs progrediendum est, & in hoc ipso quòd DEUS per tanta beneficia summè bonus homini est, ipsius infinita bonitas in se ipsa (ex qua profluunt tantæ bonitates & beneficia) considerandа est, atquè propter ipsam actus charitatis eliciendus.

Amoris Amicitiæ alius est *Amor Benevolentiæ* seu desiderii, quo optamus Honorem, Laudem, Gloriam DEO propter ipsius summam bonitatem. Alius *Amor Complacentiæ seu gaudii*; qui est fructus Spiritûs Sancti, quo delectamur, vel de DEO præsente nobis, vel de DEI tum intrinseca, tum extrinseca gloria, laude, honore, obsequio, &c. propter ipsius dignissimam bonitatem.

Diadoch. c. 12. " De hoc amore ita *S. Diadochus.* Qui DEUM diligit, gloriam "*non propriam*, sed DEI quærit. Est enim animæ sentientis, *quis* "*sit DEUS*, ac *eum* amantis proprium, gloriam quidem DEI sem- "per quærere, suâ verò submissione delectari, quòd DEUM "quidem propter ejus magnificentiam, *& infinitam bonitatem* de- "ceat, omnis gloria, hominem verò *propter vilitatem ejus & cul-* "*pas submissio atquè contemptus.* Alius amor est *Obedientialis* (de quo Svarez) Hic amor habet adjunctam voluntatem placendi DEO propter se, in omnibus, implendiquè ejus voluntatem præsertim præcipientem, quam rebus omnibus præfert. Nam ut ait Christus: *Qui servat mandata mea, ille est qui diligit me.* Hic amor videtur convenire cum appretiativo. Item Amor amicitiæ tum est *appretiativus* quando suprà omnia amabilia diligitur DEUS tanquam supra omnia omnium amore dignissimus ob suam supra omnium limitatas bonitates superexcessivam infinitamque bonitatem. Tum verò amor amicitiæ vocatur *intensivus*, quando omni

Tom. 4. in 3. p. disput. 4. sect. 3.

Joan. c. 14.

omni alio amore quo diliguntur cætera, est ferventior & vehementior.

Gradus Amoris appretiativi sunt. 1*mus*: Dum ita diligitur DEUS, ut ejus amore non æstimetur aliquod bonum creatum, propter quod vellet peccare mortaliter, dumquè opera bona præcepti seu necessitatis ex amore peraguntur. 2*dus* gradus est, ex amore DEI vitare peccata venialia, & facere opera supererogatoria. 3*tius* gradus est, ex amoris incentivo cavere imperfectiones, etiam quæ non habent rationem culpæ, & exercere se in actibus virtutum heroicis. Sed de his, alioque modo consideratis gradibus charitatis vide infra sub praxi, ad quam eosdem gradus practicè ascendendos reduximus.

Incentiva ad instantissimum profectum in perfectione altissima Charitatis hæc proponuntur. 1*mum*. *Proverb.* Universa delicta operit charitas. *Cor.* Omnia opera vestra in charitate fiant. *Ephes.* In charitate radicati & fundati, ut possit comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & sublimitas, & profundum. *Ibidem.* In charitate crescamus in illo per omnia. *Coloss.* Super omnia autem charitatem habete quod est vinculum perfectionis. *Tim.* Finis autem præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. *Rom* Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum. *Apoc.* Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum, ut lucuples fias. *Prov.* 10. 1. *Cor.* 16. *Eph.* 3. *Ibidem.* 4. *Coloss.* 3. 1. *Tim.* 1. *Rom.* 5. *Apoc.* 3.

2*dum*. *D.Gregorius* inquit: Nunquã est amor DEI otiosus: operatur etenim magna si est si verò operari renuit, amor non est.)) Charitas vera est Philosophia; ita *S.Augustinus* dicens: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximũ tuum sicut te ipsum. Hic Physica: quoniam omnes omnium naturarum causæ in DEO Creatore sunt. Hic Ethica: quoniam vita bona & honesta non aliunde formatur, quàm cùm ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est DEUS & proximus. Hic est Logica: quoniam veritas, lumenquè animæ rationalis non nisi DEUS est. *S Augustinus* ait: Pondus non ad ima tantùm est, sed ad locum suum. Ignis enim sursum tendit, deorsum lapis. *Et infrà*: Minùs ordinata inquieta sunt, ordinata quiescunt. Pondus meum amor *S. Gregor. Homil.* 38. *S. August. Epist.* 3. *ad Volus.* *Ibidem lib.* 13. *cap.* 9.

meus, eo feror quocunque feror. Dono tuo accendimur & sursum ferimur, inardescimus & imus: ascendimus ascensiones in corde, & cantamus canticum graduum. *S. Bernardus.* Causa diligendi DEUM, DEUS est, modus sine modo diligere. Vide quomodo, & quam sine modo à nobis DEUS amari meruit, qui prior ipse dilexit nos; tantus, & tantùm, & gratis, tantillos, & tales! *S. Augustinus.* Divinarum scripturarum multiplicem abundantiam, latissimamque doctrinam sine ullo errore comprehendit, & sine ullo labore custodit, cujus cor plenum est charitate, dicente Apostolo: Plenitudo Legis est charitas. *Idem.* Ille tenet, & quod patet, & quod latet, in Divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus.)) Quippe ut Apostolus ait; *Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit.* Denique *qui diligit proximum, legem implevit.* Et *Seraphicus Doctor* in Compendio Theol. Veritatis ait: Charitas peccatum expellit; unde de Magdalena dicitur, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. DEum homini jungit: Qui manet in charitate, in DEO manet, &c. Mentem virtutibus ornat: Charitas patiens est, benigna est, &c. Perfectionem adducit: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Gloriam tribuit: Si quis diligit me, &c. & sequitur, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Dilectione DEI dignum facit: Si quis diligit me, diligetur, &c. Charitas in cordibus nostris diffunditur, cùm ad proximum dilatatur; effunditur per prædicationem, & per opera misericordiæ; infunditur per illuminationem gratiæ; superfunditur per opera perfectionis & supererogationis. Per charitatem venit DEUS ad homines in Incarnatione, & in homines in gratiæ collatione, per ipsam charitatem currunt homines ad DEum bonâ operatione, & perveniunt ad eum in glorificatione. Amoris est vulnerare, quia intima cordis penetrat: Vulnerata charitate ego sum. Languidum facere, & hoc per desiderium essendi cum amato: Nuncietis dilecto meo, quia amore langveo. Inebriare; quia sic tendit in amatum, quòd sui ipsius & omnium rerum præter illum

S. Bern. de diligendo DEO

S. August. Trac. de Laud. Char. tom. 9.

Rom. 18.

S. Paulus Epist. ad Cor. c. 13.

Idem ad Rom. 13.

S. Bonav. c. 25. lib. 5. de Grat. Sanctif.

Luc. 7.

1. Joan. 4.

2. Cor. 13.

1. Cor. 12.

Joan. 14.

Cant. 2.

Cant. 5.

illum obliviſcitur. Comedite amici mei & bibite, & inebriamini charisſimi. Liquefacere; quia cor in Divina dulcedine ſic reſolvitur, quòd appetens cum appetibili mirabili amicitiâ unitur: *Cant. 5.* Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt. Amor habet *Cant. 5.* vim diffuſivam in bona operatione, unitivam in proximi dilectione, transformativam in juſtificatione. Item aliter hoc oſtenditur quòd habet vim diffuſivam ut patet in Creatione, unitivam ut patet in Chriſti Incarnatione, transformativam ut patet in Glorificatione.)) Quòd verò labores in obſervantia Divinæ Legis *D. Auguſt. lib.* amor facilitat, audi *S. Auguſtinum*: Nullo modo, inquit, ſunt *de S. Viduitate.* oneroſi labores amantium, ſed delectant: Nam in eo quod *c. 21.* amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur.

3tium. Ab Exemplo ipſius DEI Unius & Trini. Eſt enim amor quo ſeipſum DEUS diligit, alter abſolutus, relativus alter. *Abſolutus* quo ſuam Divinam naturam propter ipſius ſummam bonitatem in ratione appretiationis, quàm intenſionis infinitè diligit DEUS quippe *charitas eſt*. *Relativus* amor eſt, quo Pater Filium, & Filius Patrem diligit infinitâ appretiatione & intenſione; & hic Amor eſt ipſe Spiritus Sanctus Tertia Perſona Sanctisſimæ Trinitatis.

4tum. Ab Exemplo Chriſti, qui ex amore appretiativo & obedientiali ſui Patris æterni, mandata ejus exactisſimè ſervavit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, qui fuit ſummus *Philip. 2.* amor appretiativus, isque intenſisſimus. Ait ipſe Dominus: *Si Joan. 15.* *præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* Et iturus ad Pasſionem ſermone poſt cœnam peracto dixit: *Ut cognoſcat mundus, Joan. 14.* *quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio; ſurgite eamus hinc*; Scilicet ad locum ubi à Juda proditore manibus inimicorum meorum tradar. Porrò amorem benevolentiæ exercuit Chriſtus illis verbis nocte ſuæ pasſionis ad Patrem prolatis: *Pater venit hora* (nempe pasſionis & mortis) *clarifica Filium tuum, ut Joan. 17.* (per hanc mei in mundo notitiam & gloriam) *Filius tuus clarificet te*, quatenus cognoſcaris ab omnibus & lauderis, quod ſis infinitè potens, ſapiens, bonus, &c. Ex magnitudine quoque amoris in Beatisſima Virgine conjectura eſt, quòd tantò major in Chriſto amor fuit, quantò is magis unitus DEO.

5tum. Beatissima Virgo MARIA Idea Amoris Divini, de qua hæc à *R.P. Casparo Tausch, Soc. J.* nonnullis omissis accipe.

Caspar Tausch. de Matre dolorosa L.1. cap. 4. I. Amorem hunc in DEUM in Virginis corde & anima exarsisse, in primo statim creationis ejus & conceptionis instanti, in quo à peccato originali præservata, tantam gratiam, ex communiore Theologorum sententia, à DEO sibi infusam accepit, quantam nullus vel purorum hominum, vel Angelorum, etiam supremus habuit, aut habet. Hæc enim decuit eam, quæ jam tum in Spiritu S. præparabatur, ut dignum filii DEI habitaculum effici mereretur. *Psalm. 86.* *Fudamenta ejus* inquit Regius Vates, *in montibus Sanctis*, ubi scilicet alii Sancti suam sanctitatem ad cacumen perducunt & absolvunt, supra illos montes, super illud cacumen illa suæ sanctitatis fundamentum jacit, eamque inchoat. Unde vocatur ab Isaia ex S. S. Patrum sensu *Mons Domini præparatus super verticem montium.* *Isai. 2.* Simul autem cum infusione tantæ gratiæ eodem momento, in DEUM amore sicut dixi, exarsit, tantoque ardore atque intensione, ut quemvis etiam Sanctissimum Angelum eo quoquè superaret, quem Angelum affirmat Suarez uno actu omnia sua merita consummâsse, eoque plus meruisse, quàm mille & mille homines mereantur per totam vitam. Qualis & quantus ergo fuerit in instanti conceptionis actus amoris B. Virginis, qui longè fuit perfectior?

II. Amor hic in Virgine fuit continuus, & nunquam toto vitæ tempore interruptus, ita ut à primo illo instanti usque ad vitæ finem, nè brevissimo quidem temporis intervallo ab amando ferventissimè DEO unquam cessârit. Ita docuit Vasquez 1. pag. d. 118. cap. ultimo, qui per continuam & indeficientem contemplationem, & fervorem charitatis in DEUM, explicat, quomodo in ea extinctus fuerat fomes peccati, ut nullum inordinatum motum sentiret. *Et paulò post:* Ardebat autem DEIpara tota, & non secundùm unam aliquam duntaxat sui partem, sed secundùm omnes animæ & corporis facultates & potentias, omnes internos externosque sensus. *P.S. Ildef. Sermon. 1. de Assum.* Quocirca S. Ildephonsus confert illam cum ferro ignito: *MARIAM* inquit, *velut ignis ferrum Spirit. Sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit, ita ut in ea Spiritûs Sancti flamma*

flamma tantùm videatur, nec sentiatur, nisi tantùm ignis amoris DEI. Ex hoc amoris ardore prodibant omnes & singulæ S.S. Virginis internæ externæque actiones, sicut ex ferro candente scintillæ, nihil segnitiei, nihil teporis admittentes. Omnia ex ferventissimo charitatis actu agebat, & in DEI amorem omnia referebat. *Et mox.* S. Ignatius Societatis JESU fundator, ut est in ejus vita, amore Divino ita inflammari solebat, ut facies ejus ardere videretur, essetquè tota instar cocti cancri rubra. Præterea illud ipse aliquando de se dixit, se vivere non posse, si quid in anima sua humanum, & non ex omni parte Divinum adverteret. Unde & in actionibus omnibus particularibus id semper sincerè spectabat, ut fierent purè propter ipsum DEum, easque singulas dirigebat ad DEI gloriam. Neque hoc contentus erat, sed cum reflexione quadam animi operam dabat, ut in quàm maximam DEI gloriam redundarent. Hinc illa solemnia illi verba, toties in scribendis constitutionibus, & aliàs semper usurpata: *Ad majonem DEI gloriam. Ad Majus DEI & Creatoris nostri obsequium.* Testati hoc sunt ex multorum juratorum testium certa asseveratione, Eminentissimi tum Sacrorum Rituum Cardinales, tum Sacræ Rotæ auditores, in Relatione Summo Pontifici data, his gravissimis verbis: *Tanto erga DEUM amore flagrabat, ut totâ die illum exquireret, & nihil aliud loqueretur, nil aliud cuperet, quàm placere DEO, & ipsius obtemperare voluntati. Itaque illi totum se committebat, illum omninò sequi decreverat, etiamsi toto cælo, terrâque privaretur. Omnes suas cogitationes, verba, opera, in DEUM tanquam in finem referebat, ad DEUM ac DEI gloriam honoremque destinabat.* Quorsum ergo hæc commemoro? nimirum ut magis concipiamus, & aliquantò faciliùs intelligamus, quomodo Beata Virgo amore tota ita arserit, ut ex eo omnes & singulos in particulari affectus, cogitationes, verba, opera, particulariter in DEUM retulerit, cui comparatus quantumvis totus ardens, & igneus Ignatius, imò & quivis aliius Sanctus, gelu potius quàm ignis dicendus est.

III. Quod de Virginis amore tradunt Theologi, est eum quantumvis, ut dictum est, ab initio ardentissimum & Super-seraphicum; non tamen in eo statim in quo fuit, constitisse, sed crevisse semper ingentibus incrementis, & in majores assiduè

ac majores ardores atque incendia evasisse. Qua in re pia ac singularis est sententia P. Suarez eximii cultoris atque amatoris Beatæ Virginis, cujus ope & beneficio, eam, quam in illo miramur, doctrinæ copiam & præstantiam, est consecutus. Is ut probet Deiparam plus acquisivisse gratiæ ac gloriæ, quàm sit, aut futura sit omnium Sanctorum non tantùm seorsim sumptorum, sed etiamsi simul omnium in unum coäcervaretur hominum Beatorum & Angelorum gratia & gloria (quam ille assertionē in scholas invexit, eumque deinceps multi præsertim ex Societate JESU secuti sunt) ut inquam hanc assertionem firmet, pro fundamento ponit, Virginem tantos progressus atque incrementa in actibus amoris erga DEUM continuò fecisse, vti is actus, qui primum sequebatur, duplo esset illo intensior, & isto, tertius quadruplo, & hoc, quartus octuplo, & sic deinceps per totam vitam (quæ secundùm probabiliorem & hodie passim receptam sententiam fuit 72. annorum) singulos actus ita processisse, ut posterior actus meritorius aut charitatis, anteriorem in dupla proportione superaret. Ratio ipsius est: quia semper operata fuit secundùm omnem intensionem charitatis & gratiæ, ita ut verissi-
1. Cor. 15. mè dicere posset: *Gratia DEI in me vacua non fuit.* Ergo si in primo instanti habuit V. G. gratiam & charitatem ut 1000. elicuit tunc actum charitatis ut 1000., per quem meruit gratiæ & charitatis augmentum itidem ut 1000. atque ita eo instanti jam hoc adepta fuit, ut haberet charitatis bis mille gradus. Sequenti igitur actu charitatis, cùm itidem secundùm totam intensionē charitatis operaretur, aquisivit charitatem ut 4000, & ita consequenter, ut paulò ante dictum est. Quæ suppositio & discursus immensam & à nobis prorsus incomprehensibilem, non tantùm Divinæ gratiæ copiam adstruit, sed etiam Divini amoris intensionem. Sanè Mathematicus quidam hunc inivit computum. *Si verum est,* inquit, *quod nonnulli asserunt, Augustissimæ Deiparæ gratiam* (idem est de meritoriis aut amoris DEI actibus) *proportionalia & dupla per singulos actus habuisse incremnnta: post 64. actus, creverat ea proportione quam habent 13446744073709551615. ad unum.* Quàm ingens hic numerus! Quid igitur si non ab uno actu unius gradus intensionis ad 64. per proportionalia dupla incrementa procedamus, imò ne à mille quidem duntaxat gradibus, sed incipiamus à mille milli-

millionibus, & vel per unum diem, non dico ad 64 numerum, sed ad milliones numerando progrediamur? Non enim est dubium, quin B. Virgo intra unum diem aliquot actuum Sanctorum milliones elicuerit, præsertim cùm etiam dormiens operaretur ope scientiæ & cognitionis infusæ, quæ non dependet à phantasmatibus, quam cognitionem illi quis neget, cùm Contemplativis quibusdam tribuatur? Et præterea nullum illi momentum sine pio actu præteriret, & denique nullus prorsus actus illius indeliberatus, cùm haberet omnium suorum actuum perfectum dominium, & peccati fomite careret? Quodsi unus dies tantum intensionis, sive Divinæ gratiæ, sive actuum amoris augmentū in D. Virgine ponit ut ad id concipiendū mens humana fatiscat, quidsi augmentū illud ad integram hebdomadam sic per dupla proportionalia additamēta extendamus? Quid si ad mensem? quid si ad annum? quid verò si ad 49. annū (eum enim agebat cùm Christus pateretur) à primo conceptionis instanti, à quo deinceps ratione uti, & sanctè operari cœpit & perrexit, continuemus? & porrò ad 72. annum, quo vitam hanc mortalem cum immortali commutavit, gradatim per singulorum actuum dupla incrementa ascendamus? Qui potest hanc quasi infinitatem quandam capere, capiat: sed vereor, ut possit. Ex hac doctrina deducit ulterius Suarez (ut hoc etiam ad laudem & decus Virginis ab illo Patre ei attributum addam) B. Virginem circa finem vitæ, unico actu amoris DEI per unum momentum plus meruisse, quàm meruerint omnes Sancti & beati homines & Angeli, qui sunt, erunt, fuerunt, omnibus simul sumptis meritoriis actibus, omni quo meriti sunt, & merebuntur tempore; eò quòd actus ille fuerit intensione & perfectione major, quàm omnes sumpti omnium Sanctorum simul sumptorum Quod illi proclivè est dicere, cùm probabile etiam existimet, quòd etiam si non elicuisset D. Virgo toto vitæ suæ tempore perfectiores & intensiores actus DEO placentes, quàm fuerit is quem primo conceptionis instanti elicuit (qui ut ex recepta Theologorum sententia supra dixi, fuit perfectior ex se & magis meritorius, quàm cujuscunque etiam sublimissimi Sanctissimique Angeli) adhuc tamen circa finem vitæ ampliorem & copiosiorem gratiæ cumulum ac thesaurum congregatum per omnes vitæ actus haberet, quàm

alii Sancti omnes, eò quòd penè innumerabilis sit in tot annis, quibus B. Virgo vixit, actuum multitudo, quos sine intermissione, continenter & semper eliciebat, & quolibet tali actu quemlibet Sanctum merito excedebat.

IV. In vita Beatæ Catharinæ Genuensis à Matthia Tanner Carthusiano in latinum conversa c. 6. affirmat de se hæc Beata, quòd, postquam DEUM amare cœpisset, nunquam ampliùs defecerit iste amor; imò magis ac magis usque ad finem vitæ in intimo cordis sui creverit. Eadem dicit c. 9. *Amorem, quo dilectum meum amore prosequebar, quotidie in me majorem animadverti.* Et addit. *Tam ardentem ignem intra me sine igne sustineo, ut quemlibet cuperem eum intelligere posse, ac certa sum, quòd omnia quæ afflarem, igne Divini amoris incenderem & concremarem.* C. verò 36. rogantibus ut aliquid de suo amore referret, respondit: *Desunt verba tam ignito amori congruentia, quæcunque proferrem, adeò ipsi dissimilia essent, ut eidem injuriam facerem. Quod vobis narrare possum, hoc est: unica guttula de eo, quo cor meum plenum est, in infernum delapsa, mutaret illum planè in vitam æternam, totusque ibi foret amor atque unio, ut dæmones in Angelos, & tormenta in oblectamenta verterentur.* Similia, vel his majora de aliis quibusdam Sanctis narrantur. Quæ ego iterum quemadmodum antecedenter de S. Ignatio eo fine commemoro, ut per aliquam analogiam, Deiparæ amor in DEUM Filium, & continuus in eo progressus, aliquatenus tametsi imperfectissimè à nobis concipiatur & cognoscatur.

V. Principium & sensus fidelium piorumque est: omnia quæ ad Sanctitatem & dignitatem spectant, Magnæ DEI Matri attribuenda esse, quæ sine inconvenientia possunt, etiamsi nullum præterea habeamus earum rerum fundamentum, cùm illa sit idea Divinæ liberalitatis, & beneficentiæ, & communicationis ad extra, quam DEUS puræ creaturæ contulit. Nullum autem est inconveniens, præbita illi esse continenter efficacia auxilia gratiæ prævenientis & excitantis, per quæ eliceret actum charitatis non modò æqualem, sed etiam intensiorem habitu: præsertim cùm non desint Theologi, qui dicant, augmentum charitatis & gratiæ non fieri, nisi per actus intensiores; quod sive verum sit, sive non, certè quod Theologi isti requirunt ad augendam

gratiam

gratiam in aliis, hoc Matri DEI sic est concedendum, ut cùm per totam vitam assiduè sibi auxerit gratiam & charitatem, quod nemo facilè negabit, dicatur auxisse semper per actus non modò æquales, ut contendit Suarez, sed etiam ferventiores habitu. Et verò si in aliis hominibus multa sunt, quæ illos impediunt, quo minùs actum charitatis habitu fervidiorem exerceant, ut concupiscentia & partis inferioris rebellio, ac fomes peccati; tentatio item, distractio, gravedo corporis, &c. his omnibus Virgo caruit. Itaque nullam sensit difficultatem in exercendis virtutum actibus, nulloque affectu inordinato non modò inquinabatur, sed nè inquietabatur quidem, aut retardabatur, quo minùs se totam in DEUM, ejusque amorem immergeret.

VI. Ut concludam cum S. Augustino apud D. Bonaventuram c. 14. in spec. quòd scilicet B. Virgo non tam amauit, quàm charitatis naturam induit, & ipsa charitas fuit. Sic enim ait: *Quis dubitare potest omnino in charitatis affectionem transisse viscera MARIÆ, in quibus ipsa, quæ DEUS est, charitas novem mensibus corporaliter requievit?* Hæc & plura P. Caspar Tausch.

6tum. *Incentivum* Ab Exemplis Sanctorum, de quorum numero ad supra posita unam teneram Virginem S. Magdalenam de Paz, planè miraculum amoris addo. Hæc Sancta ex natura fuit staturâ & complexione valde mediocri, præ jejunijs verò & asperitate vitæ debilis, pallida & squalida. Attamen quam primum fuit succensa igne amoris Divini, confestim videbatur tota reviviscere, ac roborari: facies ei fiebat plena & rubicunda, imò instar solis rutila: Oculi quasi duæ scintillantes auroræ, totoque vultu serena, læta, pulchra instar Angeli. Insuper tanquam ebria amore, currebat velociter de loco in locum, & quidquid occurrebat ad manus, lacerabat, clamabatque per Monasterium dicens; *Amor! Amor! Amor!* Quandoque dicebat: *O DEUS amor! O DEUS amor! O DEUS qui diligis creaturam purissimo amore!* Et non perferens flammas ejusdem amoris dicebat: *O Domine mi, non amplius amoris, non amplius amoris! Et usque superabundanter IESU mi amoris, quem habes in creaturam. Non est quidem superabundanter respectu magnificentiæ tuæ, sed superabundanter respectu adeò vilis & nullius frugi creaturæ.* Deinde agnoscens se esse indi-

In vita S. Magdal. de Paz.

indignam hoc amore addebat: *Cur mihi tribuis adeò magnum amorem, quæ sum tam indigna & abiecta?* Quandoque inclamabat: *Ah mihi! vivo in amore moriendo, morior vivendo: quia amor simul est labor & requies, lenitas & asperitas, mors & vita, blanditiæ & afflictio.* Simili modo in aliis sublimibus ecstasibus ejusmodi ardebat desideriis, in cælum convertens oculos, dicebat. *O amor! O amor! tribue mihi adeò potentem vocem O Domine mi! quæ, quotiescunque nomina vero Te Amorem, à solis ortu usque ad occasum, à meridie usque in aquilonem, denique ab omnibus mundi partibus usque ad inferni abyssos possit penetrare, ut denuo cognoscaris, & honoreris, tanquam verus Amor.* In ejusmodi igitur ignitis ecstasibus, & amore flammantibus eloquiis consumebat multos dies, & noctes integras. Insuper contingebat etiam frequenter, quòd eadem sancta ferre non valens flammas amoris, mergeret manus in gelidam aquam, eamque bibens in copia, suum pectus perfundendo refrigeraret, dicens quòd tota pene deficeret præ flamma amoris Divini: ubi sæpe vertens oculos vultumque in cælum, cum intenso amore iterabat: *Non possum ampliùs ferre adeò magnam flammam.*

Praxis Proficiendi in dilectione DEI est *Imo.* Ampliùs „ sese incendere affectibus erga Charitatem: eos accipe ex *P.* „ *Aria*: O Beata Charitas! o amor Divine; qui tanti valoris es, „ tam mirabilia facis, tantùmque exaltas, magnificas, & honoras „ eos, qui te possident! Tu bonorum operũ regula es, ordinans ea „ ad supremum finem, qui DEUS est. Tu Divina forma es, dans „ esse, vitam, valorem ac pulchritudinem omnibus virtutibus, „ ut DEO gratæ sint, & æternâ vitâ dignæ. Tu illa es, quæ „ sanas humanam naturam, facisque ut ea res grandes, altissi- „ mas, supernaturales, DEique Filiis dignas operetur. Tu purissimum cæli aurum es, ditans animas gratiæ, & æternæ glo- „ riæ bonis. Quare meritò de te dictum est: *Si dederit homo* „ *omnem substantiam domûs suæ*, quidquid habet, & potest habere „ *pro* acquirenda *dilectione* seu amore DEI: tantæ dignitatis tanti- „ que valoris hoc donum est, & tantum in eo bonum atque uti- „ litatem experietur, ut quidquid ad consequendum illud de- „ derit, *quasi* rem nullius valoris ac pretii, imò *nihil* esse judicatu- „ rus sit ad tam summum bonum, qualis est amor DEI. *Et S.*

Franciscus Arias Thesaur. tra. 4. de Char. C. 22.

Cant. 8.

Augusti-

Augustinus: Adde charitatem prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt cætera. Quale bonum est charitas ista fratres? quid pretiosius? quid luminosius? quid firmius? quid utilius? quid securius? O charitas quàm mihi chara es! quàm mihi per omnia practicanda es? Propono Domine semper quidem, sed maximè hac die, vel septimanâ, vel mense, tot & tot actus N. N. Charitatis exercere. Adjuva me. Succurre pia Mater MARIA. SS. Patroni mei &c. *S. Aug. de Verb. Dom. serm. 50.*

Vide etiam dicta supra 1. 2: tra. 1. c. 1. sec. 4. subs: 2.] § 2.

2do, Continuum & vehementissimum desiderium magìs ac magìs amandi DEUM, tum indeficiens & ignita ad DEUM oratio pro summo amore suo; Hoc enim donum omnium donorum specialissimum, à quo nisi à Patre luminum descendens, petendum & sperandum?

3tio. Puritas animi. Hic quippe quò à culpis & defectibus est mundior, eò videndi DEI invenitur capacior, *Beati* enim *mundo corde; quoniam ipsi DEUM videbunt.* Visioni autem seu cognitioni DEI clariori respondet ordinariè amor DEI ardentior. *Matth. 5.*

4to. Meditationi rerum Divinarum, seu Contemplationi DEI totum se tradere. Accipe doctrinam hoc in puncto Seraphici Doctoris, qui ait: *Per meditationes Sanctas Divinarum rerum, & præsertim amoris, quo DEUS nos diligit, anima experimentaliter Divinam suavitatem probat, & sentit, quàm suavis sit Dominus: & per Divinæ hujus suavitatis experientiam crescit in anima amor DEI, & ex hac suavitate oritur in eadem anima ingens fames, id est, ardentissimum desiderium possidendi, & perfectè in cælo fruendi hoc infinito bono quod amat, & gustat existens in terra. Et per hanc famem ac desiderium magìs crescit in amore DEI, eòque tandem pervenit, ut valde ex corde res omnes terræ contemnat, & omnes voluptates, gustusque sensuales ac terrenos abhorreat. Omnia fastidit, nec invenit gustum, nec consolationem, nisi in DEO, iisque rebus, quæ ipsam ad DEUM ducunt. Hinc quoque fit, ut libenter poenas & ignominias, quæ ei in hac vita eveniunt, suscipiat, eò quòd de manu Domini, quem illa adeò amat, veniant; easque propter ipsum cum gustu tolerare vult: & interdum eas etiam amat, & lætatur in illis. Per hoc in anima magìs amor DEI crescit, & per hunc magna quædam ac secura fiducia in eundem DEUM: cùm enim per experientiam discat se tantum favorem à DEO accepisse, ut libenter amore ipsius quodvis damnum & ignominiam* *D. Bonav. tom. 2. in lib. parvum bonū lib. 3. p. 2.*

minii ferat, tantam adjutorii ejusdem DEI spem concipit, ut credat, id nequaquam sibi defuturum, neq; se gratiam & amorem ipsius amissurum. Porrò modum contemplandi DEUM & Divina &c. vide *supra* de Contemplatione. Materiam verò contemplationis de DEO &c. habes *infra.*

1. 2. *tra:* 1. c. 1. p. 3. *tract. ultimo*

5to. Infatigabile exercitium tum actuum ipsius amoris DEI; tum aliarum virtutum; nec non actuum indifferentium ex amore DEI. Unde aureum Card. Bonæ documentum altius & perenniter memoriæ insculpendum, quod sequitur: *Hoc indicio cognoscet homo se DEO adhærere, & unitum esse, cum omne ipsius studium, omne desiderium, omnis conatus, quidquid sperat, quidquid videt, quidquid loquitur, quidquid intelligit, DEUS est.* Et infra: *Sicut rusticus omnis doctrinæ & literarum expers, qui solem quotidie cernit, ejusque luce & calore fruitur, lumen intensiùs diligit, quàm coecus multâ scientiâ præditus, qui de luce ejusque causis & effectibus plura didicerit ex placitis Philosophorum: ita DEUM magìs diligit simplex, & pius homo ex cognitione practica fidei, quàm subtilissimus Theologus ex sola speculatione. Sicut etiam vir doctus & eruditus in regione Septemtrionali, in qua nullæ sunt vites, & nemo vinum bibit, de vineæ cultura, deque vini potu, ejusque effectibus & proprietatibus copiosè poterit & acutè discurrere: sed quia vinum nunquam gustavit, practicè nesciet, quid sit vinum, quomodo lætificet cor hominis, quomodo inebriet; nec eam vini notitiam aliquando assequetur, quam rusticanus vinitor habet, qui vinum quotidie bibit. Ita planè contingit, ut aliquis de plebe, qui nec legere quidem noverit, altiùs de DEO rebusque Divinis scientiâ experimentali loquatur, quàm Vir magni nominis, qui totum vitæ suæ tempus in studiis Theologicis consumpsit. Experientia siquidem speculationem, amor scientiam excedit: multòque faciliùs pervenitur ad DEUM affectu, quàm cognitione. Omnes igitur animæ vires affectui potiùs & orationi, quàm doctrinæ applicare oportet, si ardentissimum DEI amorem citiùs consequi desideramus. Amore potiùs quàm scientiâ sublimiorem DEI notitiam comparamus; quia amor ipse notitia est, & amando vehementiùs in contemplatione defigimur, per quam clariùs & splendidiùs eum intuemur. Ipsum amando minus laboramus, illi magìs obsequimur: nam cognitio, quam de illo consequi possumus, in hoc exilio certis & angustis limitibus conclusa est; amare autem possumus quantum volumus, quantum scilicet ipse dederit, qui sine modo amari desiderat,*

Principior. Vitæ Christ. p. 2. c. 46.

Ibidem c. 48.

desiderat, nec ullus amori terminus præfixus est. Plerique tamen stulto errore decepti, malunt semper quærendo nunquam DEUM invenire, quàm amando possidere.

6to. Omni quidem si possibile tempore amandus DEus, at potissimùm dum adest obligatio, de qua *Busenbaum* inquit: Probabile est, præceptum charitatis DEI obligare. I. Quando homo adeptus est sufficientem cognitionem DEI infinitè boni, à quo omnia sua bona habet, & cui omnia debet. Ratio est, quia cùm teneatur DEO ex filiali amore totâ vitâ servire, id non videtur posse fieri, nisi eliciat actum amoris. Jta *S. Thom. q.* 89. *art.* 6. *Navar. Valentia, & cæt. comm.* (notat autem *Con. disp* 24. *d.* 3. *num.* 50. non statim post talem notitiam peccare mortaliter, sed tantùm, si differat notabiliter, V. G. ultra annum) contra *Palaum*, qui dicit probabile esse, quòd non obliget. Si scrupulus te angat, an præcepto huic satisfeceris, docet *Escobar*, ex *Petro Hurt.* 22. *di.* 172. *S.* 1. §. 24. quodsi positivè non meministi, te omisisse, tenere possis te satisfecisse. *Trullen.* tamen *lib.* 1. *c.* 5. *d.* 13. *n.* 9. monet expedire, ut quis se in confessione aliquando accuset sub dubio, si fortè præceptum istud aliquando violarit, vel alia præcepta affirmativa, de quibus non certò constat, quando obligent, vel violentur. II. Quando est periculum labendi in odium DEI, nisi actum Charitatis elicias. III. Quando quis tenetur conteri V. G. moriturus, aut celebraturus, cui confessarius deest. Ratio, quia contritio includit actum Charitatis. IV. Si quis gravem tentationem, præsertim in articulo mortis putet se aliter vincere non posse. Quibus aliqui addunt articulum mortis absolutè, eò quòd tunc securissima via eligenda sit. V. *Laym:* l. 2. t. 3. c. 2. *Bon.* d. 3. q. 4. p. 2. *Hur:* ad 2. 1. *D.* 174. s. 6. d. 27.

Herman. Busenbaum Medul. Theol. Moral. lib. 2. t. 3. cap. 1.

Interni actus dilectionis DEI, ex Cardinale Bona.

I. *ORo te dulcissime DEUS, ut cordis mei principatum geras. Absit à me, optatissimum bonum meum, ut aliquid amem præter te.*

II. Ure me incendio decoris tui, speciosissime princeps cordis mei: sacrifico tibi omnia viscera mea, & præcordia mea.

III. Vive potentissime Imperator cordis mei, & dominare sicut decet te. O qàm mihi placet, ut regnes in æternum & ultra.

Cardin. Bona Via comp. ad DEUM. c. 14.

IV. Utinam tot millia cordium, quot tibi placuerunt, vel placere possunt, ipse possiderem, ut te perfectissimè amarem.

V. Utinam subdere tibi possem, amabilissime Domine, omnia colla filiorum Adæ, ut te solum requirerent, & amarent.

VI. O unice amor meus, & serena lux oculorum meorum, omnia mihi sordescant, & vilescant præter te.

VII. O quantùm gaudeo, quòd DEUS sis, summè bonus, & perfectus, immensus, infinitus, justissimus, sapientissimus, omnipotens, & incomprehensibilis! Amo te purè propter te ipsum, & gaudeo de bonis tuis, ob hanc solam causam, quia bona tua sunt.

VIII. Ad te summum toto cordis affectu feror, in immensa bonitate tua exulto: gaudeo, quòd omnes Angeli & Sancti, adorent & laudent te.

IX. Utinam possem amare te, quantùm amabilis es! sed quia hoc excedit vires omnium creaturarum, utinam saltem amem te, quantùm possum, quantùm debeo.

X. Reple, DEUS meus, animam meam amore tuo, ut amore totus ardeam, & amore moriar.

XI. Quàm poenitet me, quòd alia extra te dilexi. Utinam possem transactos annos revocare, & amoris tui actibus replere!

XII. O dulcissima vita animæ meæ, utinam deficiat in te cor meum. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?

XIII. Unam petii à te, Domine, hanc requiram, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ.

XIV. Utinam ultimus halitus, quo animam efflabo, halitus amoris sit, moriar amore tuo, DEUS meus, & quia vitam ab amore non inchoavi, da mihi vitam amando finire. Ultimus vitæ actus sit amare.

Subnecto hic aliam classem Actuum Charitatis, qui simul repræsentant *Gradus* ejusdem Virtutis. Excerpsi illos è *Summario Asceticæ & Mysticæ Theol. Dobrosielscii*, & ipse ex *Septenario itinere æternitat. Seraphici Doctoris, itin. 4. dist. 5.* Sunt autem hi gradus in trinam Classem distincti: 1*ma* Amoris gratuiti: 2*da* Amoris violenti: 3*tia* Amoris Seraphici. Quos per modum quorundam pactorum animæ cum DEO, in praxim reducendos pro suo posse à quoquam, propono.

ACTUS

ACTUS GRADUALES AMORIS GRATUITI, SEU CHARITATIS.

Primus gradus est, Amor incomparabilis.

Quis mihi tribuat, ut diligam te Amore incomparabili?

HÆc verba, quotiescunque ô JESU mi suspirando corde ac ore dixero, moxque substitero, toties intendo & affectuosissimè cupio te diligere super omnia: imò quoque hoc ipso revera magis te diligo quoad comparationem & appretiationem, quàm me ipsum, ac omnem creaturam, quocunque modo ad me spectantem ac pertinentem. Amen.

Notandum est, quòd præsens amor DEI, est amor necessitatis, seu de necessitate salutis: unde quoque infimus est, tanquam communis omnibus electis: natura autem istius amoris est, tum omne peccatum mortale ab anima expellere; tum voluntatem in observantia legis præcepti stabilire ac firmare; tum amorem bonorum temporalium moderari, ac practicâ Divinorum æstimatione superare.

Secundus Gradus est, Amor Incontaminabilis.

Quis mihi tribuat, ut diligam te amore incontaminabili?

HÆc verba quotiescunque dixero, toties ô JESU mi, cum tota efficacia cordis mei diligere te cupio ac intendo amore incontaminato ac incoinquinato dilectione mundanorum; semperquè tecum expedito, immaculato & puro corde, jugiter conversari ac permanere desidero, Amen.

Notandum est, quòd præsens amor DEI, est Amor supererogationis, ac proprius incipientium vitam Spiritualem, cujus sunt tria officia: quorum *primum* est, contemnere nimirum & abnegare mundum, seu ejus honores, possessiones, & voluptates (per studium & cultum religiosæ obedientiæ, paupertatis, & castitatis) quæ aliàs in priori gradu infra DEUM non illicitè diligebantur. Minùs enim DEUM amat (*juxta D. Augustinum.*) qui cum DEO

aliquid amat, quod propter DEUM non amat. Et secundùm S. *Gregorium*. Tantò quis ab amore DEI disjungitur, quantò inferiùs delectatur: & citiùs ad DEUM (*conversione practicâ & anagogicâ*) convertitur, qui non habet in hoc seculo, unde delectetur. Et secundùm D. *Anselmum*: Creatura rationalis nihil habet diligere, nisi DEUM, aut propter solum DEUM. *Alterum* officium est, custodire ac defendere amantem à quovis veniali peccato, ex deliberatione videlicet & industria veniente, quo aliàs motus Charitatis impeditur, & affectus refrigeratur ac maculatur. *Tertium* est, præservare amantem ab omni passionum perturbatione, & conservare illum cum amato in quiete solitudinis.

Tertius Gradus est, Amor Insatigabilis,

Quis mihi tribuat, ut diligam te Amore infatigabili?

O *Domine, quotiescunque dixero verba hæc, ex profundo cordis mei; toties integrâ affectione meâ, cupio ac desidero diligere te amore nulli unquam labori cedente, quem requirit vitæ spiritualis profectus; ac sub nulla difficultate deficiente, sine qua non venitur ad veram virtutem. Amen.*

Notandum est, quòd præsens amor DEI proprius est proficientium in vita spirituali, cujus quinque sunt officia. *Primum* est, efficere in anima desiderium, optimè proficiendi in virtutibus, & felicitèr perveniendi ad perfectionem. *Secundum*, roborare animam, ut nullâ unquam frequentiâ tentationum, laborum, ac difficultatum asceticarum, fatigetur, & assiduitate ac multitudine spiritualium exercitiorum, proposita ejus, conatus, & intentiones frangantur. Unde *S. Gregorius* de istius amoris natura sic ait, dicens: Amor DEI operatur magna, ubi est: si verò operari renuit, aut non operatur, amor non est. *Tertium*, jucundos animæ asceticos reddere labores. Unde *S. Augustinus*. Nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant, sicut venantium, piscantium, aucupantium, & cæterorum talium: in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor

amatur

amatur. *Quartum*, perpetuò instigare animam ad quærendum amatum, donec inveniatur per plenam & perfectam amationem, & practicam cognitionem. Unde *Orig.* super illud Cant. 3. In lectulo meo quæsivi, &c. *sic ait.* Quærendus es Domine cum frequentia laboris: nunc in lectulo, lumine Veritatis: nunc per noctes, fervore Charitatis, abjecta superstitione naturalis rationis. Solus amor te invenit: quia qui te amat, te habet ut amet, amat ut habeat, & ne in æternum perdat. *Quintum* est, separare ab amante, omne amato dissimile; nam dicit Scriptura *Eccl.* 13. Homo simili sui sociabitur.

Quartus Gradus est, Amor Inseparabilis.

Quis mihi tribuat, ut diligam te amore inseparabili?

HÆc verba, quotiescunque ô JESU mi, ex intimo cordis mei dixero, toties affectuosissimè concupisco semper te diligere, illo scilicet amore, qui me nullo unquam negotio (juxta modum huic tempori donatum) tum naturæ, tum vitæ activæ, à te jam invento, & comprehenso, à tui jucunda contemplatione, separari & alienari permittat. Amen.

Notandum est, quòd præsens amor DEI proprius esse dicitur contemplativorum, qui tantæ virtutis est, ut continuis stimulis agitet contemplatoris mentem, ad contemplandum dilectum, comprehendendum, & tenendum. Unde *S. Bern.* in illud *Cant.* 3. Inveni quem diligit anima mea, &c. *sic ait*: Quis te non teneat Domine JESU, qui tenentem te spe fortificas, perfectione decoras, perseverantiâ conducis? Ego autem non dimittam te, quia non benedicis nisi tenentem te.

Quintus Gradus est, Amor Insuperabilis.

Quis mihi tribuat, ut diligam te Amore insuperabili?

HÆc verba ô JESU mi, quotiescunque ex profundo Cordis mei suspirando dixero; toties ardentissimè desidero te diligere, illo scilicèt

amore, qui nullis unquam frangatur hujus mundi prosperitatibus, & nullis superetur præsentis seculi adversitatibus. Amen.

Notandum est, quòd præsens amor proprius est Christi Martyrum, & quorumvis ejus sectatorum, sub quacunque prosperitatis & adversitatis persecutione non succumbentium: quorum alii in refrigerio jam vitæ æternæ illud decantare perhibentur, quod est *Psalm.* 45. Transivimus (*non succumbentes*) per ignem (*adversitatum*) & aquam (*prosperitatum*) & eduxisti nos in refrigerium. Et alii hìc adhuc peregrinantes ac militantes, cum Apostolo ajunt: *Rom.* 8. Quis nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis) sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.)) De natura ac Virtute amoris hujus sic ait *D. August.* Nihil tam durum atque ferreum, quod non igne amoris vincatur.

Sextus Gradus Amoris Gratuiti seu Charitatis est, Amor Insatiabilis.

Quis mihi tribuat, ut diligam te amore insatiabili?

Q*Votiescunque Domine mi, hæc verba ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties cordis mei efficaciâ diligere te exopto, amore nimirum illo, quo semper major in anima mea sitis seu cupiditas accendatur, magis ac magis perpetuo affectu & effectu te amandi ac diligendi, Amen.*

Notandum est, præsentem amorem tantæ esse virtutis, ac tanti desiderii; ut nihil ei sufficiat, præter unum solum quod sitienter amat: quodque dum sitit, bibit; bibendo autem sitim non extinguit, sed quò ampliùs bibit, eò ampliùs sitit: quia avidi & insatiabilis amoris ac desiderii sitis vel esuries non sedatur, sed irritatur, juxta illud *Eccl* 24. Qui edunt me adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Et juxta *D. Bernardum.* Qui te gustant, esuriunt; qui bibunt adhuc sitiunt. Desiderare nesciunt, nisi JESUM quem diligunt.

Amor

Amor hujus loci proprius est contemplativorum, activorum, zelosorum, & passivorum DEI: *Contemplativorum* quidem proprius est, qui scilicet, quò magis diligunt DEUM, eò magis eum contemplantur: & quò magis contemplantur, eò magis diligunt: & quò magis diligunt, eò minus putant se eum diligere: ac proinde semper majore illius amore concupiscunt inardescere, magisque magis in eo jugiter sitiunt crescere ac proficere, ita ut hujus profectûs modum ac finem non habeant. *Activorum* autem, qui scilicet vehementi amore Christi inflammati, quò plura virtuosa ac bona opera faciunt, eò minus putant ac judicant se aliquid boni fecisse: ac proinde semper de novo bona agere incipiunt. *Zelozorum* quoque præsens amor proprius est, qui nimirum Zelo Christi, ac desiderio Apostolico succensi, omnes ad amandum DEUM trahere contendunt (juxta illud S. *August.* Si amatis DEUM, rapite omnes ad amorem DEI) & quò plures doctrinâ suâ, oratione, & exemplo ad DEUM convertunt, eò magis conversionem & salutem animarum quærunt ac sitiunt. *Passivorum* DEI tandem, qui scilicet, quantò plures pro DEO, ac ejus veritate & justitia patiuntur adversitates, tantò magis ob eandem causam pluribus malis affici desiderant: dumque sic afficiuntur, habent se, acsi nihil adhuc adversi sustinuissent: quique, ita ad Christum vehementi æstuant desiderio, ut ad eum per quævis dira tormenta venire cupiant, juxta illud *Philip.* 1. Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo.

ACTUS GRADUALES AMORIS VIOLENTI.

Primus gradus est, Amor vulnerans.

Quando Amore Amoris tui vulnerabor?

H*Æc verba quotiescunque ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties ô DEUS meus intendo, & affectuosissime cupio, sic jaculo amoris tui vulnerari, ut secundùm totam animam meam ab omnibus inferioribus abstractus, & ad te solum concitatus ac permotus, nihil omnino tecum transitorii desiderare ac diligere queam, Amen.*

Notandum est primò, quòd Amor violentus, tunc vulnerare dicitur amantes, quando illo commovet ac impellit ad amandum

dum ipsa sua nonnisi amata. Hoc telo amoris & devotionis sponsæ, vulneratum se sponsus fatetur, dicens *Cant.* 4. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa; *id est*, ô anima devota, sic amore tuo concitasti, promovisti, induxisti ac inflammasti spiritum meum, ut omnino te reamare cogat, ac unum te tecum in hoc meo amore efficere necesse habeam. Eodem amoris telo sponsa se vulneratam esse confitetur, dicens *Cant.* 2. *juxta* 70. *Interpretes.* Vulnerata Charitate ego sum, *id est* cor meum totum sic ad amorem tui excessivum dilecte mi, in contemplatione scilicet tuarum perfectionum, in me sentio esse permotum, irritatum, & inflammatum, ac præ magno tui desiderio apertum, & dilatatum, ut verè ac propriè realiterque tantâ violentiâ vulneratum & minutatim incisum sit. Unde *Harphius Henricus in Mystica Theol.* Cor eò quòd tam latè apertum est, læditur, & vulneratur: quamvis autem læsionem hujusmodi patiatur, tamen tristitiam non habet, quia amoris vulneratio, est dulcissima passio, & levissima pœna. Nec hoc mirum est, cùm scriptum inveniatur, nonnullos propter tantam cordis apertionem mortem incurrisse; & istud accidit ex gaudio, voluptate, vel amore, prout legitur, quòd Brugis devota quædam fœmina moriebatur in sermone sacro præ magnitudine amoris. Similiter legimus de quodam milite, qui moriebatur in loco, de quo Dominus noster cælos ascendit. Ista læsio est etiam signum futuræ sanitatis spiritualis, atque Divinæ Visitationis: quia Christus splendidus sol justitiæ infudit secundò & tertiò, imo multis vicibus hujusmodi vulnerato cordi radios Divinæ claritatis, dulcedinis, & Charitatis, excitando multoties animam ad amplexum suæ unionis: sicque cordis vulnus renovat, & aggravat; Verumtamen eo tempore vulnus hoc unctum est superabundantissimis deliciis, quas cor ipsum recipit. *Hæc ille.*

Notandum secundò, quòd sicut homo mundanus, aliquando læsus à suo adversario, sive in bonis fortunæ, sive in bonis corporis, sive in bonis famæ, intantùm telo iracundiæ ac odii vulneratur ac permovetur contra se lædentem, ut durante illius vulneris dolore, nihil aliud nisi de suo inimico audiat, cogitet, & loquatur. *Et è contra* sicut idem homo carnalis ac mundanus, telo amoris amati sui vulneratus seu concitatus, nihil aliud nisi bonum de

amato suo audit, cogitat, & loquitur, cum illo præsente delectabiliter conversatur. Ita anima accepto vulnere cælestis amoris, perpetuò agitur odio contra peccatum, & nullâ ampliùs auditione, cogitatione, & collocutione recreatur & consolatur, nisi illa fuerit de sui dilecti gloria, potentia, sapientia, bonitate, pulchritudine, & similibus, ad cujus præsentiam semper suspirat, semper anhelat, semper rapi desiderat: est enim hoc vulnus tam intimum, ut illud anima dissimulare non possit. *Item*; sicut recenter vulneratus in corpore, clamoribus atque suspiriis aërem replet, alia incommoda minimè sentiens. Ita amore in anima vulneratus, adeò ab amore consangvineorum & amicorum, ac omnium rerum temporalium avertitur, ut eorum incommodis & adversitatibus, quas antea proprias reputavit, præ vehementia amoris Divini, quasi ad se non pertinerent, minimè immutetur.

Secundus gradus est, Amor ligans.

Quando amore amoris tui ligabor?

H*Æc verba quotiescunq; suspirando dixero; toties ô DEUS meus ardentissimè desidero, sic vinculo Charitatis tuæ secundùm omnes vires animæ meæ constringi, ac tibi soli alligari, ut nihil aliud nisi te amatum meum, aut propter te cogitare possim. Amen.*

Notandum est primò, quòd amor habet sua vincula, de quibus Spiritus Sanctus *Oseæ*. 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Hujusmodi vincula non sunt aliud, quàm dona DEI ab anima bene perpensa: dona videlicet, *naturæ*, *gratiæ*, *& gloriæ*, ex quibus fit funiculus triplex qui difficilè rumpitur. Hoc funiculo ita ligatur anima, ut in perfectiorem amorem, quàm dum esset vulnerata, procedat. Plus enim est (ut ait *Richardus de gradibus violentæ Charitatis*, ligari, quàm vulnerari.

Notandum secundò, quòd amor violentus, tunc ligare animam dicitur, quando eam DEO perpetuâ quadam amatione & cogitatione compellit inhærere, in qua tamen jugi dilectione ac memoria DEI, minimè jam laborat anima ac fatigatur; imò id illi lobori est, ad alia videlicet quæ DEus non sunt, quamvis bona & utilia, cogitatione devolvi: ea tamen, cum sibi incumbunt, non omittit, sed vim sibi facit, ut propter DEUM alia (licèt non

aliena) à DEO, cogitet; in illo nihilominus memoriam, & amoris affectionem, cui alligata est, fixam retinens.

Tertius gradus est, Amor languidum faciens.

Quando amore amoris tui infirmabor?

HÆc verba quotiescunque ex intimo animæ meæ suspirando dixero, toties Domine DEUS meus ferventissimè concupiscere intendo, ac reverà concupisco, sic amore amoris tui transfigi, ac penetrari; ut deinceps cuncta mihi seculi hujus prospera, tanquam cibaria infirmo & languido, amara & insulsa esse videantur: & ut nullis unquam hujus mundi adversis, tanquam insensibilis factus, aliquatenus commovear Amen.

Notandum est primò, quòd spiritualis languor, non aliud est apud Ascetas, quàm infirmatio ac debilitatio motuum sensualitatis, ex nimia intensione & elevatione proveniens Divini amoris, quo mens in DEUM extenditur. Unde *glossa dicit* (super illud *Genesis* 32. Angelus Domini tetigit nervum fœmoris ejus, & statim emarcuit) Crescente virtute mentis, decrescit fortitudo corporis.

Notandum secundò, quòd amor languorem asceticum in anima efficiens, ille dicitur, qui sic animam DEO inhærere facit, ut ad cuncta visibilia ac transitoria quodammodo insensibilis ac inidonea reddatur. Unde *glossa loco citato*: Quantò ad majorem amorem sponsi se accendit mens, tantò ab amore temporalium languescit. Et suprà illud *Cant.* 5. Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuncietis ei, quia amore langueo: Sic ait: Quia præ amoris magnitudine, omnia temporalia sunt mihi in fastidio. *Item* amor languidum faciens, ille dicitur, quo sic anima in DEUM excedit, ut præsentem vitam continuò habeat aspernabilem, & mortem omninò desiderabilem. Unde iterum *glossa super eadem verba*; Quia amore langueo: *Sic ait*: Quia præ amoris magnitudine, mors mihi est in desiderio, etiam per dira tormenta; & vita in fastidio cum patientia.

Notandum tertiò, quòd langvor animæ, seu amor languidam faciens animam, idem est Mysticis, quod amoris æstus, internam quandam generans impatientiam, quæ rationi morem gerere & obsequi non vult, donec re amatâ potiatur. *Vel* idem est, quod

quod feruor desiderii, & avida, inhians, semperquè famelica appetentia unionis passivæ cum DEO, ad quam se sentit anima Divinitùs vulnere Mystico commotam ac invitatam esse, illam tamen consequì non potest, non tam ex propria quàm ex DEI causa.

Quartus gradus est, Amor defectum afferens.

Quando amore amoris tui moriar?

HÆc verba quotiescunque affectuosè suspirando dixero, toties Domine DEUS meus intimè desidero sic amore amoris tui sauciari, transfigi, penetrari, & inflammari, ut omnium motuum sensualitatis meæ exustâ & emortuâ inordinatione, totus in te deficiens, perpetuâ spiritûs mei gaudeam libertate. Amen.

Notandum primò est, quòd mors spiritualis dicitur, quam optat quisque suæ salutis amator, dicens illud in profundo sui sæpissimè. *Numer.* 23. Moriatur anima mea morte justorum. Hæc autem mors vel est communis, vel specialis. *Communis* illa est, quâ moriuntur omnes justi peccatis suis propter DEI præceptionem. De hac morte illud est, *Ephes.* 2. Et vos convificavit, cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris. *Specialis* mors spiritualium alia est *Ascetica*, alia *Mystica*. Asceticâ morte moriuntur, qui liberâ voluntate hujus mundi possessionibus, voluptatibus, & honoribus abrenunciantes, continuò mortificationi externæ & internæ, ac imitationi Christi insistunt, juxta illud *Galat.* 5. Qui sunt Christi (*imitatores veri*) carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Hac morte mortuus fuerat S. Paulus, cùm diceret *Galat.* 6. Mihi mundus crucifixus (*id est mortuus*) est, & ego (*mortuus sum*) mundo.

Mystica mors quadrupliciter accidit: *Vel* nimirum quando cursus vitæ hujus ac munus expletur modo extraordinario: quod fit, cùm anima, non præ multitudine naturalis infirmitatis ac doloris, sed præ magnitudine ac intensione Divini amoris à corpore separatur. Et talis fuit mors Beatissimæ Virginis MARIÆ Matris DEI, & aliquorum Sanctorum. *Vel* etiam, quando anima omninò separatur ab omnibus, non solùm quæ

peccati aliquam ei præſtant occaſionem, verùm & quæ obicem ponunt ipſius ſupremæ perfectionis obtinendæ, aut quocunque modo impediunt eam, nè DEO intimè conjungatur. Ut ſunt *irretentibilia* & *abſoluta* Myſticorum, & ipſa *connaturalis* animæ ac ordinaria *activitas*. *Vel* quoque, quando anima ingreditur altisſimam contemplationem, ubi perfectisſimè inhærens DEO per intimum amorem, ipſam incurrit ecſtaſim. *Vel* tandem, quando anima à jucunda DEI præſentia per ſpiritualem deſolationem ſeparatur. De hac morte *Joannes Taul. in Inſtit. c.* 4. ſic ait: Eſt alia quædam mors ſpiritualis, quæ eſt formæ neſcia, illa afflictio, quæ neque viam, neque fundum, neque modum habet.

Notandum ſecundò, quòd amor defectum afferens, ſeu defectus ac defectio ſpiritualium, aliud eſt Aſcetis, & aliud Myſticis. *Aſcetica defectio animæ* ſignificat effectum quemdam amoris Divini, qui eò usque creſcit, ut abſtrahat mentem ab imaginibus vanis & inutilibus mundanorum, & eam deficere faciat ac transformet in imagines Divinorum. Et ſic præſens defectio, idem eſt quod transformatio activa, ac unio ſobria. Unde eſt illud *Pſalm* 118. Defecit *(id eſt transformata eſt)* in ſalutare tuum anima mea. *Myſtica defectio* ſignificat effectum quemdam amoris Divini, qui eò uſque creſcit, ut mentem alienet, â ſuo eſſe actuali *(id eſt à propria ejus activitate ac operatione)* & transformet eam in eſſe actuale Divinum, aliquando tandem in ſui fundum cælitùs infuſum. Ubi anima ad inſtar aëris incorporati radio ſolari, quadam admirabili illuſtratur claritate ſupercæleſti: & ad inſtar ferri exardeſcentis quodam fervet igne amoris DEI ineffabilis: & adinſtar pomi ſaccaro conditi, inexplicabilem quandam inbibit ſempiternalem dulcedinem. Et ſic defectio Myſtica, idem eſt, quod transformatio ac unio pasſiva ſeu ecſtatica. Unde eſt illud *Pſal.* 83 Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Notandum 3*tio*, quòd libertas ſpiritûs, alia eſt *communis*, libertas illa eſt, quâ omnis juſtus liber eſt â vinculis peccatorum. Et hæc eſt de qua Apoſtolus ait 2. *Corint.* 3. Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. *Specialis libertas ſpiritûs* illa eſt, quâ vir ſpiritualis liber eſt ab omnibus, quæ ejus contemplationem impedire poſſunt. Et hæc libertas vel Aſcetica vel Myſtica eſt. *Aſceticam libertatem* habe-

habet Spiritus, quem in contemplatione ordinaria non impedit culpa mordens (*id est inanis timor ac vana suspicio culpæ*) cura pungens, sensus egens, & phantasmata irruentia. *Mysticâ verò* libertate gaudet, cùm liber est ab irretentibilibus & absolutis, contemplationi extraordinariæ insistens.

ACTUS GRADUALES AMORIS SERAPHICI.

Primus gradus est, Amor semper mobilis.

Quando veniam & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore semper mobili?

HÆc verba quotiescunque ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties Domine DEUS ardentissimè concupisco dissolvi & esse tecum, ac semper in te ferri intentione ac mobilitate amoris mei attentissimâ, irremissibili, & in aliud amabile ac desiderabile indeclinabili. Amen.

Notandum est, quòd sicut ignis inventâ materiâ in quam agat, mox in eam tendit absq; ulla suæ motionis aut actionis intermissione. Ita mentes beatæ, dum Divinam intuentur potentiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, ac omnes alias perfectiones, inveniunt quandam materiam, in quam omni suâ affectione & amoris actione, absque ulla intermissione ac interruptione semper moveantur ac tendant.

Secundus gradus est, amor infinibilis.

Quando veniam & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore infinibili?

HÆc verba quotiescunque ex profundo cordis mei suspirando dixero, toties Domine DEUS ardentissimè concupisco dissolvi, & esse tecum, ac in te ferri intentione amoris mei interminabili. Amen.

Notandum est primò, quòd sicut semper mobile tollit interruptionem motûs amoris in amatore; ita infinibile seu incessabile tollit terminationem ejusdem motûs augmentationis, intensionis, magnitudinis, ac durationis.

Notandum 2dò, quòd sicut ignis non habet terminum in agendo, dummodo aptam inveniat materiam in quam agat, sem-

per accrescit, ac incessabili motione suâ in eam tendit. Ita mentes beatæ, contemplantes DEUM ac ejus immensitatem, infinitatem, & cæteras hujusmodi perfectiones, non habent terminum in amando DEUM, in quem semper perpetuâ motione, ac incessabili actione sui amoris tendunt.

Tertius gradus est, Amor semper calidus.

Quando veniam & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore semper calido?

HÆc verba quotiescunque ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties Domine DEUS ferventissimè concupisco dissolvi & esse tecum, ac à te amore tui magis ac magis inflammari, & ineffabili gaudio repleri. Amen.

Notandum est, quòd sicut ignis, quò magis appropinquat aptæ alicui materiæ, eò etiam magis proprio suo calore in omnes ejus partes se diffundit: quia ab eadem materia nutrimentum & alimentum sui accipit. Ita mentes beatæ quò magis DEO amoris affectione appropinquant, eò etiam magis amore ejus incalescunt, & consequenter ineffabili gaudio & exultatione implentur.

Quartus gradus est, Amor semper acutus

Quando veniam & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore semper acuto?

HÆc verba quotiescunquè ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties Domine DEUS affectuosissimè desidero dissolvi & esse tecum, ac amoris mei toto in te impetu ferri, ac profundari. Amen.

Notandum est, quòd sicut ignis alicubi violenter occlusus, in quodam momento, impetu suo superat ac penetrat omnia sua impedimenta & intermedia, ut ibi sit, ubi est ejus centrum, ac terminus, & scopus. Ita beati in DEUM suo amore extensi, subito impetu suæ affectionis (acutum amoris, & vehementiam desiderii ardentis) omnem penetrant virtutem, profunditatem, ac totalitatem amati sui quantum possunt, ut ibi sint, ubi est eorum amatum, id est, cum ipso amato, & in ipso amato.

Quin-

Quintus Gradus est, Amor superfervidus.

Quando veniam & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore superfervido?

HÆc verba quotiescunquè ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties Domine DEUS ardentissimè desidero dissolvi & esse tecum, ibiquè in te profundatus ac submersus amore amoris tui fervere, & superfervere cupio in æternum. Amen.

Notandum est, quòd sicut ignis dum in flammam se erigit ac se extra se jactat, superfervere dicitur: fervere verò dum se in se collígit. Ita beati in gloria cælesti, dum se in DEUM intentione sui amoris & contemplationis erigunt, superfervere dicuntur: fervere autem, dum DEUM non jam in se, sed in creaturis contemplantur & amant. *Hactenus Dobrosielski.*

EXTERNI ACTUS DILECTIONIS DEI

Ex thesauro indeficiente Blasii Palma.

IDentidem in cælum intuens, ac suspirans accersles donum charitatis in DEUM hâc precatiunculâ: *O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas DEUS meus accende me; Ah! serio amo te pulchritudo tam antiqua, & tam nova: serio amo te. Noverim me, noverim te; ut odio habeam me, & diligam te.* I.

Gaudebis, cùm senties ipse & aliunde intelliges tibi quidpiam fieri, aut evenire ex speciali ordinatione Divinæ Providentiæ: etiamsi res adversæ, & acerbæ accidant: illudque Job viri Sanctissimi carmen accine: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* II.

Mœrorem animo contrahes, si quid acciderit, quod Divinæ voluntati dissentiat, aut repugnet: ut si quis Divinam majestatem aliquo flagitio offendat, id ægerrimè, inquam, sustinebis, noxamquè omnem aut impedies, aut tolles, si quà possis. III.

Si dæmon gravi quavis tentatione te divexet, sic precare: *Tentas me Domine, an amem te, nequè tamen ultra id, quod possum. Scio quod sine gratia tua spernerem te ô omne bonum, ut teterrimo hosti placerem, æternum luiturus momentaneum gaudium. At juravi & statui custodire* IV.

ſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Adjutor meus eſto: nè derelinquas me neq; deſpicias me.

V. Quando peccati gravioris periculum aliud quodpiam occaſione inciderit: *Diſcerpar in mille partes, rumparq; potiùs, inquies, quàm ut amori Divino rem quamvis præponam.* Chriſtianumque iſtud ſæpius dæmoni tentanti obtrudes; *Malo mori, quàm foedari.*

VI. Quod ſi prolapſus ſis miſer, fac mox reſurgas, & cum DEO per actum Divini amoris, deteſtationem peccati, idoneamquè expiationem redeas in gratiam.

VII. Imò verò venialem culpam ſciens, volensquè, aut ſaltèm ex propoſito, ac certo animi decreto nè admitte, nè quidem amiciſſimi hominis gratiâ, amicitiæ humanæ omnes priùs peſſumeant, quàm ut DEI amor tantillum periclitetur.

VIII. Apprecaberis omnibus, & à DEO obtinere contendes ipſius Cognitionem, Amorem, Cultum: conaberisquè quoad in te erit, efficere, ut eum omnes cognoſcant, ament, colant.

IX. Octavo quoque die (ſi ita viro prudenti videbitur) ſacræ Chriſti menſæ aſſidebis, tum ut præſenti arctiùs conjungi, tum ut cum eodem ſuaviùs, familiariùsquè converſari, imò deliciari poſſis.

X. In rebus quibuſcunque creatis DEUM, qui etiam in minimis maximus eſt: intuebere; in illis ipſum, & in ipſo illas amabis. Solem vides? *DEUS eſt*, exclamabis, *qui pulcherrimam, jucundiſſimamquè illam lucem diffudit.* Roſæ tenerum odorem miraris? *DEUS*, dices, *amabilior eſt.* Apponuntur cibi? *DEUS*, inquiens, *iſta mihi apparat.* Idemquè ages in Cæteris.

SECTIO II.

De Oppoſitis Charitati DEI.

VItium Charitati oppoſitum *per exceſſum* reſpectivè ad DEum dari nequit; quia nunquam ita poſſumus diligere DEUM, quòd non magìs ipſe dignus ſit diligi; reſpectivè autem ad nos, foret exceſſivè vitioſus amor, ſi conaremur diligere DEUM actualiter infinito amore, cùm is conatus foret imprudens, ut pote impoſſibilis viribus creaturæ; quanquam velle in-

finito

finito amore diligere DEUM, ejusmodi voluntas laudabilis esset, ut docent Magistri spirituales. Deniquè illud *S. Bernardi* accipe: *S. Bern. Serm 19. in Cantic.*
"Sapientia est DEUS, & vult se amari non solùm dulciter, sed & "sapientèr. Unde Apostolus, rationabile, inquit, obsequium ve-"strum. Alioquin facillimè zelo tuo spiritus illudet erroris, si "scientiam negligas, nec habet callidus hostis machinamentum "efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm si efficere "possit, ut in ea incautè, & non cum ratione ambuletur.))

Vitium charitati *per defectum* oppositum est 1*mo contradictoriè*, dum non elicitur dilectio eo tempore quo elicienda est, vel eo modo quali elicienda est. Hinc Dominus ad S. Magdalenam Paz ait: *Volo ut semper instar turturis gemas, & simul mecum doleas, quod me non ament, & modicum cognoscant creaturæ.* Vel denique, dum aliàs quis absolute privatus est charitate: quod malum quantum sit, insinuat Apostolus. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; et si tradidero corpus ita ut ardeam, charitatem autem non habuero; nihil mihi prodest.* *In vita S. Magdalenæ de Paz.* *S. Paulus Ep. 1. ad Corinth. c. 13.*

2*do.* Charitatis *per defectum*, oppositum *contrarium*, est Odium DEI; definitur esse: *Peccatum dilectioni oppositum, quo Deus ut peccatorum prohibitor, & poenarum inflictor, ab impiis odio habetur.* Estquè omnium peccatorum gravissimum. Quia cùm defectus peccati consistat in aversione à DEO, odium autem DEI importat aversionem à DEO secundùm se, sicut alia peccata important aversionem à DEO secundùm aliud, seu participativè inquantum habent sibi annexam aversionem à DEO; sequitur odium DEI esse gravius aliis peccatis. Quia id quod est per se, est potu eo, quod est secundùm aliud. *D. Thom. 2. 2. q. 34. a. 1.*

In Praxi cavendi opposita Charitati in DEum, applica hic proportionate supra specificata. *l. 2. tr. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.*

SECTIO III.
De Amore DEI-HOMINIS.

IS *amor est actus charitatis, quo diligitur Christus propter summam Dei bonitatem.* Ubi *materiale objectum* dilectionis est ipsa Persona Filii DEI, tum ei unita Humanitas, quæ ut talis maximè est diligibilis, utpote quæ maximè est DEI; nempè ob strictissimam cum eo unionem physicam & realem per susceptam hypostasim Verbi, tum ob unionem moralem per plenitudinem gratiæ collatam. *Formale* autem *motivum* dilectionis Christi est idem, quod & dilectionis DEI; nempe ipsa infinita bonitas DEI in se spectata: ut ita distingvatur dilectio ex charitate procedens, ab omni alio amore, qui habet motivum creatum, etiamsi supernarurale; Etenim virtus Charitatis Theologicæ soli nititur motivo increato. Hinc etiamsi liceat, imò expediat adhibere alia motiva creata naturalia & supernaturalia incendentia ad amorem Christi (de quibus vide loco suo) tamen per ipsam tanquam per quosdam gradus ascendendo in intensione amoris ultimatè propter summam DEI bonitatem diligendus est JESUS, ut tali modo formetur actus veræ ac Theologicæ Charitatis. Itaque ad proficiendum in Amore JESU adhibe dicta motiva creata, tum increatum bonitatis Divinæ, ac insuper sequentia.

P. 3. tract. 2. cap. 2. & tract. ult. sect. 1. sub. 3.

Incentiva ad indefessum studium & exercitium cultûs, amorisquè erga JESUM hæc afferuntur. *1mum.* Amor & cultus JESU hæc est via, & non est alia ad perfectionem sublimitatemquè contemplationis & amoris DEI. Aberrârat hac de via S. Teresia, prout ipsa dolens conqueritur, dum à libris quibusdã Asceticis decepta (sicut alii plures Tyrones spirituales falluntur, non benè intellectis, vel non omnibus benè lectis requisitis ad perfectionem, mox ab imis, intermissis gradibus mediis, ad ipsum cacumen extraordinariæ cum DEO Unionis quasi per saltum pervenire gestiunt, ast omninò incassum) relinquens de vita & Humanitate Christi pias exercitationes, totam sese tradidit Divinitati contemplandæ, sed sine fructu pacis propriæ, & absque victoria suiipsius, donec reducta à spiritualibus Magistris in meditationes Humanitatis Christi, ad eam, quà nunc gloriosa est

profe-

"profecit Sanctitatem. Verùm placet audire ipsam Sanctam: Fierinè potest, Domine, ut in me vel ad horam ista manserit cogitatio, te mihi impedimento esse, quominùs ad majus bonum pervenirem? Et undenam, obsecro, omnia ad me bona venerunt nisi à te? Sed nolo cogitare me aliquam in eo culpam admisisse: nam mirè hoc me jam cruciat, & certè quædam fuit ignorantia: unde etiam bonitati tuæ placuit, illam à me tollere; primò, subministrando aliquem, qui ex hoc me errore educeret; deinde, toties te mihi, ut postea dicam, videndum exhibendo, ut scilicet evidentiùs perspicerem, quàm gravis hic error esset, & aliis multis ipsum declararem, (uti etiam declaravi,) denique eum hoc loco referrem. Hanc esse ansam opinor, cur multæ animæ non magis proficiant; & ad magnam quandam spiritus libertatem per orationem unionis minimè perveniant. *Ibidem:* Manifestè video, uti & vidi posteà, si DEO placere & magnas ab illo gratias accipere velimus, ipsum velle, ut per Sacratissimæ illius Humanitatis, in qua Majestas ejus sibi complacere dixit, manus illæ nobis obveniant. Sæpissimè hoc per experientiam adverti; quin & Dominus ipse hoc mihi dixit: ad oculum inquam, vidi, per hanc nos portam ingredi debere, si magna quædam à suprema Majestate arcana & secreta pandi nobis velimus. Reverentia igitur vestra (*Confessarium suum alloquitur*) aliam viam non quærat, etiamsi ad contemplationis apicem jam pervenerit: hâc quippe viâ tutò & securè incedet.)) *Et Eusebius Nierembergius* (cujus operâ in sequentibus de Amore JESU & MARIAE liberaliter usi sumus) inquit: Nihil perinde efficax est & opportunum, ad animam ardentissimæ charitatis flammis accendendam, inquè optatissimum Divinitatis ipsius amorem quantocyùs immergendam, & absorbendam, atq; devotio erga JESUM DEUM & HOMINEM, ejusq; vera & sincera æstimatio. Quæ causa fuit eidem Domino dicendi, *venisse* se, ut *ignem mitteret in terram:* id quod carnem nostram indutus sanè insigniter præstitit. Sicut enim solares radii, lini stupam priùs non accendunt, aut consumunt, quàm in pellucidissima crystallo congregentur: ita post tot, tamquè eximia Numinis beneficia, quæ totidem lucidissimos radios, ex infinita

S. Teresia lib. de vita sua c. 22. è versione Matthiæ.

Ibidem.

Nierembergius de affectu & Amore ergà JESUM, c. 1.

Luc. 12. v. 49.

ista bonitate & amabilissima DEI essentia pulcherrimè emicantes, rectè appellaveris: frigebat nihilominùs mundus, & horrendo gelu torpebat, usquè dum illa ipsa beneficia in Christo radiorum instar, collecta, perquè ipsius manus ad nos derivata fuerunt, quando videlicèt in sanctissimam purissimamquè humanitatem suam congessit lucem istam inaccessibilem quanta quanta est, & infinitam DEI magnitudinem; quæ se in Christo, multò, quàm hactenus, clariùs nobis ostendit & manifestavit. Fuit hæc una de præcipuis, & facilè omnium potissima ratio, quare Verbum æternum caro factum sit; ut homo aliquis ante oculos nostros poneretur amore omni & honore dignissimus, quem ex animo diligeremus, & à quo immensæ Divinitatis, in ipso inhabitantis, amore inflammaremur.

Nierembergius de Affectu & Amore erga JESUM. c. 1.

2 *dum.* Idem Nierembergius hæc ait: Quanam alia in re honestius ac utilius, in qua jucundius, magisque necessariò tempus ponere, & perpetuò occupari valeamus, quàm cognoscendo, omnibusque animæ viribus hominem illum diligendo, cui efformando, conjuncta DEI omnipotentia, universa se eidem sapientia, bonitasque impendit: sic, ut illustrius opus nullum neque potestas isthæc infinita exequi, neque perfectius sapientia excogitare, aut amor æternus velle possit? Honestius igitur homines nos, gloriosiorique negotio distinebimur nunquam, quam versando circa miraculum istud gratiæ & naturæ, in quod elaborandum potentiam suam omnem Creator contulit, eumque qui principium fuit ac finis operum Divinorum, nostrarum quoque actionum principium & finem habendo.

Idem cap. 13.

Proverb. 8. v. 13

3 *tium.* Idem: Quanquàm beneficia nobis â Christo collata sunt inæstimabilia, justiores tamen adhuc ejus diligendi causas habemus. Magis ipse â nobis amari meretur eò solùm, quia nos amat, quàm ob infinita sua in nos merita; cùm hæc ab amore immensum superentur. Cor IESU amabile penitus deflagrat charitate hominum; cum quibus versari *delicias* suas reputat. Num plura is & majora, pro sua ipsius salute, facere potuisset, quàm pro mea fecerit? plura tamen amore mei (si opus) facturus fuerat; neque semel duntaxat, sed quotidie millies, libenterque in cruce moriturus. Audi, quid ipsémet dicat S. Brigittæ:

gittæ: *Dilectio* inquit, *mea erga hominem modò æquè grandis atque incomprehensibilis est, sicut erat tempore passionis meæ, quando per mortem meam ex nimia coecitate liberavi omnes electos. Et si fieri posset ut totiès morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissimâ voluntate & perfectissimâ charitate corpus meum traderem, eandemque passionem & mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus.* Hæc ipsissima sunt verba Domini JESU, quibus attamen nondum satis explicuit amorem cordis sui, quo nos, nihil minus promeritos, tanto suo cum impendio, ardentissime dilexit. *Et paulo infra Nierembergius prosequitur:* Ipse *fratres* nos nominat, ipse *amicos* appellat, ipse qui æterna est veritas, & DEI Filius unigenitus. *Hæc Nierembergius.* Denique non otiosum hunc amorem erga nos, verùm pro salute nostra comparanda maximis laboribus, innumeris ærumnis, injuriis, horrendissimis cruciatibus, & amarissimâ probrosissimâque patibuli morte IESUS DEUS Homo testatum esse voluit.

Lib 7. Revel. c. 19. pag. 461. & Blosius monil. spirit. c. 1. n. 3.

Matth. 28. v. 10. Joan. 15. v. 14.

De quibus, uti & aliis maximis signis Amoris D. N. JESU Christi erga Nos fusè *infra vide p. 3. tractat. ultimo. sec. 1. subs. 3.* Verùm quanto ipse dilectionis affectu in nos ardeat, etiamnum existens in cælis immediate equidem dictum ex revelat: S. Brigittæ, insinuatur autem pleniùs in revelationibus S Gertrudis, seu insinuationibus Divinæ pietatis, ubi nunquam satis admirari poteris (ut humanitus loquar) mille modos & industrias, quas incessanter excogitat ingeniosus Amor boni IESU ad promovendam salutem humani generis: quibus perpensis ingens nascitur incendium cordis ad readamandum IESUM adeò profusè, fideliter continuò amantem hominis miseri, infidelis, ingrati, imperfecti. Placet vel unam ex pluribus ejusdem *S. Gertrudis* Revelat: contestativis Amoris IESU afferre. Præfata sancta cùm videret cæteros ad sermonem properare, querulâ mente dixit ad Dominum: Tu scis amantissime, quòd nunc ex corde libenter audirem prædicationem, si infirmitate non detinerer. Cui Dominus: Visne charissima, ut ego tibi prædicem? At illa, libentissimè. Tunc reclinavit eam Dominus super cor suum, ita quòd anima cordi suo Divino applicabatur. Cumquè ibi anima per moram dulciter requievisset, sensit in corde Domini duos mirabiles,

Lib. insinu. 3. cap. 52.

biles, & valde suaves pulsus. Et ait Dominus ad eam. Quilibet istorum duorum pulsuum tribus modis salutem hominis operatur. Primus quidem pulsus operatur salutem peccatorum, secundus Iustorum. Per primum enim pulsum primo modo sine intermissione alloquor DEUM Patrem, ipsum peccatoribus dignè placando, & ad misericordiam inclinando. Secundo alloquor omnes Sanctos meos, coram ipsis peccatores fraternâ fidelitate excusando, & eos ad orandum pro peccatoribus instigando. Tertio alloquor ipsum peccatorem, eum misericorditer ad pœnitentiam revocando, ac cum ineffabili desiderio conversionem ipsius expectando. Per secundum pulsum primo alloquor DEUM Patrem ad congratulandum mihi pro eò, quòd pretium sanguinis mei tam utiliter expendi pro redemptione justorum, in quorum cordibus nunc delector tam diversas habere delicias. Secundo alloquor totam cælestem militiam ad collaudandum laudabilem conversationem justorum, ut regratientur mihi pro omnibus beneficiis illis impensis, ac deinceps impendendis. Tertio alloquor ipsos justos diversimodè ipsis salubriter blandiendo: & ut de die in diem, de hora in horam proficiant, fideliter admonendo. Et sicut pulsus humani cordis non impeditur ex visu, & auditu, aut quocunque opere manuum, quin semper suum motum habere possit: ita nec cæli, nec terræ, nec totius universitatis gubernatio, aut dispositio hos binos pulsus in corde meo Divino unquam, vel ad modicum poterit usque in finem seculi sedare, at temperare, aut aliquatenus impedire. Alio tempore eadem S. Gertrudis recubans super pectus JESU delectata svavitate pulsuum Cordis JESU dixit ad Beatum Joannem Evangelistam: Nunquid & tu dilecte DEI horum svavissimorum pulsuum non sensisti delectamentum, dum in cæna super idem svavissimum pectus recubuisti, quorum delectatione, ego nunc tantùm afficior? Respondit: Etiam fateor veraciter sensi & persensi, quia suavitas illorum sic medullitus animam meam pertransivit, sicut dulcissimus Medo unquam suaviùs pertranseundo dulcificare potest micam recentis panis. Insuper ex ipsis spiritus meus tam efficaciter est succensus, sicut coquens olla ex nimio ardore ignis ferventiùs quo potest, succenditur. Tunc illa: Et cur hoc ita penitus

Lib. insinuat. 4 cap. 4.

penitùs conticuisti, quod nec quicquam vel modicè saltèm exinde nostris profectibus intelligendum conscripsisti? Respondit: Meum profectò erat novellæ adhuc Ecclesiæ de increato DEI Patris Verbo unum describere verbum, de quo usque in finem mundi sufficienter carpere posset intellectus totius generis humani, quamvis à nullo tamen unquam plenè posit comprehendi. Eloquentia autem suavitatis pulsuum istorum reservata est moderno tempori, ut ex talium audientia, recalescat jam senescens, & amore DEI torpescens mundus.)) Ut verò fundamentaliùs agnoscas penè immensum ardorem Amoris JESU erga te, scias quia actus charitatis in CHristo correspondet habitui ejusdem virtutis: Sed habitus charitatis est in graduali intensione, pro humano modo concipiendi, propè infinitus seu incomprehensibilis: Ergo & actus charitatis quo te diligit erit talis, isque incessanter perseverans. Igitur ô peccator quid trepidas? Accede cùm peccatrice Magdalena ad plantas JESU amabilissimi, deplorans offensas Dilecti tui, & dimittet tibi peccata multa, cùm eum dilexeris multùm. Tu quoq; bonæ voluntatis homo, ut quid tam dulci Domino diffidis? En ultrò invitat te: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos;* Accede ergo confidenter, accede amorosè. Ora instanter, & dabit tibi petitiones cordis tui, & desiderium animæ tuæ tribuet tibi in tempore, & æternitate. Matth. cap. II.

4tum Incentivum est: Voluntas DEI. Etenim videamus, cur cælestis Pater unicum & dilectum Filium suum in has terras ablegaverit. Propterea scilicet ut ipsum hominem factum amaremus. Atque utì idem Pater, ante mundi constitutionem, eundem Angelis proposuit ab ipsis amandum, & adorandum: ita ipsum denuo humano in corpore, orbi ostendit, ut omnes illum creaturæ amarent, & adorarent, potissimùm tamen homines, consanguineo ejusmodi ac fratre honorati, qui DEI est Filius, desiderium & lætitia Seraphinorum. Voluntati Patris obsecuti sunt tam boni, quàm mali Angeli, boni quidem, singulari cum amore & voluptate IESUM diligendo, quanquam non factum Angelum, nec in Angelorum gratiam ullam sanguinis guttam profundentem, aut pro eorum salute mortem oppetentem: mali

verò

vero angeli, quem ob pertinaciam & condemnationem suam, amare non poterant, agnoverunt tamem & adoraverunt in ipso inferno, ad solum IESU *nomen genua flectendo.* Quidni igitur nos homines DEI naturalem Filium animitus diligamus, omnique honore colamus, & exultemus, quinimo gloriemur, quòd ipsum fratrem habeamus: Nunquid lex ulla, ratione vetare potest quòminus hæredem gloriæ DEI gratulabundi agnoscamus, quotquot eodem eum ipso genere continemur, & pro quorum salute natus ille, & mortuus est? Si quis Rex filium suum, & hæreditarium legitimumquè provinciarum omnium Principem, ac Dominum iisdem proponeret, ipsi sacramentum dicturis; quo animo accepturus esset, si quem nationes exteræ Regem agnoverunt, eique fidem jurârunt, incolæ ipsi populique subjecti pro tali habere recusarent?

Philipp.2.v.10 vide interp.

5tum. *Ab Exemplo DEI Patris*, qui nos potenter invitare dignatus sit, & ducere ad debitum bono IESU amorem & æstimationem, non tantùm, quia Filius ejus est, verum etiam quia frater noster, eâquè propter natus, ut nostri causâ moreretur: Etenim sicut ipsum in mundum misit, ut a nobis amaretur: ita exemplo nos suo & institutione modum hujusce amoris docere voluit. Non potuit sibi temperare amor Patris, quin repetitâ vice exclamaret. *Filium* illum, esse sibi *dilectum, in quo sibi benè complacurit.* Semel quoque & iterum Angelis suis, atque iisdem plane verbis imperavit, ut ipsum amarent, adorarent, ipsique famularentur. *Omnia* ipsi *tradita sunt â Patre*: qui ad pedes ejus abjecit omnes Universi hujus creaturas, quodque multò est amplius, suamet illi attributa submisit omnia, ea permittendo arbitrio sanctissimæ ipsius Humanitatis. Omnipotentiam ad patranda miracula quotiescunque liberet: Bonitatem, ac Misericordiam, ad condonanda peccata: Sapientiam ad judicandum. Ineffabilem hunc Patris amorem optimè explicavit Evangelista Johannes, paucis multa imò omnia dicendo: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus ejus.* O te, miserum & miserabilem quisquis es, cui carum adeò potest esse aliquid, ut præ IESU aliud æstimare, ipsivè denegare audeas! Cælestis Pater nihil ei negat; totum illi regnum suũ, ad supremos usque Seraphinos, subjiciendo, omnem

Nieremberg. c.3.

Matth.3.v.17. & 17. v.5.

Psal.96.v.7. & Hebr.1.v.6.

Matth.11.v.27

Joan.3.v.30.

omnem gloriam suam, magnitudinem ac Majestatem, thronum & omnipotentiam suam cum ipso communicando. Nihil omninò fuit quod pluris quàm JESUM faceret, adeòque præcepit, ut nostram carnem indutus adoraretur: JESUM ipse elegit principem prædestinatorum: ejus amore & reverentiâ mundo aliàs perituro pepercit. JESUS primogenitus est omnis creaturæ, cujus causâ, & in gloriam cujus Pater facit omnia, nihilquè negat, quod in JESU nomine petitur. Quonam itaquè modo cor illi suum dare renuet vilis homuncio? quomodo facere quid poterit, quod non cedat ad ipsius obsequium & honorem? Quin me ipse memetipso exspolio protinùs, veteremquè hominem penitùs exuo, ut JESU ex toto me dedam, cùm amore amoris illius, æternus Pater potestatem Judicis & authoritatem, suæquè potentiæ tribunal Filio concesserit, nè minore quàm ipse Pater in honore esset. Gratiam hanc prorsus singularē suomet ore Servator promulgās, *Joan. 5. v. 22.*
Neq; enim ait *Pater judicat quemquā, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ob eundem adversus Filium amorem nihil Patri placere potest, nisi in Filio aut propter Filium, nihil amat, nisi ubi reperit pignus & sanguinem IESU, unicèque desiderat nos *conformes fieri imaginis Filii sui.* *Rom. 8. v. 29.*

6tum. Ab Exemplo Virginis Matris. Regina Angelorum & *Nieremb. citat.* IESU Mater dignissima fuit absolutum numeris omnibus prototypon amoris æterni Patris erga Filium suum; quâcunque aliâ creaturâ perfectiùs ad ipsius exemplum aspirando, Christumquè validissimè juxta acenerrimè diligendo. Præterquam enim quòd ipsum amabat uti Filium suum, incredibili adhuc charitatis æstu conflagrabat, vel solam ejus intuens bonitatem, ac dignitatem; quam una optimè omnium clarissimèquè penetrabat. Quis non expertus est sæpissimè liberalitatem in se & viscera misericordiæ Matris hujus clementissimæ? quis non majora quotidiè illustrioraquè beneficia ab eadem sperat & exspectat? atqui vniversa quæ ab ipsa vel hactenus accepimus, vel deinceps nos accepturos confidimus, uni IESU debent imputari. Virgo sacratissima amore illius facit, quidquid facit pro nobis, & quidquid benè vult nobis. Amore IESU convertit ad nos misericordissimos oculos suos benignitate admirabili. Amore

JESU filios nos sibi adoptavit; curatquè & tractat velut filios charissimos, pro commodis nostris perpetuò solicita. Amore JESU non admittit ipsa nomen ullum, quo magnitudinem suam testetur, & majestatem supra homines adeò eminentem, eo nomine contenta, quod dulcedinem exprimit merissimamquè clementiam. Audit illa quidem, nec immeritò, Regina Angelorum; hominum tamen Regina appellari renuit Mater nostra, quamvis revera Imperatrix sit creaturarum omnium. Eò solùm, quia Filium amat, ipsiusquè honori studet, illorum Regina salutari non vult, quos fratrum suorum appellatione dignatur JESUS. Quæ verissima est causa, cur nos pro filiis habere ipsa quoquè cupiat. Amor JESU fecit, ut patriâ relictâ in Ægyptum exul profugeret, ubi sexcentis incommodis miseriisquè in solo & gente peregrina, obnoxia, universas nihilominus læto alacriquè excepit animo, quòd pro Christo eas pateretur. *Et paulò post.* Amor JESU ipsam præterea contristavit, cùm illum in templo abditum madentibus oculis quæreret. Amor JESU efficiebat, ut concionanti ad mortem usquè itinerum comes individua hæreret, equè dicentis ore penderet. *Et paulò infra.* Amor JESU perfecit, ut ipsi ab omnibus deserto, è cælo solatii nihil accipienti, atquè ab æterno Patre derelicto, inconcussâ mentis constantiâ invicta adfuerit, millies iterumquè millies peroptans, Filii dilectissimi vice in crucem agi, honoris & existimationis suæ, adeoquè vitæ ipsius, inter sathanæ ministros, carnifices oblita & prodiga. Præ magno deniquè ac sincero erga JESUM amore, morte MARIA occubuit.

Nieremberg. Ibidem.

Idem cap. 7.

7mum. Ab Exemplo Sanctorum Angelorum. Commodum ab Angelorum Regina gradum facimus ad ipsos Angelos, qui tametsi careant iis, quibus nos abundamus, ad JESUM amandum incitamentis, ardent nihilo secius & immensum flagrant amore ejusdem: id quod aliquando explicatiùs docere pergo. Non habent fortunatissimæ illæ, & ab omni concretione mortali remotissimæ mentes parem cum ipso naturam; Angelisquè redimendis nequè natus est JESUS, nequè pro eorum salute guttulam ullam sudavit: incredibili tamen cùm reverentiæ, tum amoris significatione, venerati sunt ipsum, quando placere sibi signifi-

ſignificavit Pater æternus, ut hominem ſi naturam ſpectemus, Angelicâ haud paulò inferiorem ignobilioremquè, Regem illi ſuum & Dominum ſuum profiterentur. JESU vix dum nato, procul ab omni invidia & malevolentia, ob honorem iſtum maximum Chriſti incarnatione humano generi collatū, cum Principe ſuo, lætitiâ amorequè inenarrabili exultârunt ac triumphârunt, nec diu poſt ab Herodiana ſica periclitantem defenderunt, fugamq; ei ſecuram diligenter adornârunt. Eidem in eremo eſurienti, ſiderei hi Ephebi, & velut dapiferi, genibus nixi libenter ac reverenter miniſtrarunt, menſamquè poſuerunt. Ad Olivarum clivum agonizantem, multumquè ſudantem ac rubentem, ingenti amoris ſenſu, dolore levare, & ſolari conabantur. Mortuo Chriſto *Angeli Pacis amare flebant.* Reſurgenti ſinceriſſimo affectu gratulabantur, vultuquè & veſte, & verbis haud vulgarem lætitiam præferebant. Eodem in cælum ſcandente beatiſſimos ſe eſſe credebant Cherubim, quòd ipſius pedibus ſubjici calcariquè poſſent; ut ſuper eos inſidens aſcenderet. Cælum ingredienti Hierarchiæ omnes lætabundæ applaudebant, cantabantquè voce magnâ, ſed majore adhuc voluptate, carmen illud, quod poſterius Chriſto accinentes audivit S. Joannes; *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Vehemens amor, quo feruntur erga JESUM efficit; ut quantumcunquè notiſſimi Spiritus, naſcentes nos in ſuam fidem recipiant; ut deinde perpetuò nobis aſſiſtere, circà nos occupari, nobis deſervire, & nos ubiquè tueri minimè dedignentur. Ab hoc ipſo amore eſt, *quòd gaudeant ſuper uno peccatore poenitentiam agente.* Quem inſuper illuſtrationibus illi ſuis ac motionibus adjuvant, preces noſtras, ad cælum eas delaturi, cupidiſſimè præſtolantes. Eidem quoquè amori adſcribamus oportet, quòd tanti cùm ſint, pro magno adhuc reputent, eſſe ſe ſocios & *conſervos* eorum, quos JESUS habet fratres ſuos: & quanquam in veteri lege multo ſe nobis ſuperiores paſſim monſtrarent, & ab hominibus ſe adorari ſinerent, à quo tamen tempore humanam carnem DEUS induit, naturamquè noſtram maximoperè cohoneſtavit, glorioſam ſibi cenſet ſimilitudinem noſtram, & JESUM in nobis aman-

Luc.2. v.13.
Matth.2. v.13.
Matth.4. v.11.
Lucæ 22. v.42
Iſai.33. v.7.
Matth. 28.
Luc. 24. &
Joan. 20.
Pſ. m. 17.
Apoc.5. v.12.
Hebr.1. v.14.
Tob.5. & ſeq.
Luc.15. v.10.
Tobiæ.12. v.12.
Apoc.19. v.10.

amando, servitute, quàm non inviti nobis serviunt, impensè lætantur, sequè propterea quodammodo efferunt.

Nieremberg. c.7. 8vum: *Ab Exemplo Apostolorum*: Improbum esse oporteat atquè impium, qui de Apostolorum adversus Dominum suum amore, quem factis ipsi egregiis abundè comprobârunt, ausit ambigere. Non potuère illi profectò non ex animo amare tam amabilem; ejusquè mansuetudinem & submissionem admirabilem usu ipso edocti, arbitriquè quotidiani ac testes oculati consuetudinis Christi familiarissimæ, morum modiquè agendi placidissimi, ac profusissimæ in nos immeritissimos charitatis. Nemo, puto, invitus credet Servatori ipsi, Apostolorum in se amorem disertis verbis confirmanti, eosquè sic affanti: *Ipse Pater*
Joan.16. v.29. *amat vos, quia vos me amâstis.* Amaverunt enim verè JESUM Apostoli, primisquè illius vocibus, invitatione supra modum amicâ, aspectu blando, & singulari humanitate ita capti sunt, ita
Matth.4. v.22 eidem affici cœperunt, ut *omnibus* suis *relictis* ipsum sequerentur. A morte illius, non tantùm gravissimâ Magistri memoriâ animos oblectabant; verum felices quoque se prædicabant, summumquè honorem interpretabantur, *dignos se habitos*, qui JESU amore injurias *contumeliasquè* gravissimas *paterentur*, & riderentur. Sanctus Petrus sanè candido, ut erat, simpliciquè ingenio, fidenter ad Dominum ipsum de suo amore provocare non dubitat. S. Paulus verò, quamvis, & reliqui discipuli, Christo in terris degenti non convixissent; ejus nihilominus amore prorsus abreptus, miro svavitatis affectu svavissimum JESU nomen pronunciabat, illo epistolas suas (in quibus nomen JESUS ad
*Cornel.in Ep. ad Ephes.cap.1. *ducenties ac vigesies legitur* * condire solitùs & consecrare. Illudquè ipsum, jam capite plexus, auditus pronunciare †. Quanto-
† Vincentius Belluacens. c. cap.19. perè JESUM Paulus dilexerit, authorem Paulo meliorem dabo neminem: ipsum ergo audiamus: Ad Galatas scribens, velut extra se factus, DEOq; plenus, *Vivo*, ait *vivo jam non ego, vivit ve-*
Galat.2. v.20. *rò in me Christus.* O felix & invidenda vita! *Mihi autem absit* (per-
Galat. 6. v.14. git in iisdem literis) *gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi.* O insigne laudum maximarum compendium! Cum
1.Cor. 2. v.2. Corinthiis tractans, *Non judicavi*, inquit, *me scire aliquid inter vos, nisi JEsum Christum, & hunc crucifixum.* O cum sua ignorantia omnis-

omniſciū, orbisq; doctorē meritisſimū! Philippenſes porrò ardore non disſimili compellans, iſta enunciat: *Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentē ſcientiā Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* O animum paupertate ſuâ lætum vereque opulentum! Animoſior penè etiam, ſe ipſo factus: totusque flammeus, animi ſui ſenſa Romanis ita prodit, ut divini auxilii certus, cælum terramque, & quidquid utriusque ambitu continetur ad certamen depoſcens generosè exclamet: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate DEI, quæ eſt in Chriſto JESU Domino noſtro!* Atque ut nè exiſtimes intra verba hos animos ſtetiſſe, Paulum mihi intuere non fortiùs dicentem, quàm agentem, terras mariaque immenſa pervagantem, in DEI cauſa pericula maxima, vilia habentem, infinitas ærumnas impavidè excipientem, & propè *quotidiè morientem.* Perlege modò alteram ad Corinthios datam Epiſtolam, & illi ipſi crede. Deprehendes iſthinc Paulum *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* Spectabis *à Judæis quinquies flagellatum, ter virgis cæſum, ſemel lapidatum.* Miraberis eundem, & miſereberis variè periclitantem, & cum *laboribus, fame, & ſiti, frigore, & nuditate* conflictantem. Obſtupeſces denique, nè longior fiam, Apoſtoli in Chriſtum flagrantisſimam charitatem; ſed ita, ut pariter obſtupeſcas & erubeſcas in eodem animadvertendo frigus & ignaviam (prô dolor!) meam, ac fortasſis tuam.

Philipp. 3. v. 8.

Rom. 8. v. 25.

1. Cor. 15. v. 31.

2. Cor. 11. v. 23.

9num. Ab Exemplo aliorum Sanctorum. E quibus nunc ſit *Sancta Magdalena de Pazzis.* Hæc converſa ad Crucifixum, quem manu gerebat, inter alios amoris affectus altâ inclamabat voce: O Amor! Si anima mea poſſet ſcire, quid ſit eſſe ſine te, non unam ſed mille mortes mallet eligere. Eadem ſancta in ecſtaſibus, flammis amoris Divini incitata, quandoque accipiens manu Crucifixum quaſi inſaniendo præ amore, per clauſtrum

Ex Vita Beatæ Magdal. de Paz.

currebat inclamando. O Amor! O Amor! Quandoque eundem Crucifixum cordi apprimebat, & osculabatur dicens: O Amor! Non cessabo unquam DEUS mi vocare te Amorem. O lætitia cordis mei, spes & solatium animæ meæ! Quandoque omnia sua membra ad Crucifixum applicando ita suspirabat in dulcedine. O dilectissime sponse! O Amor! dulcedo! O firmamētū animæ meæ! O bone JESU! O dulcis JESU! O mi JESU! claude oculos meos in oculis misericordiæ tuæ; auribus tuis ita applica aures meas, nè quidquam audiam nisi vocem dilecti: uniatur os meum labiis tuis, ut tecum amoris plenos misceam sermones. Pectus meum O dilectissime IESU in tuo sepeliatur pectore.

Praxis proficiendi in dilectione IESU est. *1mo.* Seriò incumbere Lectionibus piisque Meditationibus excitantibus ad amorem IESU, potissimùm considerationi illius inæstimabilis Charitatis quâ hominem affectuosissimè prosequitur, & ex qua tanta propter hominem fecit & passus est: quæ Motiva dilectionis præter data *supra* alia vide. *2do.* Ferventi Oratione instare pro amore IESU. *3tio.* Exercere se in actibus dilectionis IESU. Actus internos vide *supra* sub classe actuum charitatis in DEUM, *& alibi.* Actus externi sunt quicunque actus virtutum externi, vel operum indifferentium, imperati ad sui exercitium ab Amore IESU.

Part. 3. tract. 2 cap. 2. & tract. ultimò sec. 1. subs. 3. 1 2. tract. 2. c. 6. sec. 5. subs. 4. §. 4. de Hyperdulia Christi.

SECTIO IV.

De Oppositis Amoris Christi.

OPpositum *per excessum* est, quando imprudenter fit aliquid in actu dilectionis Christi, vel ex dilectione Christi.

Oppositum *per defectum contradictoriè est*, dilectionis Christi Incuria: quæ quantæ indignitatis sit, patet vel ob immensam ingratitudinem hominis; quæ totis medullis amanti se JESU, & ex eodem amore ineffabilia pro sua æterna salute agenti & patienti; tum inæstimabilia bona, imò seipsum homini nascentem in socium, convescentem in edulium, regnantem in prœmium tribuenti, homini inquam peccatori, omni ex parte vilissimo, exosissimo: attamen amori tanto minimè respondere, durior est silice infelix & maledicta ingratitudo. Oppo-

Oppositum *per defectum contrariè*, est Odium Christi. Quod quantopere id Angelis desertoribus, & Protoplasto vindicârit DEUS satis experimur. Id ipsum eleganter describit *S. Bernardus* dicens: Quid agat Filius, videns pro se zelare Patrem, & „ nulli penitus parcere creaturæ? Ecce, inquit, occasione mei „ creaturas suas Pater amittit, altitudinem meam primus Ange- „ lus affectavit, & populum qui sibi crederet habuit: sed con- „ tinuò Patris zelus graviter vindicavit in illum, percutiens eum „ pariter cum omnibus suis plagâ incurabili, castigatione crude- „ li. Scientiam quoque quæ nihilominus mea est, surripere „ voluit homo: & ne illi quidem misertus est, nec pepercit o- „ culus ejus. Nunquid de bobus cura est DEO? Duas tantùm „ fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitu- „ dinis, Angelum videlicet, atque hominem: sed ecce propter „ me Angelos perdidit multos, homines universos. Ergo ut „ sciant quia & ego diligo Patrem; per me recipiat, quos quo- „ dammodo propter me amisisse videtur. *Si propter me tempestas* „ *hæc orta est*, (ait Jonas) *tollite me, & mittite in mare.* Omnes „ invident mihi. Ecce venio, & talem eis exhibeo memetipsum, „ ut quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Verùm ne id quidem juvit: Hominem licet indutus Filius DEI, *à mundo* se tamen ingratissimo *odio haberi* indicavit; ex quo maximis injuriis & ærumnis, atrocissimis pœnis ac morte occubuit. Verùm quo fructu? En sanguis â Iudaico populo exquiritur, qui sine lege, sine Rege, sine sacerdote per orbem vagantes, omnibus Christicolis exosi in cœcitate sua ad æternæ mortis tenebras præcipites ruunt. Similiter Reges terræ persecutores Christi in membris Ecclesiæ, quàm incassum, suamque in perniciem egerint, indicat Psalmus: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Sed quid sequitur? *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos; tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.* Quin mali Christiani an non & illi osores persecutoresque Christi, ipsi demum graviùs puniendi? insinuat Apostolus dicens: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium DEI conculcaverit, &* *sangvi-*

S. Bernard. serm. 1. in adventu Domini.

Jon. c. 1.

Johan: 15.

Psal. 2.

Ad Hebr. c. 10.

sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Et alibi: *Si quis non amat Dominum nostrum JESUM CHristum, sit anathema Maranatha*: quasi dicat: Dominus noster venit, scilicet vindex ad judicium: aut potiùs *maran atha* id est veniat Dominus Judex, ut eum qui Christum non amat, anathemate feriat, damnet, & puniat. Et S. Hieronymus ait, ut Paulus *insinuet, quòd superfluum sit odiis pertinacibus, adversus eum velle contendere, quem venisse jam constet.*

1. Cor. c. 16.

Cornel. à lap. commen. ibid.

Cavenda igitur aversio â Christo, & neglectus amoris ejus: quin dilectioni ejus opera danda propter dignissimam Bonitatem ipsius. *Applica quoquè hìc proportionatè supradicta.*

l. 2. Tract. 1. c. 1. sect: 4. subsect: 2. §. 2. & 3.

SECTIO V.

De Amore DEiparæ.

AMor hic, est actus, procedens ab habitu charitatis, quo diligitur Virgo Beatissima ex motivo summæ DEI Bonitatis. De formali objecto dilectionis Beatissimæ Virginis dicta supra hìc proportionatè applica.

Vide Sect. 3. de Amore DEI-Hominis.

Incentiva ad proficiendum in ardentissimo amore ergà Beatissimam DEI genitricem sunt. 1mum. Beneplacitum voluntatis Christi, quo Beatissimam virginem â nobis amari colique desiderat, quia Mater ejus est; hoc quippe proprium Filiorum est officium juxta quartum Decalogi præceptum colere & amare suos Parentes: Deinde eos velle coli & amari ab aliis; Ut enim gloria Patris filius sapiens, ita juxta mellifluum Doctorem *Non est dubium, quidquid in Laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere*, adeoque amando Matrem Filium amare; cùm Filius sit aliquid Matris. Jam verò cum in Christum amor sit nostra felicitas, ejusque gloria, sequitur percupidè exoptare Christum amari â nobis suam Matrem, ut in ipsum redundet is amor, quo illi suæque Matri exhibeatur gloria, nostra verò augmentum capiat beatitudo.

S. Bern. homil. 4. super Missus est.

2dum est Amor Beatissimæ Virginis erga nos & Beneficia ab ea nobis præstita. Quippe Mater & Virgo naturâ suâ ad benignitatem & amorem tota ipsa propendet, melle dulcior, & quantùm bonitate & præstantiâ res omnes conditas excedit, tantùm

Eusebius Niere[m]berg. c. 14. de Amore B. V. hæc & sequentia.

tum eminet teneritudo affectusque ipsius erga nos: Etiamsi extranei essemus, neque Filio nos percharos ab eoque redemptos esse sciret. Huc accedit, adoptatos nos esse â clementissimo IESU in filios Virginis, eâ dignatione & semetipsum quoddāmodo ad amplius nos amandos excitante, & Matris pietatem, amabilissimamque ac suavissimam animi indolem, magis magisque nobis conciliante. Quæ super hæc omnia, cùm suis ipsa oculis viderit, quæ & quanta nostrâ causâ Servator noster fecerit, passusque sit, nefas erit ambigere, quin pro immenso suo in ipsum amore, eximiâ nos quoque charitate diligat. Quoniam quanti sanguinem mortemque Filii DEI æstimet, tantam necesse est propensionem illius esse & amorem adversus nos, eo pretio, lytroque liberatos. Amari MARIA debet, quia Mater nostra est, non naturâ, sed adoptione. Eo quippe nos honore maximo gratiâque prosecuta est, ut in filios suos eligere, atque uti tales habere nos voluerit; nos inquam, quos suos inter liberos annumerare, multæ aliæ mulieres erubescerent: adeò, ut ob cognationem istam legalem, quæ nos inter Virginemque intercedit, eūdem ipsi amorē ac reverentiam debeamus, quam deberemus, si verè in lucem hanc nos edidisset, imò majorem Nec enim pluris sed minoris potiùs facienda est ista conjunctio sanguinis, quam altera cognatio affectûs, infinitæq; est illius dignationis, quâ ipsa Mater DEI, nos respicit, nostri recordatur; idq; propterea, ut ad Materna officia nobis præstanda excitetur ampliùs. Quippe cōsanguinitas hæc adoptionis & affectus amori innititur, nasciturq; ex amore, ac tantò pluri est æstimanda, quantò plus voluntaria fuit & spontanea, officiisque planè nullis, nulli alteri causæ debita. Neq; est cur inanem quis hunc putet esse vacuumque titulum, qui est solidi fructûs plenissimus & fœcundissimus, quoniam non ornamur duntaxat incomparabili isto honore, quòd filii nominemur MARIÆ, Reginæ potentissimæ, sed lucra præterea utilitatesque omnes colligimus, quos colligeremus, si naturales ejus filii censeremur. Etenim curam nostri gerit bona Mater haud aliter, atq; si de suis visceribus genuisset, amantissimæque parentis officia quævis, & charitatem exhibet usque eò perfectè, ut non defuerint, quos suis etiam visceribus admovere, suoque lacte po-

Idem c. 20. ibidem.

tare dignata sit. Nam ut de S. Bernardo Claravallensi Abbate, dilectissimo illo Virginis Filio, nihil commemorem, cujus labra nectare o hoc fonte irroravit. * Unde admirabilis ista quam ubicunquè vir sanctus spirat, cum pietate dulcedo, profluxit. Eandem adversùs se liberalitatem experti sunt quoque alii, atquè illle cùmprimis, de quo scribit B. Petrus Damiani † Nivernensis Dlericus, Virginis cultor egregius. Hunc magnis morbi doloribus ad extrema deductum, mortique proximum invisit cæli Regina, germanam ipsi Matrem repræsentatura, adque pauperis lectuli caput consistens, castissimis optimum filium suum blanditiis demulsit, purissimumque pectus detegens ac nudans, & (ut verbis utar mei Authoris) *sacri uberis papilla lac exprimens ejus labiis instillavit, & Divinæ virtutis antidoto protinus ille, resumptis viribus ex infirmitate convaluit.* Addidit verò S. Doctor, constanti famâ celebrari, in labris ejusdem Clerici, virginei suctûs vestigia quædam reliqua observari potuisse. Facit has nobis delicias Mater pientissima, atq; tantùm se demittit, ut cùm lacte, Filii sui amorem hauriamus, penitusquè imbibamus.)) Quòd verò concernit Beneficia ex materno amore promanantia, nimirum JESUS & MARIA, hi duo commodorum bonorumque meorum omnium causæ sunt universales: fons & origo JESUS, instrumentum MARIA; sed instrumentum felicitatis meæ usquè eò generale & primarium, ut nihil mihi unquam benè vel factum, vel futurum sit, nisi ipsâ intercedente atquè largiente. * Consideret igitur attente pia anima eorum, quibus à DEO ornata est, beneficiorum multitudinem, secumquè ita statuat totidem se ob causas, ad amorem devotionemque erga Sanctissimam Virginem obligari. Huic debemus inspirationes omnes, quas de cælo hausimus, huic quòd tot occasionibus peccandi subtracti sumus; huic deniquè gratiam omnem & justificationem, quâ dotati in conspectum Patris luminum venire audemus. Quandoquidem Servator noster eximiæ hujus Benefactricis nostræ dilectus Filius, infinita nobis merita sua, nulla planè in re efficaciter attribuit atquè applicat, nisi per amantissimam Parentem suam MARIAM: quæ deprecatione suâ necessitates miseriasquè nostras, sive corpus illæ sive animam spectent; benignissimè antè occupat, solicitiùs

Marginal notes:

* *La Croix Hort. Mar. areol. 2. c. 5. Et Balinghē in Kalendario Mariano ad 20. Augusti ubi plures enumerat.*

† *lib. 6. Epist. 29. Caliis est Epist. 17.*

Nierembergius c. 12. de Amore erga B. Virginem.

* *S. Bernardus serm. 3. de vigil Nativi. Domini. Nihil nos DEUS habere voluit quod per MARIÆ, manus non transiret.*

ſolicitiùs ſtudioſiùſquè nos adjuvans, quàm ipſi eam rogemus, quàmquè ſciamus, aut ſcire poſſimus. Obligatio hæc quâ Deiparæ obſtricti ſumus, omnemquè illi felicitatem noſtram integerrimè verisſimèque debemus, non ex eo duntaxat capite oritur, quòd una eademquè vice totum nobis & omne bonum noſtrum, videlicet Chriſtum JESUM donaverit; (quod cùm ſit donum bonumque infinitum; ad mille ſi tot haberemus, corda ipſi redonanda, abundè ſufficeret:) verùm etiam, quia particulatim & ſeorſim omnia nobis Divina beneficia, nec minimam bonam cogitationem excipiendo, incredibili charitate providit ipſa ac imperravit.

Nequè verò ſola ei beneficia debemus, quibus nos, ſive à malis liberando, ſivè immenſa bona conferendo, affecit; ſed modum præterea ipſum, quo illa confert, quæ ſunt preces, quibus eadem comparantur: quoniam non rarò plus præſtat is, qui ab altero beneficium obtinet, quàm ille ipſe, qui tribuit. Debemus itaquè DEI Matri tum ea, quæ dat, tum ea quæ petit, ut dare posſit; innumerabilia nobis dona gratiasquè indeſinenter à Filio exorando. Quamquàm enim Servator illi noſter ubiquè morem gerere percupiat & gratificari, quia tamen peccata noſtra tam ſunt enormia, non rarò neceſſe habet bona Mater amanter orare & obſecrare, omniaquè ſua in JESUM merita afferre, quò veniam pro nobis impetret. Ex quo patet, non exſpectare ipſam, dum à nobis exoratur ſed cùm incurioſi nos atq; oſcitãtes de rebus noſtris nihil admodum laboramus, optimam Matrem Filio in cauſa noſtra ſupplicem fieri, eundemquè benedictum fructum ventris ſui placare non intermittere: quo juſtas ille debitasquè nobis pœnas maternis precibus condonet, & in merisſimos eas maximosquè favores convertat. Quis ſimilis huic amor ſolicitudoquè reperiri uſpiam terrarum queat? quæ perfectio nobilitasquè animi major, quàm Virginem glorioſisſimam finem nullum facere, inſcios nos, & (prô dolor!) ingratos aliis atquè aliis beneficiis cumulandi?

Adeò porrò ingentia ſunt ac univerſalia hæc ipſa ſanctisſimæ DEIparæ in nos beneficia, ut ſint Patres, qui aſſerere non dubitent, mundum univerſum, niſi per ipſam ſtetiſſet, pridem

periturum fuisse, ejus unius meritis patrocinioquè adhuc consistentem. † S. Bernardinus addidit etiam multis annorum millibus antequàm nasceretur, totum terrarum orbem à MARIA servatum, ab eo scilicet tempore quo peccavit Adamus; DEumq; quo minus eundem, uti merebatur in nihilum redigere, solâ Virginis, quam in æterna mente sua præsentissimam habebat jucundissimèquè intuebatur, reverentiâ & summo adversùs illam amore, prohibitum esse. Verba viri sancti adscribo. *Propter istam,* inquit, *nobilem creaturam DEUS salvavit Parentes primos de prima eorum transgressione: Noë de diluvio inundante; Abraham de Hur Chaldæorum; Isaac de Ismaele, Jacob de Esau, Judaicum populum de Ægypto, & de impia Pharaonis manu, & de mari rubro:* quibus ubi alia atquè alia beneficia adjecit, antiquis Patribus collata, sic deniquè concludit, ut fideliter dicat: *Omnes liberationes, & indulgentias factas in veteri testamento, non ambigo DEUM fecisse solùm propter hujus benedictæ puellæ reverentiam, & amorem, quibus eam DEUS in æterna sua prædestinatione honorandam cunctis operibus suis ab æterno præordinavit.* Nemo autem sibi persuadeat, angustis vitæ mortalis spatiis maximæ hujus potentissimæque Imperatricis beneficia circumscribi & definiri: nam charitas Virginis progreditur ulteriùs in vitam orbemque alterum: clientium suorum solutos corpore animos è piaculari carcere, ubi acerbissimas gravissimasque pœnas luunt clementissimè liberans & cælo asserens. † De quo ipsamet DEIpara dixit aliquando religiosissimo Patri Hieronymo Cavalio, magnam curam gerere pro hominibus è Societate JESU vitâ functis, ut purgantibus flammis eximantur, eandemque operam aliis sui sinceris cultoribus navaturam. Beatus item Amedeus cælitus accepit Sanctissimam Virginem mox ab obitu suo, priusquàm animâ & corpore ad præparatum sibi gloriæ thronum ascenderet; omnes sibi præcipuè devotos è purgatorio igne vindicâsse, decebat etenim ut victoriosa ac triumphans, cumquè spoliis opimis, cælis inveheretur, hâc quoquè in re Filio suo non dissimilis, qui *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem,* animas Sanctorum Patrum è limbo ereptas secum ducens, ut gloriosissimum ascendentis in cælos Domini sui triumphum ovantes comitarentur. *Hactenus Nierembergius.* Deniquè coronis omnium

† *Lege quæ de SS. Dominico & Francisco narrat Platus lib. 1. C 34.*

S. Bern. tom: 1. pag 512. serm. 61. qui est de B. V. habitus in feria 4. post Resurrection. Domini Art. 1. c. 2. cui hic est præscriptus titulus. Quod totus mundus post primorum nostrorum Parentum culpam, amore tantæ Virginis â Deo præservatus est.

† *Pulchre id, ut solet explicat P. Pocreus triplicis coronæ Tract. 5. c. 13.*

Psal. 67. v. 19.

Ephes 4. v. 8.

omnium beneficiorum, maximum donum finalis perſeverantiæ in gratia DEI, ingreſſuſquè ad ſalutem æternaliter poſſidendam (ut apud eundem Nierembergium ibidem habetur) per MARIÆ manus exſpectandum docet S. Anſelmus, S. Bonaventura, Michàel Inſulanus, alliique Doctores rectè verèque DEIparam hunc in modum compellant. *Sicut ô Beatisſima, omnis à te averſus, & à te deſpectus, neceſſe eſt ut intereat, ita omnis ad te converſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt, ut pereat.* Tantummodò itaquè *velis ſalutem noſtram, & verè nequaquam ſalvi eſſe non poterimus.*

Nieremberg. c. 13.
S. Anſelmus in alloquiis cæleſtibus 27. in editione dun: Anni 1630. S. Bonavent. Tom. lib. 5. Pharetræ c. 5. S. Antonius parte 4. ſummæ Theol. tit. 15. c. 14. §7. citans Anſelmum.

3tium. Exemplum S.S. Trinitatis, quæ triplici amoris genere Beatisſimam Virginem proſecuta eſt. Primò Naturali, qui propinquitate & conſanguinitate nititur. Amor parentum erga liberos, & liberorum in parentes, amor ſponſi erga ſponſam; &, amor quo in ſuam quisque patriam ferimur, maximè ad amorem mutuum mortales provocant & adſtringunt, ſuntquè amores hi ex ſe vehementisſimi ac conſtantisſimi, etiam cùm ſoli ſeparatimquè ſumuntur: quid ergo facient, & quantum amorem merebuntur, ſi quando in uno eodemque homine junctim reperiantur, id quod Sanctisſimæ DEIparæ evenire conſtat? Ipſa quippe ſpecialisſima eſt & charisſima Filia DEI Patris: ipſa naturalis Mater DEI Filii, cui corpus vitamquè novâ impertivit: ipſa Spiritus Sancti Sponſa fidelisſima eſt velut S.S. Trinitatis Patria, cùm ſit domicilium & locus eidem acceptisſimus. *Et inferius.* Nihilo iſtis minora ab amore & charitate Patriæ profecta ſunt; cujus incolumitati & honori vitam ſuam benè multi conſecrârunt: qui amor ex parte quoquè major eſt magisque obligans quàm amores cæteri, quatenus nimirum bonum eo publicum continetur, quod privato cuicunquè commodo eſt anteponendum. Amor autem SS. Trinitatis adverſùs DEIparam, non conſiſtit in eo, quòd Pater æternus ipſam reſpiciat ſolùm ut Filiam, Filius ſolùm ut Matrem, aut Sanctus Spiritus ſolùm ut Sponſam ſuam; verùm quòd eam reputent bonum quoddam publicum, & paradiſum omnibus tribus Divinis Perſonis communem, in quo pariter recreantur & oblectantur. Bonum utiquè publicum eſt MARIA, quod ad DEUM, ad Angelos, ad homines, ad totam pertinet naturam. Unde fit ut Pater cæleſtis tractet Virginem,

Nieremberg. c. 5. de Amore quo SS. Trias MARIAM complectitur & ob quem cupit eādem à nobis diligi.

ipſamquè amet non modò ſicut Filiam ſuam primo genitam; ſed insuper ſicut Filii ſui Matrem amabilem, ſancti Spiritûs ſponſam lectisſimam, templum & paradiſum tribus Perſonis uſquequaque communem, ac bonum publicum creaturarum omnium. Eadem eſt ratio Filii, & Sancti Spiritûs, MARIAM amantium, non ut Matrem duntaxat, & Sponſam, verùm etiam quaſi Patris Filiam, bonumquè mundi univerſale, atquè ipſam æſtimantium pro thalamo Amoris ſui, pro throno Majeſtatis ſuæ, proquè templo ſuæ Sanctitatis.

Ex his facilè patebit illud itidem amoris genus, quod emolumento aliquo & utilitate definitur, in DEO erga MARIAM locum habere, quandoquidem nullam ille fructuoſiorem ſibi numeret creaturam. Quanquam enim illi ſupremæ Majeſtati, nihil unquam defuerit, deſitvè, nec re ullâ opus habeat, aut commodi tantillum à creaturis ſuis exſpectet, tanta attamen ipſius eſt erga homines charitas, ut commodorum noſtrorum ſtudioſisſima, ea æſtimet tanquam ſibi propria, ab omnibus ratione præditis creaturis honorari ſe ac celebrari gaudendo: quas inter nulla fuit erituè, quæ vel illuſtriori DEUM honore affecerit, aut majorem hominibus utilitatem attulerit, quàm MARIA: eaque ratione cùm fructus, quem in MARIA DEUS habet, tam ingens ſit & propè infinitus, dici non poteſt, quantoperè illam ſuper res omnes quas condidit, ipſe diligat. Nam præterquam quòd in caula ſit, ut creaturæ cæteræ DEUM venerentur & prædicent; gloria quam una ipſa DEO tribuit, gratiæ quas agit, gaudium quo illum perfundit, laudes quibus extollit, pluris faciendæ ſunt, quàm quidquid hac in parte præſtant omnes chori & claſſes Angelorum, reliquorumque beatorum Martyrum, Confeſſorum, ac Virginum numeroſisſimi exercitus. Si igitur exiguum aliquod lucrum & compendium tanti nobis eſt, ut ejus amore præſentisſima vitæ pericula, adire non reformidemus: quidni DEI Filium, in Matris ſolius gratiam, &, qui inde conſequitur, auctiorem Numinis honorem ac gloriam, vitam ſuam impendiſſe lubentes fateamur? quoniam, etſi Divinitatem ſolùm attendentibus planequè loquentibus, DEO quidpiam utile ac proficuum eſſe, affirmare nullo pacto liceat, ideoquè ab eo amoris genere,

quem

quem utilem nominavimus, ſit ipſe quàm remotisſimus: reſpectu tamen Humanitatis Chriſti, Virgo Sanctisſima Filio ſuo verè propriéquè utilis ac proficua fuit, proindequè meritisſimò dici poteſt, ipſam DEO, Filio ſuo, commodâſſe.

Secundùm iſta, omnium adhuc excellentisſimum in DEO amorem deprehendimus erga pulcherrimam hanc ſanctisſimamquè animam, qui eſt amor veræ ac ſinceræ amicitiæ: quando, ſcilicèt, non ſpectatur emolumentum aliquod, non obligatio alia, non vinculum ſanguinis, ſed amicus diligitur propter ſemetipſum, propter bonitatem ac virtutem ſuam, tametſi nullum ex eo fructum capiamus, nullumvè aliundè illi amorem debeamus. Siquidem tanta eſt magnitudo benignitatis ac ſanctitatis MARIÆ, tanta perſonæ illius excellentia & dignitas, ut, ſi cætera abi eſſent, & ipſa nequè DEI Mater foret, nequè ullatenus ei prodeſſet, nihilò ſeciùs ea propter vehementiùs ſola, quàm Sancti ſimul omnes Angeli ac homines diligeretur. Hoc loco ita rurſum oportebit concludere: ſi ſinguli hi amoris tituli tam ſunt efficaces, quid non impetrabunt univerſi? quali charitatis incendio DEUS non deperiet MARIAM? quàm mirificè probabit eandem à nobis amari is, qui ardentisſimè amat hanc Filiam ſuam, Matrem ſuam, Sponſam ſuam, Paradiſum ſuum, dignisſimum utilisſimumquè pignus, arrham ſuam, bonum mundi publicum? illam, quæ DEI gloriam & ſalutem promovet ampliùs, quàm omnes creaturæ; quæ ſanctior eſt puriorquè beatisſimis Spiritibus, Sanctisque qui in cælo, terravè degunt ad unum omnibus, & ſimul omnibus?

Ad extremum, quandoquidem amorem valde commendat antiquitas ejuſdem ſeu diuturnitas; primus hominum, quem DEUS amavit, fuit MARIA: eam ſibi eligendo, atquè ante alios omnes Sanctos æternæ gloriæ deſtinando, effuſiuſquè quàm reliquam Eccleſiam, diligendo. Quoniam item amantis eſt, ut perſonæ amatæ ſe manifeſtet & patefaciat; SS. TRINITAS MARIÆ crebrò ſe aſpectabilem præbuit: adeo ut ſuperſtes in terris Divinam eſſentiam clarè aſpexerit, idquè majori cum gloria, quàm ipſi Cælites. * Luculentisſimum eſt hoc Divini erga Virginem amoris argumentum, ipſi, legibus ſolutæ exemptæquè etiam in hoc orbe,

** Scherlogus hic plurimos ſuggeret? quod de eo monitum in plures alios, quos produco aptum ſcies.) Tom: 3. Veſtigat 34. Explanat. didaſcal. ſect. 2. pag. 432 & ſeq.*

orbe, ante Filii obitum, atquè ad vitam reditum, poteſtatem fieri DEI, qualis eſt, *facie ad faciem* intuendi. Abrahamus, David, Hieremias, & Prophetæ cæteri Teſtamenti veteris, quantumvis mortui, quantumvis flammis piacularibus â levisſimis maculis ſuis purgati, penitusquè â pœnis abſoluti, Chriſti mortem avidè exſpectârunt, ut velo ſublato laceratoque DEUM perſpicuè contemplari liceret; at MARIA, etiam tum mortalis, claram DEI viſionem anticipavit, & prius quidem, quàm Filius morte acerbisſimâ defungeretur: eò quod DEUS, pro ſuo erga ipſam amore, tam amœno illam ſpectaculo tam diu omnino privari nollet.

Nieremberg. c. 6. De Amore omnium Angelicarum Hierarchiarum erga MARIAM & qualiter eas imitari debeamus.

4tum. Exemplum SS. Angelorum. Hi etenim cùm Sanctisſimam Virginem tantopere â DEO amari videant, qui fieri poſſet ut ipſum præeuntem non ſequerentur, ejuſquè exemplo invitarentur ad id, in quo Conditorem ſuum uſquè eo vident excellere? cur tam juſtam meritamquè ipſi voluptatem inviderent, nec amarent, obſequiiſquè omnibus colerent creaturam ei chariſſimam, filiam illius primogenitam, Matrem JESU, unicè dilectam, Divini Amoris Sponſam, ipſorumquè Angelorum Reginam? Pudore profectò ſuffundi, largiterque erubeſcere debemus, vilitatem atquè ingratitudinem noſtram conſiderantes, quòd in Virginis ejus, quæ noſtri eſt generis & gentis, dequè cujus manu beneficia tam multa magnaquè accepimus, ſervitio obsequioquè tam deſides ſimus; Angeli contrà, etſi origine diverſi, quibus pauciores, quàm nobis adfert utilitates, animitus triumphent, gaudioquè exultent, miré læti, quòd Virgini eidem, ſi naturam ſpectemus, longè ſuâ inferiori, genua poſſint ſubmittere, illamque ſuppliciter venerari. Pro certo illud quidem affirmare licet, non ita multùm Angelos facere, cùm MARIÆ ſubditi ſunt, gratiâ aliiſquè Divinis favoribus velut infinitè ſe exſuperanti, nihilo tamen minus magni æſtimari debet demisſio altisſimorum Seraphim, candidaquè ſinceritas ac ingenuitas, nullâ ſpe commodi, ſine invidiâ, ſine reſpectu, animo recto & ſimplici ſic colentium, ſic obſequentium, ſic ſubjectorum uni cuipiam Virgini, ut honori ſibi ducant juſſa ipſius & imperia, eaquè tanto ſtudio & alacritate, tanta cum reverentia ac ſubmisſione exequantur, ut (verba recito Angeli in Angelico ſermone ad S. Brigittam.)

S. Brigitta c. 20. pag. 559.

omnes

omnes inferni poenas libentiùs sustinerent, quàm aliquibus suis præceptis in aliquo contradicerent. Et inferius. Deinde S. Angeli quotiescunquè nomen MARIÆ audiunt, mirâ spiritûs dulcedine perfunduntur, illudquè proferentibus, *statim*, ut S. Brigitta loquitur, *magis appropinquant*, eorumquè preces majori studio DEO offerunt: &, quod magis mirêre, pro eximio suo in Virginem amore, audito Sancti Josephi castissimi ejus sponsi nomine (id quod vidisse se affirmat S. Gertrudis, cujus verba repræsento) Angeli *& Sancti omnes capita sua reverenter inclinant, & nutu oculorum amicabiliter blandiuntur ipsius dignitati congaudentes.*

Revelat. lib. c. 9. c. 11.

S. Gertrudis Insinuat. div. piet. lib. 4. pag. 12. & 497.

Nierembergius sepracit. c. 9.

ſtum; est Exemplum SS. Apostolorum, aliorumquè Sanctorum: Apostoli Sancti, ac Discipuli Servatoris, qui MARIAM novêre, cum ea familiariter egêre, ipsius suavissimâ consuetudine & comitate toties aspersi, sapientissimis sanctissimisquè consiliis adjuti, atquè heroicorum illius exemplorum testes quotidiani, non poterant non charissimam Magistram suam amare, eâque identidem conspectâ Majestate tantâ, & Divinâ oris modestiâ, cæterisquè virtutibus, quæ in ipsa mirificè effulgebant, omnibusquè admirationi erant, non vehementer obstupefieri. Tam singulari ipsi DEIparam religione colebant, in concionibus suis tam magna & mira de ea prædicabant, adeoquè animos audientium permovebant, ut ejus coram intuendæ studio longinquas Neophytorum multi peregrinationes obiverint: id quod testimoniis revelationibusquè authenticis abundè constat. † Ajunt quoquè, gravisque & antiqui scriptoris authoritate confirmant, ex Hispaniis in Palæstinam profectos esse aliquos, ut prodigium illud Sanctitatis intuerentur, antequam S. Jacobus Virginis cultu Hispanos imbuisset. Quippè ob persecutionem Hierosolymis, Stephano Proto-martyre lapidato adversus fideles Christique discipulos exercitam, horum plures per diversas sparsi sunt provincias: ex quibus in Hispaniam venerunt aliqui, adeoque rara ac stupenda de Virgine, eademque DEI ad mundum redimendum humanâ carne corporati Matre memorârunt, ut multi, natali terrâ desertâ ad istud gratiæ miraculum contuendum proficiscerentur: quod idem de provinciis nationibusquè aliis verè, meo judicio, affirmari potest. Areopagita certè Dionysius, solo domoque

† Pleraq; hujus Puncti quæ mirabiliora uidebuntur sumpta sūt ex scriptoribus rerum Hispanicarum maxime posterioribus. Item ex Apocalypsi, de qua meminit nota penultima proximi Capitis (scilicet apud Nierembergium.) Item ex chronico Flavii Dexteri.

patriâ relictâ, longissimum iter ingressus eò solùm ut Virginem, de qua præclarissima quæque dicentem S. Paulum audiverat, cominus videret, quam simul oculis libavit, sacro quodam horrore perfusus, vixquè sui compos, Numinis loco veneratus fuisset, nisi fidei lumen, Apostolique DEUM unum docentis institutio obstitisset: qua de re in epistola ad eundem S. Paulum data gratias agit de consilio sibi suggesto, quodque ipsius & S. Joannis Evangelistæ operâ in Virginis conspectum admissus fuisset.
„ Verba ipsius subjungo. Non credidi, ait, confiteor coram DEO,
„ Princeps mi maxime, extra DEUM summum & optimum esse,
„ haberi etiam, nec posse ab hominibus percipi, quæ ego oculis,
„ non tantùm mentis, sed corporis vidi, perspexi, atque propriis
„ oculis intuitus sum, deiformem, atque super omnes cælicos
„ Spiritus, Sanctissimam Matrem Christi JESU Domini nostri,
„ quam mihi benignitas DEI, Apostolicique culminis authoritas,
„ & Virginis almæ indeficiens clementia videre concessit: fate-
„ or iterum, atque iterum, coram omnipotentia DEI, & cle-
„ mentia Salvatoris, & gloria Majestatis Virginis Matris ejus,
„ quoniam cum â Joanne, vertice & Evangelii & Prophetarum,
„ qui in corpore habitans quasi sol fulget in cælo, ductus fui ad
„ deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me im-
„ mensus Divinus splendor circumfulsit exteriùs, & pleniùs irra-
„ diavit interiùs, tanta etiam in me omnium odoramentorum su-
„ perabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, neque spiritus
„ posset, totius ac tantæ æternæ felicitatis insignia sustinere.
„ Defecit cor meum; defecit & spiritus tantæ gloriâ Majestatis
„ oppressus. Testor, qui aderat in Virgine, DEUM; si tua Divi-
„ na concepta me non docuissent, hanc ego DEUM esse
„ credidissem: quoniam nulla videri major esse potest gloria Be-
„ atorum, quam ego, infelix nunc, tunc verò felicissimus de-
„ gustavi. Gratias ago summo atque optimo DEO meo, Divinæ
„ Virgini, & eminentissimo Apostolo Joanni, & tibi Ecclesiæ
„ vertici, atquè Principi triumphanti, qui mihi talia clarissimè,
„ atque clementissimè præstitistis. *Hactenus Dionysius.* * S. Paulum ejusdem Virginis videndæ, cumque illa communicandi, & ab ipsa erudiendi amore incensum, aliam peregrinationem, pari cum S. Dionysio successu instituisse, Joannes Menesius literis pro-

✻ A Castro in Hist. DEiparæ Notat. 10. ad 19. c. de quibus & cæteris hoc puncto Judicium permitto lectori erudito ac pio.

ris prodidit: nimirũDeiparæSapientiâ &Sacrosãcto aſpectu obſtupefactum dixiſſe, à primo die ſuæ converſionis ad eam uſq; horam credidiſſe ſeChriſtũDEI eſſeFilium, jam verò Divinitatẽ ſe Filii per Divinam Matris præſentiam agnoviſſe. Viſit eandem Virginem S. Ignatius Martyr, cujus ſimiliter præſentiâ ipſius erga Servatorem JESUM affectus tantùm auctus eſt, ut ex ejus animo nunquam excideret iſta cogitatio: JESUS *Filius* DEI, *&* MARIÆ! JESUS *Filius* DEI, *&* MARIÆ! Virginis videndæ cupiditatem in ipſo accenderant celebratæ ab aliis laudes ejus ac dignitas, quemadmodum ex parte ipſemet indicat in epiſtola quadam, quam ſcripſit ad S. Joannem Evangeliſtam, ubi ſic loquitur: *Sicut nobis à fide dignis narratur, in MARIA Matre JESU, humanæ naturæ natura Sanctitatis Angelicæ ſociatur. Et hæc talia excitaverat viſcera noſtra, & cogunt valde deſiderare aſpectum hujus, ſi fas ſit fari, cæleſtis prodigii & ſacratiſſimi ſpectaculi.* Apoſtolorum itaque clariori luce illuſtratorum, & cum MARIA perpetuò verſantium, uſque dum per orbis plagas omnes habitabiles diſpergerentur, quis putas, fuit animi ſenſus? qualis in illam affectus? quamquè tenera devotio? *Idem ibidem c. 23.*

Immenſi laboris ſit amorem affectumque, quo Sancti alii, Diſcipulorum Chriſti ſucceſſores, MARIAM DEI Matrem venerati ſunt & coluerunt, velle percenſere. Quemadmodum enim Apoſtoli cæteros omnes Sanctos non ſanctitate magis quàm præcipuo in Sanctisſimam Virginem amore ac devotione antecelluerunt, ita conſecutis temporibus ſanctisſimi quique in Eccleſia DEI homines, ejuſdem Virginis ſtudioſisſimi, excellentisſimiquè ejus cultores ac clientes extitêre: id quod in Religioſarum familiarum primis authoribus, glorioſisſimiſquè Patriarchis (in quibus tanquam ſacris quibuſdam vaſis, maxima, in filios ab ipſis ſuos diſtribuenda ſanctitas continebatur) clarisſimè patuit, & in Deiparam pietate ſanè præſtantibus † S. Bernardus quàm tenero illam amore, prorſus ut Matrem dilectisſimam proſequebatur? Quantum deſudavit atque elaboravit S. Dominicus, ut ſuum in Virginem affectum orbi toti teſtatum faceret? Quam aliam ſibi ſuiſquè Patronam expetivit S. Franciſcus? Quid unquam ſine hujus Dominæ auſpiciis, quid ſine ſingulari erga ipſam fiducia aggreſſus eſt ſocietatis JESU Parens *Nieremberg. de Amore erga MARIAM & J. c. 10.* *† De ſingulis. Vide ſpinelli Thronum Cap. 35. n. 5. & ſeq. n. 19. & ſeq.*

Ignatius? Præsens ejus auxilium sentiebat horis omnibus, ab ipsa sæpius visebatur: illa de cælo afferebat ei donum puritatis, illa regulas dictabat Divinorum quæ scripsit, spiritus exercitiorum, illa constitutiones legesquè filiis suis condentem velut manu deducebat, easdemque confirmabat; illa Filio ipsum suo Patrique æterno commendabat; illam sæpè pro se DEO supplicem factam videbat; servum hunc deniquè & clientem suum adeò amabat, ut Ignatio è vivis nondum sublato multis apparuerit, eosdemque admonuerit, ut fundato ab ipso ordini nomen darent. † Verùm quia horum, aliorumque antiquorum Ecclesiæ Patrum adversùs Deiparam devotio, tenerrimiquè ac multiplici sese industriâ offerentes affectus satis cogniti sunt; nolo iis commemorandis diutius immorari: illustriora solùm aliqua ab aliis Sanctis viris in Virginis obsequio perpetrata subjungam, ut pulcherrimis illorum exemplis ad paria tentanda excitemur, intelligamusq; quantopere amare illam ac colere debeamus.

† Consule P. Bourghesiū lib. cui titulus Societas JESU Deiparæ Virgini sacra: & P. Petrum Pennequin primum Societatis JESU sæculum B. Virgini sacrum elegantibus Elogiis absolutū. Multa quoquè suggerunt Balingebemius in Kalendario & P. Tonssanus Bridoo in triūpho annuo B. Virginis.

Primus sub calamum & in mentem venit B. Petri Damiani Frater germanus Marinus, de quo ipse narrat, tanto Virginis amore flagrasse, ut desiderio illi placendi, famulandi, in sempiternumquè mancipium tradendi, ante aram eidem dedicatam humillimum ipsi se infimumque servum volens lubens obtulerit. Quam sibi servitutem in primis honorificam esse palam facturus, vestibus exutus collo corrigiam sive cingulum, quo cingebatur innexuit, seque velut ergastularium cippo alligavit. Nec stetit hic viri ardor verùm ultra progressus, & pro mancipio ab omnibus haberi, servilemque in modum tractari percupiens, eo ipso loco acerrimè se cædi verberarique voluit, ac deinde certam pecuniæ summam, tribui vicem, & ad publicam servitutis suæ professionem persolvit, parem quot annis, dum viveret, se pensitaturum sanctè promittens. † Et erit aliquis qui in dubium vocare audeat, num Virgo Sanctissima, quæ non opera modò nostra, sed duo quoquè quibus ipsam salutamus verba tam liberaliter remuneratur, hanc talem amoris industriam ingeniosaquè pietatis inventa præmio suo meritaque mercede, destituerit? Habuit Marinum bona Mater in filii semper loco, qui nec dignum se ut mancipium esset Virginis indicabat, eiquè sub vitæ finem spe-

† B. Petr. Dami. Tom. 1. lib. 2. Epist. 14. ad Desiderium Abbatem Cassinens.

ſtandam ſe præbuit, ac de æterna ſalute reddidit certiorem. (†) Ut aptè in hunc modum quadret, quod dixit Siracides: *Compedes ejus in protectionem fortitudinis; & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ: decor enim vitæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutaris.* † His gemina de Waltero de Birbach viro nobilisſimo, & Lovanienſis Ducis conſangvineo memorat vetus veruſquè Scriptor Cæſarius Heiſterbacenſis, cujus verba annumero: *Conſiderans ait, Walterus adhuc in ſeculo poſitus* (poſt Monaſticæ ſe vitæ addixit) *tanta circa MARIÆ ſe Beatæ DEI Genitricis beneficia, intantum illius amore accenſus eſt, ut in quadam paupere Eccleſia in ejus honorē dedicata, conſcio ſacerdote, fune collo ſuo injecto, ſervum glebæ ſive mancipium ſe illi ſuper altare offerret, ſolvens ſingulis annis cenſum de capite ſuo, qualem ſervi originarii ſolvere conſueverunt.* (†) qui ſimiliter cùm in vita, tum morte ſuâ â gratisſima officiorum ſibi præſtitorum æſtimatrice Virgine extraordinariis favoribus, beneficiiſquè affectus eſt, quæ eo loci pluribus & cum fide deſcribit is, quem nominavi, Cæſarius. O cæli Regina! O Mater mea! pudet me profectò hæc ſcribentem teporis tanti ac frigoris, quod in me deprehendo: qui voluntate quidem & deſiderio mancipium me Tibi dedo; re autem verâ filium me tuum eſſe, non magni facere videor; quandoquidem operibus hoc ipſum non demonſtro, & neque Tibi ut Famulus ſervio, neque revereor ut Filius. Et verò quid pudendum magis, quàm quòd viros tantos, qui ſummum ſuum, quem in terris ſperare poſſent, honorem interpretabantur, mancipia ſe MARIÆ dici & eſſe, intuentes; nihilominus genuini ſaltèm fideleſque illius filii eſſe minimè ſtudeamus, ipſamque prout Materna ejus adverſùm nos charitas meritisſimo expoſcebat, colere atque amare negligamus?

† *Ibidem.*

† *Eccli. 6. v. 30. & 31. Vide Cornelium ibi: & mancipium MARIÆ Coloniæ editum.*

† *Cæſar. lib. 7. Hiſt. memorab. cap. 39.*

Praxis progreſſum faciendi in dilectione Virginis Matris eſt *1mo.* Lectioni & meditationi incentivorum amoris in DEIparam, tum contemplationi ejus Excellentiæ, ſedulam dare operam: de qua materia vide infra. *2do.* Orationem pro eodem amore obtinendo vehementem frequentare. *3tio.* Exercere ſe in actibus internis externiſque dilectionis Beatisſimæ Virginis.

P. 3. tract. 2. c. 2.

Actus interni dilectionis in Deiparentem. Ejuſmodi actus feliciter exercuit *P. Didacus Martinus Soc. JESU* quibus multa ſibi

ta sibi ipse Virginis beneficia, tantamque benevolentiam conciliavit, ut in præcipuis ejus festivitatibus à terra attolleretur ad audiendum laudes, quo eas modo Angeli peragerent & celebrarent, à quibus edoctus in id genus vota erumpebat:

Utinam unus ego vitas possideam hominum omnium, ut easdem obsequio DEI Matris impendam! Utinam habeam voluntates affectusq́ omnes Sanctorum & Sanctarum omnium, qui in cælis sunt, amemq́ Sanctissimam Virginem perfectissimo eorundem, ardentissimo, ac infatigabili amore!

Cupio certè ipsam diligere charitate illâ flagrantissimâ, quâ S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, Seraphini, reliquiq́ beati Spiritus eam diligunt.

Cum Virgine ipsa loquens ista addebat: *O beatum illum, Virgo Benedicta, qui te amat amore hoc perfectissimo! Infinitè gaudeo, Virgo Sanctissima, quòd Seraphini & cælestes omnes Spiritus totâ æternitate te ament amore absolutissimo & ardentissimo; supplexq́ ab ipsis peto, ut in meam quoq́ id vicem faciant.*

Vilissimus ego peccator debeo Sanctissimæ Virgini omnem illam agnitionem atq́ amorem, omnem honorem & gloriam, benedictiones ac laudes omnes, quas Beati in cælis ipsi tribuunt, tribuentq́ per immensam æternitatem.

Toto animo opto ac desidero, ut regna omnia, provinciæ & nationes, viriq́ ac fæminæ, quæ in iis sunt, cognoscant, ament, serviant, ac laudent perpetuam Virginem & DEI Genitricem MARIAM, eo modo, quo universi cælestis curiæ incolæ eidem deserviunt.

Quàm nunc velim ipsi servivisse à momento illo quo primùm ratione uti coepi, cum omni illa Sanctitate vitæque innocentia, quâ Deiparæ servierunt Sancti Joannes Evingelista, ac Baptista, S. Benedictus, S. Dominicus, & quotquot ipsa unquam in terris clientes habuit.

Mori cupio, sanguinemq́ meum profundere honori & obsequio DEI parentis: desideroque ut Christus JESUS Dominus noster gratiam mihi viresquè largiatur, quo omnia mea membra minutatim ac frustatim concidantur, torqueanturq́ amore & reverentiâ Genitricis ejusdem Domini nostri JESU Christi. Fiat! Fiat! Adeò sincera vehementiaque erant hæc viri vota & suspiria, ut diuturna animi à sensibus alienatio longæquè ecstases, eadem plerumquè comitarentur.

Nimirum istud est, bone Lector, Virgini Sanctissimæ seriò devotum esse: istud verè & ex animo DEIparam amare. Age

itaquè

itaque imitemur egregios hoscè cæli Imperatricis servos, ejusque nos servituti læti alacresque addicamus. Id si facimus, & in hac vita prærogativas â Domina nostra plurimas obtinebimus, & futuræ præterea vitæ hæreditate donabimur: cùm Cælites ipsi exultent, quòd hujus Virginis servi aliquando fuerint, ejusque se mancipia professi sint. Quemadmodum enim Regum ministri honorariique ephebi (quæ est similitudo à gravi Doctore usurpata) tesserariam sui Domini vestem præferunt, quâ ab aliis, qui in curia sunt, aulicis distingvantur: ita & in cæli palatio Deiparæ clientes colore utuntur symbolisque singularibus, quibus ab aliis omnibus Sanctis internoscuntur, proquè servis, domesticis, ac familiaribus ejusdem agnoscuntur, juxta illud quod in Proverbiorum libro dicitur: *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* † † *Prov.* 31. *v.* 21.

Actus externi dilectionis in DEIparam sunt quicunquè actus externi boni, vel indifferentes, ab amore Virginis Beatissimæ imperati & exerciti. *Ita docet Polbartus de Temesaur in stella Virg. lib.* 12. *p.* 1. *a.* 3. 1.2. *tra.* 1. *c.* 1. *sect.* 4. *subs.* 2. § 2.

Vide infra plura, quæ ad hanc sectionem referri possunt sub Hyperdulico cultu Virginis Matris, tum de Fine cui respectu DEIparæ.

Vide quoque supradicta, & hìc proportionatè adhibe.

SECTIO VI.

De Dilectione Proximi.

D*Ilectio Proximi est actus, ejusdem habitûs charitatis, quo diligitur DEUS: eo quoque diligit homo proximum suum, tanquam seipsum, propter DEUM, seu propter summam DEI bonitatem.* Ratio est, quia ad veram amicitiam pertinet non solùm amicum diligere; sed etiam ea, quæ sunt amici, uti ipsius filios, familiares, servos &c. propter ipsius amici bonitatem: jam verò proximus est aliquid DEI, nempe ipsius creatura, imago, & similitudo, servus, amicus, filius per gratiam, &c. Unde dicitur: *Si diligimus invicem, charitas ejus in nobis est.* Igitur & proximus tanquam aliquid DEI diligendus, propter DEI bonitatem, tanquam formale motivum veræ dilectionis. Et hic est *Amor amicitiæ* absolutè spectatus. Porrò ut idem amor est *Amor benevolentiæ*, eo debemus velle proximo suum ultimum finem supernaturalem, nempe Gloriam DEI, suam æternam

V. Suarez de Charitate disp. 1. *sect.* 1.

Joann. 1. *c.* 4.

æternam beatitudinem, & media ad ipsam tam naturalia indirectè, quàm supernaturalia directè conducibilia. Denique ut idem Amor amicitiæ est *Amor complacentiæ*, eo gaudere debemus de omni bono proximi, tristari de malo. Dicitur in descriptione: *Diligit homo proximum suum tanquam seipsum*: quia ratio & modus dilectionis proximi (seu fratris, seu amici, ut variè Scriptura loquitur, eadem enim per hæc omnia affinitas designatur) in illo mandato exprimitur: Diliges proximum tuum &c. quia scilicet proximus tuus est, & secundùm naturalem DEI imaginem, & secundùm capacitatem gloriæ; & hæc ratio dilectionis est. Modus verò dilectionis, dum dicitur: *Sicut teipsum*; Quod non est intelligendum quantum ad hoc, quòd aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi. Et hoc tripliciter. *1mo*: ut sicut ex parte finis nempe propter DEUM nos diligimus, propter eundem & proximos diligamus, & sic erit dilectio sancta. *2do*. ut sicut homo suæ voluntati tantùm debet satisfacere in bonis, non in malo, ita & proximis, sed solis tantùm debet condescendere in bonis, & sic erit dilectio justa. *3tio*: ut qua ratione sibi ipsi vult homo bonum, eadem ratione velit & suo proximo, & non propter propriam utilitatem vel delectationem, & sic erit dilectio vera. Aliàs enim diliget non proximum, sed seipsum.

V. D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 7.

Gradus dilectionis proximi ex Formula aurea Seraphici Doctoris.

S. Bonavent. de Grad virtut. c. 1. Graduũ charitatis Ordo.

Cant. 2.

I. PRimum autem notandum est de gradibus charitatis: Nam dicit Sponsa in Canticis: *Ordinavit in me charitatem.* Infimus gradus charitatis est, diligere amicum à quo homo diligitur, honoratur, fovetur, & in omnibus adjuvatur, qui hoc non curat facere, contra naturam nititur laborare. Diligere enim amantem naturæ est; ut dicit Chrysostomus. Altior gradus, diligere inimicum ex corde propter DEUM, qui eum ad imaginem suam creavit, & corpore suo refecit, & sangvine suo redemit; quia diligere non amantem, gratiæ est; ut dicit Chrysostomus: qui hoc facere non curat, filius DEI esse recusat, qui facit solem suum oriri super bonos & malos. Altissimus gradus charitatis est, inimicos beneficiis ad amorem trahere. Unde super illud: Ut sitis filii Patris vestri

Matth. 5.

Ibidem.

vestri, dicit Glossa: Cumulus perfectionis est inimicos diligere, & pro ipsis diligenter orare, sicut fecit Christus; & alia glossa super illud: Benefacite &c. dicit: Non tantùm ad amicos, sed etiam ad inimicos extendite opera charitatis, ut amici esse incipiant. In primo gradu stant Ethnici & Publicani, qui diligunt eos, qui se diligunt. In secundo stant perfecti Christiani, qui maledicentibus benedicunt. In tertio stant perfectissimi Religiosi, imò Christus, qui Judam ad amorem suum traxit benignissimè osculando, pedes lavando, carne suâ cibando, & in cruce pro persecutoribus orando.

Item altus gradus Charitatis est, cùm aliquis utilitatem amici sui cum proprio lucro quærit. Altior, cùm aliquis commodum amici sui cum damno rerum suarum quærit. Altissimus, cùm aliquis bonum amici sui cum propria morte quærit. Unde dicitur: Majorem charitatem &c. Ergo maximam charitatem habet qui animam suam pro amicis ponit. In illo gradu stetit Christus, quando pauper factus est, cùm esset dives, ut nos inopiâ suâ divites essemus, ut dicit Apostolus: Cùm per suam contumeliam nobis obtinuit æternam gloriam. Cùm per sua vulnera nobis exhibuit medicinam. Cùm per suam mortem turpissimam nobis comparavit vitam æternam. II. *Joann.* 15. 2. *Cor.* 8.

Item altus gradus charitatis est, cùm quis diligit auferentem sibi res temporales. Altior, cùm diligit auferentem sibi honorem. Adhuc altior, cùm diligit auferentem sibi corpus, vel membra corporis. Altissimus, cùm diligit auferentem sibi virtutes & bona spiritualia, sive ipsum DEUM, ad peccatum quacunque occasione inducendo, vel à virtuosis operibus retrahendo. » III.

Ubi cum sale prudentiæ intelligendus est S. Doctor: nimirum ejusmodi personam ut imaginem DEI diligendam, sed impietatem ejus detestandam & fugiendam, nè cum perverso pervertaris.

Incentiva crescendi in dilectione proximi sunt. *1mum.* Est voluntas DEI, quæ præcipit: *Matth.*: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. *Et*: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. *Et Apostolus*: Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. *Matth.* 22. *Joann.* 15. *Ad Rom.* 13.

2dum. Est summum meritum: quia ut asserit *Angelicus Doctor*: Proximum ex charitate diligere propter DEUM magis meritorium est, quàm DEUM solum amare non amando proximum. Quia dilectio proximi includit dilectionem DEI, sed dilectio DEI non includit dilectionem proximi. Unde erit comparatio dilectionis DEI perfectæ, quæ extendit se etiam ad proximum, ad dilectionem DEI sufficientem & imperfectam: quia hoc mandatum habemus à DEO, ut qui diligit DEUM, diligat & fratrem suum. *S. Bonaventura.* Mutuo se debent homines diligere: quia omnes sunt membra unius corporis Christi mystici, quia uno Spiritu S. vivificantur spiritualiter & uniuntur, quia unum Patrem habent & Dominum, quia ad unum regnum tendunt. Dilectionem proximi suadet jus naturæ: Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite Illis. Jus Scripturæ: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Exemplum creaturæ: quia similis simili gaudet, & omne simile diligit sibi simile.)) Effectus dilectionis sunt præclarissimi. Siquidem per dilectionem proximi efficimur imitatores Christi: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Efficimur Discipuli Salvatoris: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Contemplatores DEI: Sic, qui diligit fratrem suum, in lumine manet. *S. Gregorius ait*: Nostra sunt etiam illa bona, quæ imitari non possumus, sed in aliis amamus, & amantium fiunt quæcunquè amantur in nobis. Hinc ergo pensent invidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni laboris opera, nostra sine labore facit.

D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 7.

S. Bonavent. Comp. Theol; verit l. 5. c. 31:

Matth. 7.

Matth. 22.

Joann. 15.

Joann. 13.

Epist. 1. Joan. 2.

Gregor hom. 25. in Evang.

3tium ab exemplo DEI, & Christi. Amor DEI in homines patet in communicatione Divinæ imaginis per creationem, Divinæ similitudinis per gratiam, in donatione ipsius Filii DEI hominibus in Salvatorem, in Lumen, & Exemplum, in Socium, Fratrem, Amicum, in Cibum & Potum, in Vitam æternam & Præmium: Unde *ipse Christus* inquit: Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. *Et Apostolus*: Estote imitatores DEI sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam DEO in odorem suavitatis. Deinde Amor hic

Joann. 3.

Ephes. 5.

Divinus

Divinus elucet in præstito infinito dono ipsius Amoris increati nempe Spiritus S. per charismata ejusdem. Ac denique cùm DEUS totus, quantus est, in cælesti Patria tradat seipsum homini terræ vermiculo in perpetuam possessionem, hæreditatem, fruitionem beatissimam, hoc ipsum quàm immensi amoris sit insigne, prorsus obstupescendum!

4tum. Exemplum Deiparæ: cujus amor in homines colligitur ex dictis sectione præcedenti. Addo hìc ex *S. Bonaventura*: *S. Bonav. in specul. B.M.V Lect. 4.* Maria affectuosa fuit per charitatem. Ipsa enim est MARIA de qua dicitur in Luca. Exurgens autem MARIA abiit in Montana cum festinatione &c. Abiit inquam ut visitaret, ut salutaret, *Luc. 2.* ut ministraret Elisabeth. Vide quomodo illa visitatio MARIÆ plena fuit charitate. In descriptione enim illius visitationis, MARIA quater nominatur, in quo charitas MARIÆ ad DEUM, & ad proximum pleniùs declaratur. Charitas proximi debet haberi, & foveri corde, ore, & opere: MARIA autem charitatem proximi habebat in corde, & propter hoc exurgens MARIA, abiit *Luc. 2.* in montana cum festinatione. Quid enim eam ad officium charitatis festinare cogebat, nisi charitas quæ in corde ipsius fervebat? Legimus quòd Pastores venerunt festinantes ad præsepium, *Luc. 1.* & quòd MARIA abiit cum festinatione ad obsequium, & quòd *Luc. 19.* Zachæus festinans descendit ad hospitandum Dominum: Væ! ergo tardis ad opera charitatis. Item MARIA charitatem proximi ore fovebat Ipsa enim est, de qua ibidem dicitur: Et factum est, ut audivit salutationem MARIÆ Elisabeth &c. Charitas inquam proximi salutationibus, & aliis charitativis locutionibus semper fovenda est. Unde Angelus salutavit MARIAM: MARIA salutavit Elisabeth: Filius MARIÆ salutavit Marias euntes de sepulchro, dicens illis: Avete. Væ eis! qui propter odium salutationem proximo negant! Væ & illis! qui dolosè proximum salutant, sicut Judas cùm dixit: Ave Rabbi. O quam dulciter *Matth. 26.* MARIA salutare novit. O MARIA digneris nos per gratiam tuam salutare. Et certè ipsa nos libenter salutat beneficio & consolatione, si nos eam frequēter salutamus servitio & oratione: libēter nos salutat cum gratia, si libenter eam salutamus cum Ave MARIA. Itē MARIA charitatem non solùm corde habebat, non solum

ore fovebat, sed etiam opere exercebat. Ipsa enim est MARIA, de qua ibi dicitur. Mansit autem MARIA cum illa quasi mensibus tribus. Mansit videlicet pro ministerio & consolatione Elisabeth. Unde Ambrosius: Quæ propter officium venerat, officio inhærebat.

Luc. 1.

Ambros: commentarius in Lucam lib. 2. c. 1.

5tum est Amor SS. Angelorum in homines: De quo ita disserit *B. Bernardus*: Hic est dilectissimi funiculus triplex, quo de excelso cælorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos ad adjuvandos nos attrahit supereminens charitas Angelorum, propter DEUM, propter nos, propter seipsos. Propter DEUM utique, cujus tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque (ut dignum est) imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur. Propter seipsos quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur.

com. 3. S. Bernar. serm. 1. in festo S. Michaelis.

6tum. Amor Sanctorum in proximos : Hic apparuit stupendus in S. Moyse, licèt erga ingratissimum populum Israel eductum de domo seruitutis, dum ab eis per idololatriam vituli graviter offensum DEUM placat dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo.* Unde S. Chrysostomus ait: Tales esse oportet eos, quibus animarum cura commissa est, ut perire malint cum his, qui sibi crediti sunt, quàm sine illis salvi esse. Et S. Paulus *optabat anathema* esse à Christo (id est differri à visione beatifica in cælesti gloria) *pro fratribus suis*, licèt inimicis, modò ipsi agnoscerent veritatem fidei in Christum. Discipulus ille, quem diligebat JESUS, & ipse propter JESUM summus dilectionis in proximum promotor B. Joannes Evangelista *ut refert S. Hieronymus*; cùm Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere; nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: *Filioli diligite alterutrum.* Tandem discipuli & fratres, qui aderant, tædio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt: *Magister, quare semper hoc loqueris?* Qui respondit dignam Joanne sententiam. *Quia præceptum Domini est: & si solum fiat, sufficit.*) *S. Magdalena de Paz* quamvis semper & in omni loco mente esset immersa DEO, & non videretur, an ipsi aliquid deesset temporis ad vitam activam: ipsa tamen adinveniebat

Exodi. c. 32.

S. Chrysostom. tom. 12. in c. 1. Joann.

Rom. c. 9.

Ex comment. S. Hier. in Epist. ad Galat.

In vita S. Mag. dal. de Paz.

ebat media, quòd ſine diſtractione à ſua contemplatione exerceret ſe in activa vita. Idque exequebatur cum tanta infatigabilitate & multitudine operum charitatis, ut ab omnibu Monialibus vocitaretur *Mater charitatis*: ſeu, *Charitas Monaſterii*. Pluſque illa in ſua perſona laborabat etſi debilis valetudinis, ſubtiliſque complexionis, quàm ſimul quatuor ſorores operariæ. Æſtimabatque perditum eſſe diem, in quo non exercuiſſet aliquod opus charitatis propter proximum. Eadem Sancta monebat ſibi ſubditas Moniales, ut ſe invicem diligerent, quaſi eſſent eorundem parentum filiæ, nullam in hoc inter ſe facientes differentiam, dicebatque ad informandum eas dicto amore & ſummâ reverentiâ; *Quælibet ex vobis ita æſtimet in Religione ſuas ſocias tanquam filias æterni Patris, tanquam ſponſas Chriſti JESU, tanquam tabernacula Spiritûs S. & tanquam ſorores Beatorum Angelorum.* Cenſerentque ſe eſſe (dum ſimul eſſent) in medio Angelorum propter Virginitatem. Hinc quolibet die monebat eas illis verbis S. Joannis: *Filiolæ diligite alterutrum, quia hoc eſt præceptum JESU.* *Aliud.* Quidam audito hoc præcepto Divino: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum: adeò ſedulò id implevit, ut denique ob charitatem proximi, caſu accidente inventus ſubmerſus in puteo, prius anima ejus in cælum penetraverit, quàm corpus infrigidatum fuerit. *Aliud profanum.* Oreſtes & Pilades tanto amore amicitiæ ſecum fuerunt conjuncti, ut cùm Oreſtes ad mortem damnatus fuiſſet, Pilades ſe Oreſtem eſſe dixit, ut pro ſocio interficeretur, Oreſtes verò ſe eſſe Oreſtem fatebatur, nè ſocius interiret.)) Multus eſſem in referendis Sanctorum exemplis, qui non ore tantùm, ſed opere & veritate pro ſalute proximi deſudârunt, ipſas denique animas pro iis per atrociſſimos cruciatus & mortem ponentes: Verùm quia obuia hæc ſunt in vitis Sanctorum, ad alia progredior.

Spec: Exemp. in appen. ex 12.

Stap. then. in Dom. oſt Pent

Dilectio erga inimicos interna alia eſt præcepti, alia perfectionis. *Præcepti* eſt, diligere inimicos, non excludendo eos ab illa dilectione univerſali, quâ jubemur diligere poſt DEUM etiam omnem proximum, ita ut ſit præparatus animo in particulari quoque moveri dilectione erga ſuum inimicum in ipſius neceſſitate. *Perfectionis* eſt, abſque occurrente inimici neceſſitate, erga eum in particulari moveri dilectione, nempe eliciendo actum

dilectionis inimici propter DEUM. Quia quantò magis aliquis diligit DEum, tantò etiã magis ad proximũ dilectioně ostendit nulla inimicitia impediente Sicut si aliquis multũ diligeret aliquě hominem, & amore ipsius filios ejus amaret, etiã inimicos sibi. Similiter de dilectione inimicorum externa discurrendũ: eamque esse itiđě aliam præcepti, aliam perfectionis. *Præcepti* est, teneri hominem exhibere suis inimicis illa indicia & signa dilectionis, quæ aliis omnibus communiter exhibentur, qualia v. g. sunt, non excludere inimicum ab oratione pro toto populo; vel benefaciendo toti communitati, etiam oportet illius beneficentiæ participem inimicum facere, vel salutare obviantem & resalutare &c. Alioquin omissio horum & similium pertineret ad livorem vindictæ, quæ prohibetur Levit. 19. Non quæres ultionem, & non eris memor injuriæ civium tuorum. Deinde aliqua sunt beneficia vel dilectionis signa, quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis. Et talia beneficia vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate salutis, nisi secundùm præparationem animi, ut scilicet subveniatur eis in articulo necessitatis secundùm illud Proverb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da illi potum. Sed quòd præter articulum necessitatis hujusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad *perfectionem charitatis*: per quam aliquis non solùm cavet à malo inimici, quod necessitatis est, sed etiam vult in bono vincere malum, quòd est etiam perfectionis: dum scilicet non solùm cavet propter injuriam sibi illatam pertrahi ad odium, sed etiam propter sua beneficia intendit inimicum pertrahere ad suum amorem.

V. D. Thom. 2. 2. q. 25. a. 9.

Incentiva fovendi & augendi charitatis amicitiam erga inimicos sunt. 1mum. *Eximium meritum*: Etenim D. Thomâ Doctore magis est meritorium inimicos, quàm amicos diligere; Quia dilectionis amici præter DEUM potest esse alia ratio. Sed dilectionis inimici solus DEus est ratio. Deinde fortior dilectio Divina esse ostenditur, quæ se etiam ad remotiora & difficiliora nempe ad dilectioně inimicorum extendit; sicut & ignis virtus tantò fortior esse ostenditur, quæ etiam ad remotiora suum calorem diffũdit, & materiam minùs combustibilem digerere possit. Quò autem fortior dilectio Divina, eò magis meritoria.

D. Thom. 2. 2. q. 27. art. 7.

2dum,

2dum. Exemplum DEI, quod ab ipso Christo adducitur gratiâ excitandi nos ad dilectionem proximorum, dum dicit: *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Et hæc quidē quoad temporalia bona: quod verò spectat ad spiritualia: Ecce secundùm *Apostolum*: Cùm inimici essemus, reconciliati sumus DEO per mortem Filii ejus. Inimici DEI & filii iræ nascimur, & suâ gratiâ non ullis meritis nostris regenerat nos per baptismum, & adoptat in filios DEI. Peccatoribus tot sibi infensissimis tum internas tum externas confert innumeras pene gratias, adeò ut in pluribus *ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Hinc *B. Chrysostomus* ait: Nullâ re similiorem hominem DEO reddi, quàm si amore prosequatur ac beneficiis inimicos suos.

Matth. 5. *Rom. 5.* *Rom. 6.* *S. Chrysost. homil. 10. in Mat.*

3tium. Exemplum Christi, qui atrocissimis hostibus suis Scribis & Pharisæis suæ cælestis sapientiæ non denegauit doctrinam, miracula non subtraxit cupiens eos converti ad meliora. Hinc in persona Christi loquens coronatus Propheta: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Et posuerunt adversùm me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Deinde ad Iudæ sui proditoris quà domestici eò inimici acerbioris pedes sese prostravit Altissimi Filius, lavit sordes ejus pavit seipso cibo & potu pretiosissimo, ut Amicum in horto salutavit. Denique pro Crucifixoribus suis Patrem æternum mediis in tormentis exoravit. Hinc *S. Anselmus* ait: Qualis est hic, qui in omnibus pressuris suis (id est in sua passione) nec semel os suum aperuit, ut aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum adversus inimicos tortoresque suos proferret? Et novissimè verbum benedictionis, quale à seculo non fuit auditum, super eosdem effudit.

Psal. 108.

4tum. Exemplum Deiparæ, quæ multò clarius perspiciens Divini Amoris propensionem, tum Christum totum sese profundi ad benefaciendum inimicis suis, idque ipsum DEO esse longè gratissimum fieri à fidelibus suis, non potuit hoc non præstare summa cum perfectione amoris perfectionis Magistra, imitarique

rique hoc in passu dilectum Filium suum, & gratificari summo DEI beneplacito. Itaque omnibus Filii sui adversariis, adeoque & suis quales fuêre Scribæ & Pharisæi, Israëliticus populus, Pilatus cum suis asseclis oratione, & quo potuit alio modo benefecit. Facitque in dies bene innumeris peccatoribus DEI, & per consequens suis hostibus, dum se præbeat refugium & asylum peccatorum, mediatricem inter eos & DEUM.

5tum. *Exemplum Sanctorum.* I. *S. David* Rex & Propheta stupendum quoddam miraculum dilectionis inimicorum. Hic innocentissimus quantâ patientiâ capitalissimum sustinuit hostem suum Saul Regem! quantâ reverentiâ prosecutus ejus Regalem à DEO unctionem & superioritatem! quomodo contra eum, potens nocere, cohibuit manus suas! Denique ipse David in Regnum Israël à DEO pridem electus & unctus, tamen peremptorem Saulis perimi fecit, eum, suosque filios flevit, parentantes Sauli benedixit. II. *S. Stephanus* dum ferales ictus susciperet lapidum, tum pro immitissimis tortoribus suis dabat gemitus & preces ad DEUM, cujus orationis vi Paulus suus persecutor factus omnium Gentium Doctor. Similiter S. Martinus Bricticum suum maximum irrisorem effecit Sanctum hominem. III. *S. Bernardus Mellifluus Doctor* quantâ dulcedine charitatis affluebat in suos adversarios liquet ex Epist. ad eos hiscè data: Ego autem fratres quidquid faciatis, decrevi semper diligere vos etiam non dilectus. Occasiones quærat, qui vult recedere ab Amico; mihi studio est & erit nec cuiquam amicorum justam in me discessionis causam dare, nec scrutari in alio; quod hoc quidem fictæ, illud verò neglectæ amicitiæ sit. Et quia secundùm Prophetam glutino bonum est, solvere, vel potiùs abrumpere poteritis, sed non me. Adhærebo vobis etsi nolitis, adhærebo etsi nolim ipse. Olim me alligavi forti vinculo charitate non fictâ, illâ, quæ nunquam excidit. Cum turbatis pacificus ero, conturbantibus quoque dabo locum iræ, nè diabolo dem. Vincar jurgiis, vincam obsequiis, invitis præstabo, ingratis adjiciam, honorabo & contemnentes me. Et nunc tristis est anima mea, quòd quacunque occasione offenderim vos, eritque tristis usque dum vestra indulgentia relevetur; Si tardaveritis, ibo & excusabo, præ foribus perseverabo

Epist. 252.

præ

pulsans, instabo importunè, opportunè, donec vel merear, vel extorqueam benedictionem.))

In praxi circa dilectionem proximi Observa *Imo* supradata circa praxim virtutis in generali. *2do* exerceas te in actibus sequentibus. 1. 2. *tra.* 1. *sect.* 4. *subs.* 2. § 2.

Actus interni dilectionis Proximi ex Cardinali Bona Viæ Compend. c. 14.

INsere Domine pectoribus nostris tuæ dilectionis affectum, ut diligamus nos invicem, sicut tu diligis nos, & alter alterius onera portemus.

Da mihi Domine non diligere verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate, ut quæcunquè volo ut faciant mihi homines, id faciam illis.

Doleo DEUS meus, quod ea hactenus non præstiti in obsequium proximi mei, quæ tuo auxilio adjutus poteram.

Detestor quidquid injuriæ & offensæ olim paravi verbo, opere & cogitatione in proximum meum, paratus singulis satisfacere, si quid alicui debeo. Inspira Tu DEUS, ut sciam, & da, ut faciam.

Amator hominum DEUS oro Te pro omnibus, qui persequuntur & calumniantur me, & qui me quovis modo offenderunt. Da illis salutem mentis & corporis.

Utinam Clementissime DEUS omnes peccatores resipiscant & convertantur ad Te.

Obsecro Domine ut omnes, qui oppugnant Ecclesiam tuam, dexteræ tuæ potentiâ conterantur, & agnoscant veritatem.

Propono Domine omnes injurias & offensas Te adiuvante æquo animo tolerare: nec ullum unquam hominem, quantumvis infestum, odio habere.

O si possem pro Fratribus meis, iis præsertim, qui me aliquâ injuriâ aut molestiâ affecerunt, sangvinem fundere, quàm libenter id facerem, Confirma Domine in me hanc voluntatem.

Fac obsecro DEUS meus per viscera misericordiæ tuæ, ut omnes ad Te convertantur qui rebus terrenis adhærent, & quos voluptas carnis illexit.

O si possem omnes peccatores ab erroribus vitæ suæ convertere etiam cum vitæ dispendio, id præstarem.

Utinam totus mundus in Te crederet & Te cognosceret. Confiteantur tibi populi DEUS, confiteantur Tibi populi omnes. Omnis terra adoret Te, & psallat Tibi.

Diligo Te Domine toto corde, & proximum in Te, & propter Te.

De bonis omnium fratrum meorum gaudeo, & de malis doleo, ac si mea forent: & mala quidem ab omnibus avertere efficaciter vellem si possem, bona verò multiplicare.

Libenter si possem omnium indigentium necessitatibus subvenirem, esurientibus cibum, sitientibus potum darem, reliqua item opera misericordiæ spiritualia & corporalia exercerem.

Actus externi dilectionis Proximi ex Blasio Palma Thesaur: indeficien.

SI quos florentes & beatos videris, in iis DEUM, omnis boni fontem; contrà, si quos laceros, protritosque aspexeris, in iis Christum crucifixum intuebere: eâ cogitatione in utriusque sortis homines Amoris igniculos concipies, & foras ejaculabere. Amicos, inimicos hic nihil distingve. Charitas eos, illos æquè amplectitur: illos quidem teneriùs, hos verò generosiùs.

Contendes votis, precibus, omni opere & studio, ut omnibus ea naturæ, fortunarum, Gratiæ præsertim Divinæ præsidia suppetant, quibus verè beati esse possint. His bonis si quos affluere benigniore rerum successu ut perspexeris, gestientis intus animi signa, frontis, oris, totiusque corporis hilaritudine exprimes; si quos iis carere, si impendente aut præsente etiam malo periclitari, ægritudinem animo, vultumque contrahes; calamitatem si quâ possis, amolieris.

Aliena sensa, dicta, facta in meliorem partem interpretabere, adspernabere neminem, nihil de fama cujusquam detrahes, nullo convitio, probrovè lacesses quempiam, honorem cuique deferes suum: si quis alteri obtrectet, oblatret, obmordeat, ibis contrà, si fas est, & quo poteris clypeo laborantem tuebêre.

Quos poteris in Divino timore & cultu promovebis, & ad bona opera instigabis: Sacramentorum præsertim frequentem usum. Verbis quidem id agas, sed exemplis malim: illa movent, hæc trahunt.

Nulli opem imploratam denega, mutuo commodatoque des, si rogaris; imò nè rogatus quidem officia & obsequia sponte defer. Esurientem pasce, sitientem pota, hospitem collige. nudum

nudum operi, infirmum visita, carcerem adi, captivumque redime; mortuum sepeli.

Corporibus ista charitas impenditur: quæ seqvuntur animis. Ignorantem doceto, peccantem corrigito, consilio juvato fluctuantem, afflictum solato, injurias perferto, offensam remittito, pro vivis & defunctis etiam inimicis orato.

Inter amicos amicitiæ nodum serva; imò astringe. Si solutus est; redintegrato. Fac, ut in gratiam redeant, qui dissident: lites, rixas, charitatis fœdissimam pestem insectare, imò jugula, perime. *Hactenus Blasius Palma.*

Ampliùs circa dilectionem inimicorum hæc animadverte ex *P. Lobner.* Primum est, ut bene discat, injuriam ut portet, aspicere, & accipere, videlicet non ut ab homine, sed à DEO permittente profectam, juxta exemplum Davidis dicentis: *Dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David, & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Secundum est, ut discat modum perfectæ remissionis, qui quidem in tribus consistit. I. Ut ex corde dimittatur. Ita Christus docuit dum dixit: *sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque Fratri suo de cordibus vestris* II. Ut citò remittatur; nam sicut vulnera recentia faciliùs curantur, quàm inveterata; ita & injuriæ dum recentes sunt, si non condonentur, difficiliùs semper remittuntur ubi inveteratum fuerit odium. III. Ut plenè dimittatur; & sequentes Actus dilectionis inimicorum quantùm fieri potest, observentur. Primus est, pro *inimicis orare*; uti Christus indicavit: Orate pro persequentibus & calumniantibus. Secundus Actus est, *bene loqui de illis*, juxta illud Christi: Benedicite maledicentibus vobis. Tertius est *salutare*, etsi ipsi non salutent; hinc & Christus Apostolis præcepit, ut in quamcunque domum etiam inimici introirent, dicerent illi: Pax huic domui. Quartus est *benefacere*, tam in anima, quàm in corpore; uti Apostolus Romanos monuit dicens: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Quintus est, *mutuum dare petentibus*; quemadmodum iterum Christus monuit dicens: Diligite inimicos vestros, & mutuum date nihil inde sperantes. Sextus est, *gratis dare*, sic enim inquit Christus, eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. *Hactenus Lobner.*

Biblioth. manual. tit. Dilectio inimici.

2. Reg. c. 16.

Matth: 18.

Matth. 5.

Luc. 6.

Matth. 10.

Rom. 12.

Luc: 6.

Ibidem.

Quodsi inimicus tuis in se beneficiis, obsequiis, meritis, non modò molescat, verùm fiat quoque ingratus, imò acerbior tui persecutor interpretans illa benefacta sibi esse malefacta, fieri ea non pro se, sed contra se, ironicè, intentione fictâ, sub specie boni ad sui deceptionem, vel propter spem aliquam tui proprii commodi, &c. dicat te mel gestare in ore, fel in corde &c. quid facturus es, nunquid beneficentiam dimissurus? Absit. Verum imitare Salvatorem, qui pro bonis exhibitis, in gratiarum actionem sustinens multiplices contumelias, recedebat ad modicum tempus ex oculis Adversariorum, dans locum iræ, quousque defervescente aliquantum malitia, denuò redux, solita beneficentiæ signa eis præstare non cessavit, donec ab ipsis crudeli morte occisus, post ipsam quoque mortem per suos Discipulos in viam æternæ beatitudinis eosdem atroces suos hostes non desiit reducere. Ergo & tu fac similiter.

SECTIO VII.

De Oppositis dilectioni proximi.

PRimum Oppositum est *Pseudo-Charitas*, quâ aliquis proximum suum diligit, non quia proximus est imago & similitudo DEI, vel quia DEO id placet, &c. Sed quia est ipsi utilis ad aliquod commodum temporale, aut jucunda vel suavis

Matth. 5. conversatio ejus. Unde Christus ait: *Si diligitis eos, qui vos diligunt* (amore naturali vel terreno non ex motivo supernaturali quæ est sancta amicorum ac meritoria dilectio) *quam mercedem*

S. Greg. hom. 28. *habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?* Et S. Gregorius: *Si quis quemlibet amat, sed propter DEUM non amat, charitatem non habet, sed habere se simulat sive putat.* Similiter, qui alteri ex amore benevolentiæ optat honores, divitias, delicias, vel ex amore complacentiæ de earum adeptione suo proximo congaudet, & congratulatur, non referendo hæc dona in ratione alicujus occasionativi medii ad finem supernaturalem acquirendi gratiam & gloriam æternam; talis charitas non est charitas, sed carnalitas, sed mundana vanitas, talis charitas destruit charitatem. Quid enim temporalia bona in aliquo amare non ad promovendam sui æternam salutem,

salutem, nisi suos errores est amare? Aberrat enim à via recta in devia perditionis, qui non utitur ad DEI gloriam, & suam felicitatem perennem temporalibus bonis. Jam verò secundùm D. Bernardum *Talis dilectio terrena est animalis, diabolica, nocens æquè diligenti ac dilecto.* Audi ulteriùs S. Laurentium Justinian: *O quot sub specie charitatis seducuntur & seducunt! O quanti simulatâ pereunt dilectione! Heu quàm multi in principio purè & sine deceptione conversantes ex nimia familiaritate paulatim infecti in immane præcipitium dilapsi sunt eò miserabilius, quò fœdius! sub veræ namque charitatis prætextu in tales subintrat amor sensualitatis.* Et infra: *Proinde interdicenda est assidua & privata Conversatio in Collegio servorum Christi.* S.Bern.Ep.792. Lib. de discipl. Monast. Conv. cap. 12.

2dum Oppositum dilectioni est *per Excessum* dum v. g. præfert bonum privatum alicujus proximi, bona publica vel suam dilectionem spiritualem postponit dilectioni proximi; vel facit injuriam tertio in gratiam dilecti &c.

3tium Oppositum est *per defectum*: *1mo contradictoriè, quando* non exhibetur dilectio interna, externavè occasione eâ, quâ exhibenda est vel ratione præcepti vel ratione consilii & majoris perfectionis aucupandæ. Apostoli dictum: *Qui non diligit, manet in morte.* Et S. Isidorus *Quamvis nonnulli fidei atque operibus Sanctitatis videantur esse participes, tamen quia privantur charitate fraternæ dilectionis, nullum habent incrementum virtutis.*) *2do Opponitur contrariè per defectum* dilectioni nempe odium proximi. 1. Joann. 3. S. Isidorus de sum. bono lib. 203. sent. 1.

Odium proximi ejusdem dilectioni oppositum *est peccatum, quo proximus secundùm suam naturam vel gratiam detestationi habetur.* Nam odisse in proximo culpam & defectum boni pertinet ad proximi amorem. Ejusdem enim rationis est, quod velimus bonum alicujus, & quod odiamus malum ipsius. D. Thom. 2. 2. q. 34. a. 3.

Odium proximi aliud est *Inimicitiæ* seu *personæ*, quo illi exoptatur aliquod malum, vel personæ secundùm bona illius. Et tale odium semper est illicitum. Aliud odium est *Abominationis*, quo non hominem sed vitia, vel malitiam ejus aversamur. Et hoc odium licitum est. Unde S. Augustinus: *Perfectum odium debet malis, qui secundùm DEUM vivit: Sic ut nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem, sed oderit vitium, amet hominem.* S. Aug. de civit. DEI c. 6. l. 14.

Incitamenta ad odium propulsandum sunt: I. *Qui odit fra-* t. 5.

1. *Joann* 2. *trem suum, in tenebris est.* Item: *Omnis qui odit fratrem suum homici-*
1. *Joann:* 3. *da est.* Et: *scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se-*
S. Ambros. pre-metipso manentem. II. *S. Ambrosius*: Qui invidet, qui odit non ali-
cat. ad. Missam. um prius, quàm seipsum occidit; qui exultat in adversis proximi, & affligitur in prosperis ejus, alieno proximum, se suo petit gla-
S. Chrysostom. de Mansuet. T. 10. serm. 20. dio. *S. Chrysostomus* admonet: Non ergo habeamus cor inunctum odio, ne filii Judæ proditoris simus, ne cùm eo suspendamur, & à diabolo pariter cum eo trahamur ad tartara. Qui enim
Idem lib. 1. de Compunct. odium in corde portat, secundus diabolus est. *Idem Sanctus alibi dicit*: Non sufficere nihil mali facere inimicis, & iis qui nos læserunt, si intra nos retineamus insanabile vulnus offensæ. Nam Christus, inquit, non solùm vult nos ignoscere delinquentibus, sed etiam ut amemus eos, & oremus pro ipsis. Nam si duntaxat non lædis eum, qui te læsit, avertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor augescit in corde. Quod si ita est nondum utique quod Christus mandavit, impletur. Nunquid tu ita vis tibi propitium fieri DEUM, qui non quidem te lædat, avertat tamen se abs te & peccatorum tuorum memoriam gerat, & te videre nolit? Igitur qualem vis erga te esse DEUM cùm delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te; sicut & quidam sapientum scribit dicens: Homo homini tenet iram, & à DEO quærit sanitatem? & sic erga hominem similem sibi non habet misericordiam, quomodo pro peccatis suis exorabit DEUM, cùm ipse caro sit, & iracundiam teneat? Quis propitiabitur peccatis ejus?
S. Ephrem. interrogat. tom. 1. *S. Ephrem*: Quemadmodum omnium virtutum excellentissima est charitas, ita universorum vitiorum gravissimum est, odisse proximum. III. Frater quidam qui veteri odio plurimùm infestus
Vincentius Bel. vacén. lib. 25. c. 69. erat, Anselmo cuidam, postea Episcopo, tunc Abbati, nec poterat ullatenus respicere simplici oculo, infirmitate est depressus, & ad extrema perductus. Cumque in domo infirmorum jaceret, cepit miserandas voces emittere, & quasi quorundam horrendorum aspectus subterfugere gestiret, pallens & tremens vultum suum delitescendo, hinc inde commutare. Territi fratres qui aderant, quid haberet, quærebant. At ille inquit: Geminos immanes lupos inter brachia sua me tenere compressum, &

guttur

guttur meum impressis dentibus jam jamque suffocare videtis, & quid mihi sit, quæritis? His auditis venit Anselmus, & signo crucis lupos illos infernales abegit, ac frater pœnitentiâ actâ defunctus est.

Aliud. Anno 1570. Cùm inter duos Religiosæ familiæ viros graves inimicitiæ exortæ essent, & enutritæ, alter eorum lethali morbo correptus, ad extrema deductus, seu metu mortis imminentis, seu etiam facti pœnitudine motus, adversarium ad se advocavit, priusquam Ecclesiæ Sacramentis muniretur, eique libens ac volens injuriam omnem remisit, imò & amplexus est. Hic ut erat petulanti ingenio, ad alium sociorum quempiam conversus: *Bonus ille vir*, inquit, *mori timet, ideoque dimittit.* Pupugit ea vox moribundum adeò quidem, ut veniam quam donârat, revocaret illico, adderetque durum illud atque diabolicum: *Nec tibi condono ipse, nec à te mihi condonari volo.* Dixerat, & statim quà voce, quà sensu omni privatus, in agonem incidit ultimum, in quo ita sopitus, & mersus fuit, ut & judicio omni & ratione destitutus, ad extremum usque halitum fuerit, sicque infelicem animam efflârit. Fiunt tamen ei justa de more, quibus peractis à Religosis omnibus mensæ accumbitur; & ecce sub hunc discubitum funesta & lamentabilis umbra ingreditur, atroci vultu rigente, horridâquè comâ, oculisque ignem spirantibus: tum defixo in omnes obtutu vocem hanc velut elisum è nubibus tonitru emisit: *Ob immane odium, quo vivus in terris arsi, ardeo in inferis mortuus, æternumque ardebo. Sed & ille, cujus culpâ ardeo, brevi ardebit.* Tum conversus ad illum Religiosum sibi inimicum, & in morte damnationis suæ bustuarium: *Sat epulis datum est, à mensa surge infelix, lata quippe & in me, & in te à DEO Judice sententia, ut quia odia & inimicitias aluimus in terris, alamus etiam in inferis, & æternum quidē.* Dixerat, & in illum adhuc mensæ inhærentem irruit, raptat, stringit. Reluctatur iste, dumque ab hoc & illo pugnis, unguibus, dentibus, & morsibus res & fatalis lucta agitur, subitò sub pedibus fatiscente & dehiscente terrâ absorbetur uterque, atque ad inferos devolvitur, nihilque de illis reliqvum fuit, nisi intolerabilis fœtor. Exin ad sepulchrum itum, ubi jacuerat infame cadaver, & in eo repertum nihil; excusserat nimirum, utpote indignum, quod

P. Michael Pexenfelder in Concionatore Historico 62. historia.
Jacobus Lobbetius de fortitudine Christiana c. 2. § 6.
Henricus Engelgrave in cælo Empyreo part. 2. festo S. Stephani § 1.

quod terra diutiùs tegeret ad pœnas ,unà cum anima sempiternas,

In Praxi mortificatur odium per dilectionis studium & exercitium.

L. 2. tra: 1. c. 1. sec: 4. subs: 2. §2. & 3. *Vide quoq; supradata, & hic servatâ proportione applica contra Oposita dilectioni proximi.*

SECTIO VIII.

De Gaudio Spiritûs Sancti.

D. Thom. 2. 2. q. 28. G*Audium, quod est fructus Spiritûs est actus charitatis, quo lætamur, vel de DEO præsente nobis per contemplationem & amorem, vel de ejus Divino bono seu gloria intrinseca & extrinseca, quatenus DEI bonum sunt, vel deniq; de ejus Divino bono, quatenus participatur à nobis.* Duo priores modi gaudii spiritualis sunt actus charitatis DEI; 3tius verò modus est actus charitatis proximi, dum scilicet propter DEUM diligentes nos & proximos nostros, gaudemus de participatione à nobis summi Boni.))

Et juxta *Dobrosielscium*: Gaudium Spiritûs Sancti est amor suavis & dulcis, qui non aliud est, quàm dilectionis DEI motio, cui suavitas cælestis in animam divinitùs veniens ineffabiliter commiscetur.

Dobrosielſ. In summa Ascet: & Myst. Theol. test. ani: scala 5. p. 1.

Porrò suavitas seu dulcedo hujus amoris(quæ aliàs vocari solet delectatio boni, voluptas & jucunditas cælestis, consolatio Divina, devotio accidentalis, spiritus devotionis, fervor devotionis sensio Divinorum exhilaratio ac lætitia spiritualis, experientia & prægustatio& perceptio saporis seu musti ac vini mystici, amor sensibilis; gaudium Spiritûs S. dulcis à DEO, & in DEUM affectus, gustus sapientiæ, unctio Spiritûs, pingvedo Spiritualis, gratia reficiens, refectio cælestis, & gratia sensibilis, quæ animam erudit, ac illuminat, & ad inferiora contemnenda facilitat, & ad superiora amplectenda erigit secundùm D. *Bon. l. 2. de professione Relig. cap: 72.* dupliciter accipitur *generaliter* nimirum, & *specialiter* (quia bis dicit Apostolus ad Philip. 4. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, *tum scilicet* gaudio generali, *tum* speciali) Hac autem

ratione

ratione altera differt ab altera: quia prima habet se in anima per modum Spiritûs permanentis; Secunda verò per modum Spiritûs transeuntis: vel quia prima annexa est divinitus gratiæ inhærenti, & cuilibet virtuti habituali; Secunda verò nonnunquam adest ipsi charitati in DEUM scilicet agenti, vel propter DEUM operanti, & cuilibet virtuti actuali.

Suavitas generalis idem est, quod mentis quædam hilaritas; nata nimirum ex quadam carnis cum Spiritu, & Spiritûs cum DEO concordatione, & naturalium animæ potentiarum donis gratuitis decoratione. *Vel* quoquè idem est, quod gaudium Spiritûs sancti ex bona ad DEUM confidentia, & bonæ conscientiæ testimonio proveniens: quod aliàs reddit hominem omnibus benevolum, ac paratum ad omnia agenda & sufferenda pro DEO, & promptum ad cuncta quæ sunt DEI promovenda. De hac suavitate illud est *Psal.* 44. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Et Psal.* 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! *Et* 2. *Corint.* 1. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. *Et D. Aug.* Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quæris, etiam hic eam inter amarissimas vitæ huius molestias suavem gustabis, si eius qui eam promisit, præcepta dilexeris: citò enim senties dulciores esse fructus iustitiæ quàm iniquitatis, & veriùs atque iucundiùs gaudebis de bona conscientia inter molestias, quàm de mala inter delicias.

Suavitas specialis idem est, quod gaudium quoddam ex actuali consolatione Spiritûs Divini proveniens; quo anima vitæ æternæ addicta gaudet in DEO, de illius bonitate ac cæteris perfectionibus: quod quidem gaudium consolatioquè cælestis ad hoc animæ rationali non rarò divinitùs conceditur, ut inde lassata rebellionibus sensualitatis, & cõtradictionibus rationis inferioris, & oppugnationibus diversarum tentationum, ac fatigata laboribus exercitiorum spiritualium, & sufferentiis adversitatum, refectionẽ ac corroborationem spiritualem haberet; ac postea promptior ac devotior evaderet, puriùs vivendo, & in DEI amore ac pietate magis proficiendo. De hac suavitate illud est Psal. 33. Gustate (*labiis affectûs*) & videte (*oculis mentis*) quoniam suavis est Dominus.

Et Psal. 99. Laudate nomen eius quoniam suavis est Dominus: in æternum misericordia eius. Et *Sap.* 12. O quàm bonus & suavis est Domine Spiritus tuus in omnibus!

Hæc deinde suavitas specialis *duplex est*, alia nimirum *Spiritualis*, alia *Sēsibilis*. *Spiritualis* seu *intellectualis* illa est, quæ non nisi solum spiritum afficit & exhilarat, non defluendo in partem animæ sensitivam, secundùm quam corpori iungitur: unde fieri aliquando potest, ac non rarò accidere solet; quòd cū vires superiores cælitus infusâ serenitate devotionis perfruantur, tunc inferiores nebulâ ariditatis ac divinæ desolationis obscurantur, & amaritudine illusionum ac tentationum exacerbantur.

Suavitas sensibilis illa est, quæ totam corpoream naturam sic medullitus penetrat & afficit, ut sensus ejus exteriores ineffabiliter vegetet, recreet, ac reficiat; & superiores multâ serenitate ac mirabili tranquillitate exhilaret; unde fit, quòd homo non sentiat laborem aut aliquod fastidium & incommodum in profectu vitæ spiritualis, ac totus, quamvis in medio adversitatum constitutus, exultans, in DEUM feratur.

Porrò suavitas sensibilis, alia est *Incipientum*, alia *Proficientium*, & *Perfectorum*. *Incipientium* quidem non descendit neque dependet à suavitate spirituali seu intellectuali, sed immediatè in sensum imaginationis ac inde in vires animales, secundùm quas anima corpori alligatur, à DEO instillari solet, ut per eam spiritus recreetur, cujus ratio est: quia etiam ipsi incipientes adhuc sunt animales, non verò rationales, ac spirituales. Unde *D. Bonav. Lib.* 2. *de prof. Relig. cap.* 76. *inquit.* Sunt quædam sensibiles dulcedines & suavitatis experientiæ, quæ à DEO dantur quibusdam novis & rudibus, qui spiritualia nondum lucidè intelligunt, ut saltèm per sensibilia consolentur in Domino: qui virtutem purè spiritualium non cognoscunt, in quibus major vis est, & certior veritas, & fructuosior profectus, & purior perfectio. *Hæc Dobrosielscius.*

Unde quoque suavitas hujusmodi sensibilis incipientium non semper est magni facienda ob tres rationes: quarum *prima* est, quia sæpe conceditur à DEO non solùm verè conversis, sed etiam in peccato mortali existentibus. Conversis quidem ac ju-

stificatis

ſtificatis, vereque incipientibus datur, ut videant (ſicut ait *D. Bon. Lib. 2. de prof. Relig. cap. 1.*) quàm largè DEUS remunerat ſibi ſervientes, & quàm bonum eſt ſervire tam dulci Domino: datur *item* ad confirmationem fidei, ad robur ſpei, ad charitatis accenſionem, ac deſiderii inflammationem: datur *item* ad eruditionem ut videant quo pergendum ſit: ſicut in tenebris lumen oſtenditur, ut videatur quo ſit eundum & ubi cavendum: datur *item* ad muniendum contra tentationes. Peccatores autem, qui ſcilicet in peccatis ſuis mortalibus adhuc permanent, interdum ſenſibiles gratias ſeu ſenſuales oblectationes internas accipiunt (*ait Henricus Harphyus in Myſtica Theologia*) ſed illi communiter, quos à mundo & à peccatis DEUS vult retrahere. *Secunda*, & *tertia* ratio eſt, nempe quòd ejuſmodi conſolatio, ſubinde procedat à natura, vel à dæmone, patet ex dictis infra de Pſeudolætitia Spirituali Sect. 9. §1.

Proficientium, & *Perfectorum* Suavitas ſenſibilis, includit intellectualem ſeu ſpiritualem: quia proficientibus, & perfectis præſens ſuavitas divinitùs infunditur in ſuperiores ac ſpirituales vires (eò quòd & ipſi jam ſint rationales & ſpirituales) à quibus mox defluit in ſenſualitatem, quam ſic afficit & exhilarat, ut non ſentiat præſentis vitæ labores, incommoditates, difficultates, & adverſitates. Hâc ſuavitate Propheta repletus ait *Pſal. 83.* Cor meum (*id eſt* ſpiritus meus) & caro mea (*id eſt* ſenſualitas mea) exultaverunt in DEUM vivum. Unde *D. Bon. Lib. 2. de prof. Relig. c. 76.* Provectioribus in ſpiritu conſolationes ſenſibiles dantur propter redundantiam interioris dulcedinis: ut ſicut anima communicat corpori ſuo quaſi comiti & ſocio viæ paſſiones ſuas, ita communicat ei & conſolationes. Triſtante enim interiùs anima etiam corpus tabeſcit exteriùs: ſicut ergo corpus collaborat ſpiritui, & compatitur in merito, ita dignè comparticipat, & corremuneratur ei in præmio, non ſolùm futuræ gloriæ, ſed etiam præſentis gratiæ. *Hæc ille: Et cum illo hactenus Dobroſielski.*

Gaudium ſpirituale, ſeu ſuavitas amoris Divini quandoque puris & Sanctis mentibus in tanto gradu conceditur, ut efficiat quandam Ebrietatem ſpiritualem in anima, de quo citatus *Dobroſielſcius* ita diſſerit. Spiritualis Ebrietas quæ ſub metaphori- *Dobroſielſ. ibidem pacto 4.*

 ca con-

ca continetur, est bona & Sancta, de qua habetur illud *Psal.* 22. Calix meus inebrians quàm præclarus est. *Et ad Ephes.* 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu Sancto. *Et in hymno Ecclesiastico:* Lingvis loqvuntur omnium: Turbæ pavent Gentilium. Multo madere deputant Quos Spiritus repleverat. Ad hanc Sanctam Ebrietatem invitamur à sponso cælesti dicente *Cant.* 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. *Et Joann* 7. Si quis sitit (*spiritualem scilicet consolationem*) veniat ad me (*affectu amoris & affectu imitationis*) & (*ad ebrietatem spiritûs*) bibat. Verùm sicut qui excessu alicujus potûs rationis usu destituuntur; dicunt & agunt multa, quæ à communi modo, & sæpe à rectæ rationis præscripto aliena sunt: ita qui de vino cælestis consolationis ac suavitatis plus percipiunt, quàm cor seu appetitus illorum rationalis capere ac digerere posit; multa cum inusitato fervore operantur, & loqvuntur, ipsis etiam cæteris Spiritualibus admiranda.

Porrò Spiritualis Ebrietas duplex est, *Sobria* nimirum & *Ecstatica*. *Ebrietas sobria* illa est, quæ mentem non alienat ab usu sensuum inferiorum, nisi ab ipso usu rationis inferioris & sensualitatis immoderatè sese habentis. Unde hac ebrii ebrietate, absque ullo sensu remurmurationum inferioris rationis, & perturbationum sensualitatis, propter amorem & imitationem Christi, in amissione bonorum temporalium, summopere lætantur & hilarescunt, ac in quibusvis persecutionibus, contumeliis, despectibus, infirmitatibus, & adversitatibus gaudent & gloriantur. Sic inebriati fuerunt, de quibus est *Actor.* 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Sic inebriatus fuit S. Paulus, cùm diceret *Galat.* 6. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Sic & S. Pater Franciscus inebriatus fuit, cùm à Patre suo carnali sustineret carceres & plagas absque signo doloris: & cùm totus coràm hominibus se denudaret sine affectu pudoris; & cùm vestimenta sua patri restitueret nullo respectu habito suæ humanæ necessitatis: & cùm omnibus paternis facultatibus in præsentia proprii Episcopi lætus & gaudens renunciaret propter desiderium Christi Imitationis. *Ebrie-*

Ebrietas Ecstatica illa eſt, quæ mentem alienat, vel non niſi ab ipſo uſu (qui quidem uſus aut eſt plenus, aut ſemiplenus) ſenſuum corporalium: id eſt, aut ſolùm â circumſpecta aut diſtincta exteriori advertentia, aut etiam & à confuſa: Vel quoque & à quodam uſu naturæ. Et ſic præſens ebrietas ſpiritûs trifariam dividitur, ſeu in tres quoſdam gradus diſtingvitur. Unde ebrij iſtâ ebrietate, quæ mentem alienat à ſemipleno uſu ſenſuum corporalium, ſeu à diſtincta eorum advertentia; aliquando præ abundantia ſpiritualis gaudii, prorumpunt in cantica & laudes Divinas; aliquando in multas lachrymas reſolvuntur; aliquando membris omnibus inquieti fiunt, ità ut nunquam conſiſtant, ſed curſitent, ſaltent, tripudient, manibus plaudant, magniſque vocibus eam, quam intus ſentiunt, teſtentur voluptatem, ac eo pacto exteriùs ſe habeant, & ea pati videantur, ac ſi vino vel ſicerâ nimis impleti, exceptis duntaxat indecoris geſtibus, à quibus Spiritus Sanctus chariſſimos ſuos inebriatos cuſtodit: mente interim eorum pleniùs quàm unquam judicii ſui compote; quæ quippe, optimo ſuo objecto, ſecundùm optimam ſui partem, optimo modo, qui poteſt in hac vita haberi, conjuncta eſt. Hoc modo fuit inebriatus David cùm in introitu Arcæ teſtamenti in civitatem, jubilans inſolito more totis viribus ſaltaret coram Domino.

Ebrii verò iſtâ ebrietate ſpiritûs, quæ mentem alienat à pleno uſu ſenſuum corporalium: ſeu, non ſolùm à diſtincta, verùm etiam & à confuſa eorum advertentia; præ actuali ineffabilium voluptatum cæleſtium experientia, ſic in omnibus ſenſibus obmuteſcunt, ut nullum tormentum ſentire poſſint.

Ebrii tandem iſtâ ebrietate, quæ & ab ipſo uſu naturæ mentem quodammodo alienare videtur, non ſunt à corpore ſoluti, ſicut mortui. Unde quamvis priventur uſu naturæ quoad motum corporalem, non privantur tamen quoad aliquam tenuiſſimam ſpirationem, ſtationem, flexionem, ac oculorum in cælo fixionem Hujuſmodi ecſtaticâ ebrietate, ebria fuit ſponſa cùm diceret *Cant.* I. Introduxit me rex in cellaria ſua (ubi ſcilicet continetur vinum ineffabilis ſuavitatis ſupermundanarum deliciarum, & claritatis indicibilis theoriarum, ſeu Divinarum revelationum ac illuminationum) exultabimus & lætabimur in te. *Hæc Dobroſielſcius.*

S. Bonaventura de grad. Virt. c. 17.

Graduũ Christianæ congratulationis ordo.

Gradus Congratulationis ex Formula aurea Seraphici Doctoris.

I. CONgratulationis altus gradus est, congratulari omnibus hominibus, quòd ad imaginem & similitudinem DEI sunt facti; & congratulari eis in omnibus bonis, quæ à DEO perceperunt. Altior est, congratulari omnibus Angelis, quòd signaculum DEI sunt, & quòd nullam miseriam experti sunt, & semper in fruitione DEI fuerunt. Altissimus est, congratulari DEO de æterna & immensa beatitudine, quam habet à seipso per naturam.

II. Item altus gradus est, congratulari in omni beneplacito suo, quod perficitur in cælo & in terra ab hominibus. Altior est congratulari DEO in omni beneplacito suo in cælo, qnod perficitur ab Angelis. Altissimus, congratulari singulis Personis in omni beneplacito, quod perficitur unicuique Personæ à duabus Personis.

III. Item altus gradus est, congratulari omnibus hominibus de omnibus donis fortuitis. Altior, congratulari in omnihus donis naturalibus, in corpore & in anima. Altissimus, in omnibus donis spiritualibus, & virtutibus in spiritu.

IV. Item altus gradus est, congratulari omnibus consangvineis in omnibus bonis & profectu. Altior est, congratulari omnibus extraneis. Altissimus, congratulari omnibus inimicis.

V. Item altus gradus est, congratulari cùm ad congratulandum instigat natura. Altior, cúm scriptura. Altissimus, cùm inspiratio Divina. In omnibus his fuit Christus.

Graduum gaudii spiritualis Ordo.

Gradus Gaudii ex Formula aurea S. Bonaventuræ de grad. Virtutum c. 30,

I. GAudii altus gradus est, lætari hìc, & in futuro, de æterna societate Angelorum inferiorum, & Sanctorum. Altior est, lætari de æterna societate supernorum Angelorum, & Sanctorum, & præcipuè Beatæ Virginis MARIÆ, quæ est super omnes Angelos & Sanctos. Altissimus, lætari de æterna societate DEI.

II. Item altus gradus est, lætari de mundissima carne Christi, quam sibi assumpsit de mundissimis sangvinibus Beatæ Virginis MARIÆ,

MARIÆ, quam homo videbit in æternum carnalibus oculis. Altior lætari de perfectisſima anima ſua in omnibus virtutibus, & donis ſpiritualibus, cujus anima non accepit Spiritum Sanctum ad menſuram ſecundùm quod alii Sancti. Altisſimus eſt, lætari de Divinitate Chriſti, quam habet communem cum Patre, & Spiritu Sancto æternaliter.

III. Item altus gradus eſt, de omnibus voluntatibus meritoriis lætari. Altior, lætari de omnibus meritoriis locutionibus. Altisſimus, lætari de omnibus meritoriis operationibus.

IV. Item altus gradus eſt, lætari hìc & in futuro de exteriori ſancta converſatione. Altior lætari de interiorum affectionum ordinatione. Altisſimus, lætari de mentis ſecuritate. Unde illud: *Proverb. 15.* Secura mens quaſi juge convivium.

V. Item altus gradus eſt, lætari de Sanctæ Trinitatis viſione, ſive æterna cognitione. Altior, lætari de ejuſdem æterna viſione. Altisſimus, lætari de ejuſdem æterna fruitione.

Propterea nos Auguſtinus hortatur dicens, ô anima mirabilis creatura, quo te dejicis? terram amas, melior es: ſolem miraris, pulchrior es: cælum contemplaris, altior es: ſolo Creatore tuo inferior. Si vis ergo progredi in me, & ego tranſiens in te: exi totaliter de te: traham te in me, & introduc me, & ſic nec in te nec in ulla creaturarum, quidquid amabis, præter me. Idem: Anima inter DEUM, & creaturas media poſita eſt, converſione ad DEUM illuminatur, melioratur, perficitur; converſione autem ad creaturas obtenebratur, deterioratur, occiditur. Item: DEUS intrabit in animam omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore ſublimior, omni ſecreto interior. Gregorius: Eſſe *Greg. lib. 18. Moral. c. 8. in prin.* quidem ſine delectatione anima non poteſt, aut enim delectatur in ſummis, aut in infimis. Gloſſa ſuper Eccleſiaſticum: Felix anima, quæ quotidie mundat cor ſuum, ut recipiat habitatorem DEUM, cujus poſſeſſor nullo eget bono, quia omnium bonorum Auctorem in ſe habet. Auguſtinus: Magna DEI pietas & ineffabilis bonitas, qui hominem ad vitam æternam prædeſtinatum, mori non permittit, niſi in eo ſtatu, quo melior futurus non eſt, tollit etiam damnandos, cùm præſcit eos pejores futuros, ut ſic minus puniantur, & juſti eorum exemplo non corrumpantur. *Hucusq; Seraphicus Doctor.*

Incentiva ad Gaudium Spiritûs Sancti sunt. *1mum Psalmista hortatur* : Lætamini in Domino & exultare Justi, & gloriamini omnes recti corde. *Item.* Servite Domino in lætitia. *Eccl.* Non est oblectamentum super cordis gaudium. *Apostolus monet:* Semper gaudete. *Seraphicus Doctor* quatuor differentias ponit inter Gaudium spirituale, & mundanum, per suas proprietates & effectus. *1ma differentia est*; puritas, & impuritas. Gaudium enim spirituale est purissimum, & ideo fortius est ad inebriandum, ad diligendum DEUM. Sicut videmus, quòd vinum purum citiùs inebriat, quàm lymphatum. Illud vinum spiritualis gaudii fit de botro cypri, i. e. de Sangvine Christi expresso in crucis torculari, sicut dicitur. Botrus cypri dilectus meus mihi. Gaudium verò mundanum, sicut vinum cum aqua mixtum ad inebriandum debilissimum & insipidum. De quo dicitur: Vinum tuum mixtum est aquâ. Quia ut dicit Boëtius dulcedo felicitatis humanæ multis amaritudinibus est respersa. Et notandum quòd gaudium humanum cum duobus est admixtum, scilicet cum remorsu conscientiæ, & solicitudine cruciante. *2da differentia* Spiritualis gaudii est; continuitas, & discontinuitas. Spirituale gaudium est continuum & securum. Unde dicitur: Secura mens, quasi juge convivium. Gaudium verò mundanum est breve & transitorium, ut dicitur: Gaudium hypocritæ instar puncti. Hypocrita dicitur iste mundus: quia Hypocrita licèt interiùs sit corruptus, exteriùs tamen apparet bonus & mundus, in veritate malus, & fœtidus interiùs, exteriùs tamen est floridus & venustus, & ideo gaudium ejus est solùm quasi punctus seu instar puncti, non habens longitudinem perseverantiæ, nec latitudinem amicitiæ, nec profunditatem bonæ conscientiæ: sicut punctus, qui caret longitudine, quam habet linea: & latitudine, quam habet superficies: & profunditate, quam habet corpus. *3tia differentia* Spiritualis gaudii & mundani est; dignitas, & indignitas Gaudium enim Spirituale est de rebus valde dignis, quia de DEO præcipuè, & de rebus Divinis. Unde dicit Apostolus: Gaudete in Domino semper: &c. Gaudium verò mundi est de rebus indignis, & præcipuè sicut de voluptate carnis, de qua dicit Seneca: Voluptas est membrorum vilium, & turpium ministratio, veniens ex

Psal. 31. *Psal. 99.* *Eccl. 30.* *1. Thess. 5.* *D. Bonav. in dieta salutis de gaudio spiritu. tit. 8. c. 1.* *Prrov. 15.* *Job. 20.* *Phil. 4.* *Senec. lib. 6. de beneficiis c. 2.*

ens ex exitu fœtido, Et Augustinus dicit, quòd seculi lætitia est impunita nequitia, videlicet luxuriari, in spectaculum vagari, ebriositate impingvari, turpitudine fœtere, & mali nihil pati. De quo gaudio turpissimo dicitur: Stultorum exultatio ignominia. *Aia differentia* spiritualis gaudii & mundani est; salubritas, & noxietas. Gaudium enim spirituale est salubre & studiosum tripliciter, quia facit carnem despicere. Fugato enim spiritu desipit omnis caro, ut ait Augustinus. Secundò facit diabolum vincere, quia ut dicebat S. Antonius: Unica ratio vincendi diabolum est lætitia spiritualis. Tertiò facit mundum contemnere, quia nemo potest duobus dominis servire, ut habetur in Luca. Ideo qui gaudet de DEO, tristatur de mundo.

Athan. de Vita Antonii.

Luc. 16.

2dum incentivum. Quia gaudium spirituale tribulationes quoque vertit in augmentum lætitiæ. *Ita S. Basilius*: Anima quæ semel se modis omnibus desiderio adstrinxerit sui Conditoris, jamque insuevit oblectare se tantâ illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animique sui jucundissimam diffusionem intercipi aut immutari propter multiplicem & succedaneam carnalium affectionum mutationem quin ea potiùs, quæ aliis mœrorem afferunt in cumulum sibi vertet & accessionem lætitiæ. Cujusmodi erat Apostolus, dum sibi admodum complaceret in infirmitatibus, in tribulationibus, in necessitatibus, egestatem suam in gloriam & exultationem permutans.

S. Basilius Homil. 4. de Grat. actual.

3tium incentivum. Gaudium Spiritûs Sancti est illud centuplum, quod Christus mundi contemptoribus, & sui imitatoribus in hac vita promisit interprete *Doctore mellifluo*: An non centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu Sancto? qui Christum habet in pectore? Nisi quod longè plus, quàm centuplum est visitatio paracleti Spiritus, & præsentia Christi. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! perfecisti eis, qui sperant in te. Vides quomodo memoriam abundantiæ suavitatis hujus eructet anima sancta, quomodo exprimere gestiens verba multiplicet. Quàm, inquit, magna multitudo. Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas & primitiæ Spiritûs, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum

S. Bern. in declam. super Ecce nos reliquimus oia.

Psal. 30.

DEI quod intra nos est. Non utique esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudiũ in Spiritu S. Gaudiũ sanè non modo in spe gloriæ, sed & in tribulationibus. Hic est ignis, quem voluit Christus vehementer accendi. Hæc virtus quæ Andream amplecti fecit crucem, Laurentium deridere carnifices, Stephanum in morte pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc illa pax, quam suis reliquit Christus, quando dedit & suam, siquidem donum, & pax est electis DEI. pax utique Patris, & donum futuræ gloriæ. Illa superat omnem sensum, sed & huic quidquid sub sole placet, quidquid in mundo concupiscitur, non potest comparari. Hæc gratia devotionis, & Unctio docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat, quam nemo scit, nisi qui accipit.

Luc. 12. *Sap. 3.*

4tum incentivum. Christus docet nos recurrere ad cælestem consolationem. Unde *S. Bernardus* supra illa verba: *Apparuit Angelus confortans eum.* Didici *inquit*, etiam ex hoc ipso, non ad carnalem sive caducam recurrere consolationem, sed ad Angelicam, sed ad spiritualem, sed ad cælestem.

S. Bernardus serm. 1. in festo S. Andreæ.

5tum incentivum. Virgo Beatissima non in se, verùm ob dona sibi collata in Spiritu S. lætabunda ait: *Magnificat anima mea Dominum; & exultavit spiritus meus in DEO salutari meo.* Et paulò pòst: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.*

Luc. 1.

6tum. S. Rex David de seipso inquit: Renuit consolari anima mea (*in temporalibus*) memor fui DEI, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. *Et*: Cor meum & caro mea, exultaverunt in DEUM vivum. *S. Antonius* semper hilarem faciem gerens, liquidò ostendebat se de cælestibus cogitare. *S. Franciscus Xaverius* sicut adversorum pro DEO fuit sitientissimus, ut inclamaret; *Ampliùs, Ampliùs*: ita gratiarum Divinarum redundanti suavitate repletus, ingeminabat; *Satìs, Satìs.*

Psal. 76. *Psal. 84.*

Praxis acquirendi gaudium Spiritûs S. est 1mo asserente *Dobrosielscio* juxta doctrinam *D. Bonaventuræ in soliloq. animæ c. 2.* tria ad hoc necessaria sunt. 1mum Depuratio animæ ab omni inquinamento peccati voluntarii ac deliberati: & alienatio seu abstractio illius à consolationibus temporalibus, amoreque creaturarum immoderato. Nam dicit *S. Bern.* Errat omnino si quis illam cæle-

Dobrosie. summar: Ascet. & Myst. Theol.

cælestem dulcedinem, huic cineri, Divinum illud balsamum huic venenoso gaudio, charismata illa Spiritûs S. hujus seculi illecebris misceri posse arbitratur. *2dum* est, exercitatio in multorum patratione bonorum, & in perpessione plurimorum malorum, propter amorem DEI, & Christi Domini imitationem. Hinc Regius Psaltes: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* *3tium* est, elevatio mentis supra se: & hìc anima jam reficitur cælesti dulcedine & consolatione: ad quam refectionem omnes à Christo invitamur apud *Matth. cap.* II. Venite ad me omnes (*per mentis elevationem*) qui laboratis (*in expurganda, & bonis operibus ac virtutibus exornanda anima vestra*) & onerati estis (*persecutionibus, tentationibus, & adversitatibus hujus mundi*) & ego reficiam vos)) Deinde fervens desiderium, & oratio maximè potens est impetrare visitationem, ac consolationem Divinam, docente *S. Bernardo.* Cùm sponsus vigiliis, & obsecrationibus, & multo imbre lachrymarum quæsitus fuerit, subitò dum teneri putatur, elabitur; & rursus lachrymanti, & insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minimè retineri, dum subitò iterum quasi è manibns evolat; & si institerit precibus & fletibus devota anima, denuò revertetur, & voluntate labiorum ejus non fraudabit eam. Sed rursum mox disparebit & non videbitur, nisi iterum toto desiderio requiratur: ita ergo & in hoc corpore potest esse de præsentia sponsi frequens lætitia, sed non copia; quia etsi visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo. Et hoc tamdiu necesse est pati dilectam, donec semel positâ corporeæ sarcinæ mole avolet; & ipsa levata pennis desideriorum suorum, liberè iter carpens per campos contemplationis, & mente sequens expedita dilectum, quocunque ierit. Nec tamen vel in transitu præstò erit sic omni animæ, nisi illi duntaxat quam ingens devotio, & desiderium vehemens, & prædulcis affectus sponsam probat, & dignam ad quam gratia visitandi accessurum Verbum decorem induit, formam sponsi accipiens. *Idem alibi.* Fortè ideo subtraxit se, quò avidiùs revocaretur, teneretur fortiùs. Nam & aliquando simulabat se longiùs ire, non quia hoc volebat, sed quia volebat audire: Mane nobiscum, quoniam advesperascit. *Et mox subdit:* Ergo ejusmodi piam simulationem

Psal. 93.

S. Bern. serm. 32. super Cant. non lõgè à prin.

Idem serm. 64. in Cant.

Luc. 24.

lationem, imò salutarem dispensationem, quam tunc corporaliter Verbum corpori interdum exhibuit, non cessat identidem Spiritus modo suo speciali cum devota sibi anima sedulò actitare: Præteriens teneri vult, abiens revocari: & ire quidem illi dispensatorium, redire verò semper voluntarium est, utrumque autem plenum judicii, ac penes ipsum horum ratio. Nunc verò constat in anima fieri hujuscemodi vicissitudines, euntis & redeuntis

Joann. 14. Verbi, sicut ait: Vado & venio ad vos: Item: Modicum & non

Idem 16. videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. ô Modicum & non modicum! ô modicum & longum pie Domine! Modicum dicis, quòd videbimus te. Salvum sit verbum Domini mei; longum est & multum valde nimis, verumtamen utrumque verum, & modicum meritis, & non modicum votis. Habes utrumque

Abac. 2. in Propheta: Si moram fecerit, inquit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit. Quomodo non tardabit, si moram fecerit? nisi quoad meritum satis est, non tamen satis ad votum. Porrò anima amans votis fertur, & trahitur desideriis, dissimulat merita, majestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens spem in salutari, & fiducialiter agens in eo. Intrepida denique, & inverecunda revocat Verbum, & cum fiducia repetit delicias suas, solitâ libertate revocans non Dominum, sed dilectum, & dicens:

Cant. 1. Revertere dilecte mi. *Idem alibi.* Has alternare vices non cessa-

Idem serm. 17. tur in his qui spirituales sunt, vel quos potiùs spirituales proinde

sup Cant. Ante ipse creare intendit, visitans diluculo & subitò probans.)) Denique

med. juxta Cornelium à lap. ad lætitiam mirè facit Invocatio SS. Ange-

Cornel. à lap. lorum: illi enim cùm sint beati, ideoque lætissimi, hinc suam læ-

in Ecclesi. c. 30. titiam suis aspirant. Unde Angelus bonus à malo secernitur, quòd ille lætitiam, hic mœrorem menti aspiret.

S. Bern. serm. 3. 2do. Quomodo exultandum in Domino docet *S. Bernardus*:

super Psal. Exultate, sed interim cum tremore. Lætos vos esse volo, sed nondum securos. Gaudentes in Spiritu S. sed tamen paventes adhuc

Psal. 2. & caventes à recidivo.)) Unde Psal: Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Deinde Apostolus cum gaudio monet conjunctam habere modestiam, & permistam spiritualem

Philipp. 4. tristitiam ita dicens: *Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete,*

2. *Cor.* 6. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et: *Quasi tristes, semper autem gaudentes.*

SECTIO IX.

De Oppositis gaudio Spiritûs Sancti.

§. I.

PRimum Oppositum est *Pseudolætitia spiritualis*, proveniens vel à natura, vel à dæmone: de qua *Dobrosielscius* ita discurrit dicens. Hujusmodi suavitas non solùm divinitus animæ instillatur, sed etiam aliquando ex ipsa teneritudine complexionis nascitur: sunt enim aliqui homines tam mollis naturæ, ut dum legunt, cogitant, audiunt, & loqvuntur de Christi acerba Passione, & pœnis inferni, de gloria cælesti, ac de cæteris veritatibus Divinis, facillimè interiùs compungantur, affectu compatiantur, timore configantur, in lachrymas dissolvantur, gaudio afficiantur, & quodammodo liquescunt animo: & deinde per objecta prosperitatis mundanæ, aut adversitatis mente aliò evocati, mox etiam ad fabulas, vanitates, oblectationes carnales, & ad alia hujusmodi sine discretione revertuntur. Deinde quædam suavitas sensibilis, aliquando etiam à spiritu maligno incipienti procuratur, ut inde miser fiat elatus, & perfectum se esse existimet, ac DEO summopere charum: iamque studia externæ & internæ mortificationis negligat, ac tandem deficiente hujusmodi suavitate, putans se à DEO esse derelictum, ex indignatione & desperatione retro aspiciat, in pristina peccata facilè recidat. *Hæc ille.*

Chrysost. Dobrosielscius in summar. ascet. & Myst. Theol. testam. animæ

§ II.

De Acedia.

SEcundum *Oppositum contrariè* gaudio spirituali de DEO ejusquè bonis est *Acedia*, quæ dupliciter accipitur: 1*mo*, ut est speciale vitium gaudio charitatis oppositum, diciturque *esse tristitia de bono Divino ex charitate diligendo.* 2*do*, *Acedia* accipitur, ut est generale vitium inclusum in omni vitio, *estq; tristitia aggravans animum de bono incluso, quod est in actionibus singularum virtutum, ut nihil agere libeat.* Item: *Acedia est torpor mentis bona negligentis inchoâre.*

V. D. Thom. 2. 2. q. 35. art. 1. & 2.

Signa

Signa & proprietates Acediæ, vel Tepiditatis, ex P. Bern. Rosignolio de Discipl. Christ. perfect. lib. 2. cap. 19.

QUoniam tractatio hæc utilissima est, afferam adhuc rei hujus explicationem aliam, nobis nostrisque temporibus accomodatam. Jndicia igitur hominis tepidi, ut plurimùm hæc esse censentur.

1. Orare sine attentione & fervore Spiritûs.

2. Meditari res Divinas sine animi sensu, affectu, fructu.

3. Difficulter se expedire ab hominum frequenti, nec utili congressione & colloquio.

4. Ægrè redire ad seipsum, & nunquam aut raro admodum in cor suum dissipatum animum cogere.

5. Examinare conscientiam, & seipsum inspicere, quasi per transennam, & strictim absque compunctione, proposito, & emendatione.

6. Latè libenterque sese diffundere in omnes res exteriores, non hominum salutis procurandæ, sed tædii sui mitigandi causâ.

7. Consolari se quæsitis solatiis ex rebus creatis, aut ex cogitationibus inanibus.

8. Liberè de aliis loqui, & eâdem libertate aliorum facta, dictavè observare, & reprehendere.

9. Graviter ferre disciplinam religiosam, si religiosus sis, & omnem admonitionem, aut correctionem, quæ olim jucundissima fuisset, insuavem, intempestivam, intolerabilem existimare.

10. Ad otiosam vitam aspirare, & subterfugere labores ad animarum auxilium fructuosos, & necessarios, permittereque ut earundem zelus omnino langvescat, quæ gravis est culpa iis, quibus animarum cura aliqua commissa est.

11. Obedire Majoribus, Patribus spiritualibus, aut etiam Legibus quibus tenetur, sine ulla animi contentione, imò cum fastidio, lentè, frigidè, invitè.

12. Optare sibi ab hominibus honorem haberi, & ab illis se multùm amari, hominum blanditiis, & fortè etiam assentationibus delectari.

13. Existimare vacationem laborum suis meritis jam deberi, & immunitatem, quâ carent alii, dandam sibi. Et si hæc alicui fortè minima videantur, illa sine dubio majora sunt, videlicet.

14. Frigere jam Sacramentorum usum, nec ea ampliùs frequentare, ut inceperas.

15. Sacras conciones non audire, Spirituales & utiles Libros non evolvere, vel certè raro & fastidiosiùs,

16. Occasiones peccatorum minimè vitare, ut antea, idcirco, quia tibi multùm tuisque viribus fidis: quæ temeritas est maxima, atque occultior superbia, ita enim tepidus, imprudens provehitur in altum mundanorum fluctuum, fitque, quò minus secum reputat, eò magis periculo propior.

17. Indulgere tibi, tuoque corpori deservire, & paulatim quidquid salutari pœnitentiâ astrinxeris, relaxare molliore vivendi ratione.

18. Memoriâ replicare pristinos mores, & mundanorum hominum felicitatem, eoque mentis cœcitate induci, ut mundi voluptates & deliciæ, quæ prius somnia ludibriaque, uti sunt, videbantur, non displiceant ut antea, arridere incipiant potiùs, ac præclara quædam bona videantur.

19. Divinos instinctus, quibus ad severitatem vitæ, & Christianam disciplinam subinde excitaris, & impelleris, vel non advertere, vel dissimulare, & in aliud tempus differre, vel quod deterrimum est tepiditatis genus etiam negligere.

20. Spiritualibus Patribus non auscultare, uti consueveras, & quanquam eorum consilia præsens probas, absentem facto ab eis discrepare, clam te subtrahere, & ab eorum magisterio curaque refugere.

21. Denique hac tepiditate tenentur hi, qui, cùm perfectioni ex instituti & professionis obligatione operam dare debeant, in hoc studio negligentissimè se gesserunt, occupati nimirum vel literarum, etiam sacrarum studiis, vel aliis Ecclesiasticis & religiosis muneribus obeundis, quæ speciosa sunt, & gloriosa seges. Hi quanquam advertunt se ad summum perfectionis gradum jam pervenisse oportere, aut ab eo certè non longè distare, & in primo gradu adhuc hærere, hoc est non urgeri se mortiferi peccati con-

cati conſcientiâ, optant quidem ſeipſos corrigere, & excitare è ſomno deſidiæ ad laborem abnegationis, & virtutis, differunt tamen & procraſtinant, nec adhibent quæ neceſſaria ſunt ad tam præclarum finem conſequendum; imò quæ malitioſa tepiditas eſt, cùm ſeipſos animosè vincendo, ac veterem hominem cujus non exiguam partem retinent, exuendo, Divinæ voluntati ſubjicere omnino deberent, toti ſunt in conquirendis rationibus, quibus Divinam voluntatem ad ſua ſtudia revocare poſſint, & ij eſſe ſine conſcientiæ ſcrupulo, qui eſſe nequeunt ſine tepiditatis nota.))

S. Bonaven. in diæta ſalutis. cap. 7. **Stimuli** ad Acediam excutiendam. *1mus. S. Bonaventura* damna acediæ enumerat 1. Eſt Paupertas, quæ facit hominem egentem tam corporaliter, quàm ſpiritualiter. Ideo dicitur in *Proverbiis*. *Proverb. 10.* Egeſtatem operata eſt manus remiſſa. Et in *Matthæo* dicitur de ſervo pigro; *Matth. 25.* Tollite ab eo talentum: Quia verè talentum gratiæ meretur amittere, qui illud negligit multiplicare. 2. Eſt vilitas: facit enim acedia hominem vilem. Unde dicitur in *Eccleſiaſtico*. *Eccl. 22.* In lapide luteo lapidabitur piger. Lapis luteus poteſt dici peccatum immundum, ad quod acedia facit hominem pronum. 3. Eſt timor, vel puſillanimitas: facit enim hominem pavidum & puſillanimem ad modum leporis. *Prov. 18.* Unde dicitur in *Proverb.* Timor dejicit pigrum, ſcilicet de cacumine virtutis. 4. Eſt ſpiritualis corruptio: corrumpitur enim ad inſtar aquæ non motæ. Ideo dicit *Hieremias*. Moab non eſt transfuſus de vaſe in vas. Moab interpretatur acedioſus, quia de vaſe in vas non eſt tranſfuſus, quia in bonis operibus non eſt occupatus. 5. Eſt vitiorum accumulatio: replet enim hominem acedia univerſis vitiis. Nam dicitur *Prov. 24.* in *Proverb.* Per agrum hominis pigri tranſivi, & ecce totum repleverant urticæ. Urtica rectè figurat acediam. Nam urtica habet molle folium, ſed in folio habet aculeum pungitivum: ſic acedia ad modum urticæ habet in mollitie remiſſionis aculeum pungitivæ tentationis: ſicut aſinus libenter paſcitur hujuſmodi pungitivis id eſt carduis, ſic piger libenter paſcitur hujuſmodi pungitivis id eſt delectationibus perverſis, quaſi aculeatis. *Ibidem.* 6. Eſt exprobrabilis accuſatio, facit enim hominem exprobratione dignum. Unde dicitur in *Proverb.* Uſquequo piger dormies? & ideo ad confuſionem ſuæ negligentiæ mittitur otioſus in ſcholam formicæ, ad diſcendum juxta illud quod ſcribitur in *Proverb. 6.*

verb. 6. Vade ad formicã ô piger. Et satis est homini magna confusio, quòd oporteat eũ addiscere à tam parvo & despectoMagistro.

2dus Stimulus: quia Acedia est Vitium afflictivum. Hinc *D. Gregorius*: Iter pigrorum, quasi sepes spinarum. Nam cùm viam DEI appetunt, eos velut spinæ obstantium sepiunt; sic formidinum suarum oppositæ suspiciones pungunt; quod quia electos præpedire non solet, benè illic secutus adjungit: Via justorum absquè offendiculo. Et S. Ephrem: Piger assiduè obmurmurat, & seipsum deplorat. Deinde *S. Chrysostomus* inquit: Tristitia animarum crudele tormentum est, & dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio vindictaque deterius. Nam & vermi est similis venenato: non solummodo carnem, sed & ipsam animam perimens. Et tinea non solùm ad ossa, sed etiam ad corda pertingens: & perpetuus quidam carnifex, non animam dilacerans, sed vires animæ consumens: Et jugis nox ac tenebræ profundæ, & tempestas, & turbo, febris non apparens omni igni validiùs incendens, & pugna requiem non habens.

D. Greg. M. lib. 30. c. 13.

S. Chrysost. Ep. 8. ad Olymp.

3tius Acedia vitium capitale est, cujus filiæ sunt malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, ac mentis evagatio circa illicita. Quia enim ut Philosophus dicit in 8. Ethic. Nullus diu absque delectatione potest manere cum tristitia, necesse est, quòd ex tristitia aliquid dupliciter oriatur: uno modo, ut homo recedat à contristantibus, alio modo, ut ad alia transeat, in quibus delectatur; sicut qui non possunt gaudere in spiritualibus delectationibus, transferunt se ad corporales secundùm Philosophum in 10. Ethic. In fuga autem tristitiæ talis processus attenditur: quia primò homo fugit contristantia, secũdò etiam impugnat ea, quæ tristitiam ingerunt: spiritualia autem bona de quibus tristatur acedia, sunt & finis, & id quod est ad finem. Fuga autem finis fit per *desperationem*: fuga autem bonorum, quæ sunt ad finem quantùm ad ardua quæ subsũt consiliis fit per *pusillanimitatem*: quantùm autem ad ea quæ pertinent ad communem justitiam, fit per *torporem* circa præcepta. Impugnatio autem contristantium bonorum spiritualium quandoque quidem est circa homines, qui ad bona spiritualia inducunt, & hic est *rancor*. Quandoq; verò se extendit ad ista spiritualia bona, ad quorum detestationem aliquis adducitur & propriè est *malitia*. In quantùm autem propter

D. Thom. 2. 2. q. 35. a. 4.

 tristiti-

tristitiam à spiritualibus aliquis transfert se ad delectabilia exteriora, ponitur filia acediæ *evagatio circa illicita.* Per quod patet responsio ad ea, quæ circa singulas filias objiciebantur. Nam malitia non accipitur hic secundùm quod est genus vitiorum, sed sicut dictum est. Rancor etiam non accipitur hic communiter pro odio, sed pro quadam indignatione, sicut dictum est: & idem dicendum est de aliis. *Hæc Doctor Angelicus.*

4tus. Acedia vel tepiditas procurat hominem derelinqui à DEI specialibus gratiis, & sic per varia peccata mens tandem in iis obduratur. Ita minax DEI dictum: *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Supra quod commentatus *Alcazar* inquit: Assero 1mo Vomitûs metaphoram non esse referendam (propriè & proximè) ad æternam damnationem. Hæc enim non solis tepidis, sed omnibus peccatoribus à DEO intentatur, verùm ad id, quod eam præcedit, scilicet ad derelictionem DEI. 2do assero vomitûs metaphorâ repræsentari irreconciliabilem detestationem. 3tio assero tepidum tunc aptissimè dici à Christo evomi, cùm induratur in peccato, & quodammodo projicitur extra curam Divinæ providentiæ. Hujus autem comminationis particula (quæ propter venialem etiam torporem meritò timeri debet) est privari iis auxiliis, quæ non conceduntur omnibus justis, sed iis solùm quos DEUS majori favore prosequitur. Quantum verò periculum inde immineat labendi in peccata mortalia, & tandem in veram obdurationem, id spiritualium virorum considerationi relinquo. 4to assero comminationem hanc sic explicatam esse respectu torporis, & per ipsam doceri fideles, teporem esse ipsissimam viam ad obdurationem in peccato: quâ sententiâ nihil aptius proponi tepidis, utpote qui putent se valde alienos esse ab hac obduratione, & valde eam detestari.

Apoc: 3.
Alcazarius.

5tus à proprietatibus acediosi. *S. Isidorus.* Tepidus in conversatione otiosa verba & vana, cogitationes noxias esse non conspicit, quid si à torpore mentis evigilaverit, ea quæ priùs levia æstimabat, confestim quasi horrenda & atrocia pertimescet. Et *S. Ephrem.* Pigritia murmurationi conjunctissima est, si quo piger mittatur dicit. Leo est in via, in medio platearum occidendus sum. Pigro sunt excusationes in promptu, si quod ei opus agendum

Isid. lib. 2. c. 10. sent. 20. de sum. mo bono.
S. Ephrem Parænesi 22. Idem de virt. & vitiis.

dum injungitur, obmurmurat, & alios mox etiam pervertit dicens. Et quorſum hoc? cur iſtud vel illud? Si aliquo mittatur, damnum inquit ex illo itinere proveniet. Si ad pſalmos decantandos excitetur, iraſcitur, ſi ad vigilias, ſtomachi vel capitis ſibi dolores prætexet, ſi illum admoneat, teipſum inquit admone, de me erit, ſicut DEO placuerit.

6tus ab exemplis. Quidam frater volens diſcedere in ſolitudinem, à matre propria prohibebatur. Ille verò dicebat matri ſuæ: Permitte me, mater, ſalvare enim volo animam meam. Cùm autem non poſſet eum retinere mater, dimiſit eum. Ille verò veniens in ſolitudinem, per negligentiam, omnem vitam ſuam conſumebat. Contigit autem ut moreretur mater ejus. Et poſt tempus aliquod factus eſt & ipſe ægrotus, & raptus eſt in extaſi ad judicium, invenit matrem cum his qui judicabantur. Illa autem cùm vidiſſet eum, obſtupuit dicens. Quid eſt hoc fili? & tu in hoc loco deductus es condemnandus? Et ubi ſunt illa verba, quæ ſolebas dicere: Quoniam ſalvare volo animam meam? Erubeſcens ergo ille in verbis quæ audiebat, ſtabat, nihil habens quod reſponderet. *Et paulò infra:* Poſtquam verò ſanus effectus eſt, recluſit ſe, & ſedit cogitans de ſalute ſua, pœnitens & lachrymans ſuper his quæ fecerat prius in negligentia. Tanta autem ejus erat compunctio; ut cùm multi eum rogarent paululum requieſcere, nè forſitan noxium aliquid pateretur per inceſſantem fletum, ille nollet, dicens: Si Matris meæ improperium non portavi, quemadmodum præſente Chriſto & Angelis ejus in die judicii aut improperia aut tormenta portabo? *Aliud.* Senex quidam magnæ virtutis vir, aliquem fratrem ſæpius corripiebat, & hortabatur dicens: Frater, ſolicitudinem gere pro anima tua, habes enim mori, & niſi te emendaveris, in ſupplicium tendes. Frater autem ille ſemper ſeni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipſo dicebantur, admittebat. Contigit autem poſt aliquantulum temporis, ut iſte moreretur. Contriſtatus verò ſenior ſuper illo valde (ſciebat enim quòd in magna deſidia & negligentia de ſeculo exiiſſet) cœpit orare ac dicere: Domine JESU Chriſte, verax DEUS noſter revela mihi, quid ſit circa fratris animam. Aſpexit autem in exceſſu mentis effectus fluvium ignis, ingentemque

In vitis Patrũ lib.3. Auct. Ruffino.

De vitis Patrum lib. 10. c. 44. Joan. Moſchi.

temque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum usque demersum. Tunc ait illi senior: Nonne te propter hanc pœnam orabam, ut curam animæ tuæ ageres fili? Respondit frater, & ait seni: Gratias ago DEO, Pater, quòd vel caput meum requiem habet; per orationes enim tuas super caput Episcopi sto.

Praxis propulsandi Acediam est. 1mo. Ejusmodi affectibus addere sibi stimulum & calcar excutiendæ Acediæ. *O Acedia ærugo aureæ charitatis, tinea omnis virtutis! ô Acedia offundens tenebras luci, frigus ardori, tædia alacritati, tristitiam lætitiæ, absynthium cælico nectari! ô Acedia imaginariis obicibus difficultatum obstruens viam vitæ, aperiens cursum ad spatiosum iter perditionis! Heu me miserum! qui torpore obrigui, insensibilis ad æterna, vividus ad vana & transitoria. Coepi spiritu, carne consumor, per mundi & carnis rosea spineta laceratus pergo ad perpetua tormenta demergendus stagno ignis & sulphuris. Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundùm dies, quibus DEUS custodiebat me? Quando splendebat lucerna ejus super caput meum: & ad lumen ejus ambulabam in tenebris? Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ: quando secretò DEUS erat in tabernaculo meo? Quando erat omnipotens mecum, & petra fundebat mihi rivos olei* cælestium solatiorum)) *O Clementissime DEUS, tu solus mihi hæc denuo tribuere potes: non est abreviata manus tua, semper prona & larga ad dandum, modò è torpore & vitiorum pulvere ad eam assurgam. Eja anima mea, consurge, consurge, excutere de pulvere, solve vincula colli tui filia Sion. Quousq; pigra vis & non vis? diu deliberâsti, jam citò fac. Benè, optimè. En ego ad te DEUS meus, jam totus tuus, viam mandatorum tuorum curram, quam precor complana mihi, & dilata speciali gratiâ tuâ. O Mater DEI benignissima fer opem, SS. Patroni succurrite, affectus mei sint in effectu. &c.* 2do. Experimento probatum est, ait *Cassianus*, Acediæ impugnationem non declinando fugiendam (si enim fugeris, sequetur, teq; graviùs impugnabit) sed resistendo superandam esse. *S. Bonaventura* inquit: Summum remedium contra Acediam est, nunquam tædere, sed repugnando Acediæ, obviare & vincere eam laborando. Attamen homo potest opera sua variare, ut nunc oret, nunc legat, nunc meditetur &c. Ut si unum non sapiat, sapiat saltèm aliud, sicut febricitanti habenti gustum infectum apponun-

Job. c. 29.

Cassianus lib. 10. c. 25. docet.

S. Bonavent. de pugna spirit. c. 6.

ponuntur multa fercula. Item contra tædium cordis valet varietas actionis. Item valet compunctio. Qui enim luget seipsum, non novit Acediam, ait Climachus. Ligetur ergo iste Tyrannus memoriâ offensionum & delictorum, & percutiatur opere manuum, & intentâ meditatione futurorum bonorum. *Hæc S. Bonaventura.* Quod confirmant duo sequentia exempla. Quodam tempore Abbas Antonius, dum resideret in eremo, spiritu tentatus Acediæ, cogitationibusque diversis implicatus, dicebat ad DEUM: Domine salvari desidero, sed cogitationes variæ non me permittunt. Quid faciam in tribulatione mea, vel quomodo salvari valeam, dignanter ostende. Et post paululum surgens, quendam sibi similem conspicatur sedentem, torquentem funiculum, & surgentem ex opere, & orantem. Erat autem Angelus ad emendationem Antonii destinatus, à quo etiam hunc sermonem audivit: Et tu ita faciens, Antoni, salvaberis. At ille summo gaudio cumulatus, acceptâ confidentiâ salvatus est. *Aliud.* Quidam frater requisivit senem dicens: Quid faciam Pater, quoniam nulla opera facio Monachi, sed in negligentia constitutus comedo, & bibo, & dormio, & de hora in horam transgredior de cogitatione in cogitationem, & propterea contristor & deficio: Cui senex ait: Tu sede in cella tua, & fac quod potes sine perturbatione animi, & confide in DEUM: quia qui sedet in cella sua propter DEUM, invenietur in illo loco, ubi est Abbas Antonius. *Aliud.* Alter frater requisivit Abbatem Achillam dicens: Cur sedens in cella mea patior acediam? cui senex ait: Quia necdum vidisti requiem, fili, quam speramus, neque tormenta, quæ timemus. Si enim ea diligenter inspiceres, etiamsi vermibus plena esset cella tua usque ad collum, tu tamen in ipsis jaceres permanens sine acedia)) His igitur & tu remediis utere ad profligandum torporem, & comparandum animi fervorem.

In vitis Patrum lib. 3. Rufin.

Ibidem.

Ibidem.

3tio in praxi cavendi Acediam adhibe quoque proportionatè supradicta. l. 2. *tra.* 1. *c.* 1. *sect.* 4. *subs.* 2. § 2. & 3.

§. III.
Species & Filiæ Acediæ.

A S. Gregorio Filiæ Acediæ numerantur malitia, rancor, pusillanimi-

S. Gregor. l. Moral. 31. c. 31.

lanimitas, deſperatio, torpor, evagatio mentis circa illicita. De quarum aliis agimus hìc ſuis locis, de aliis §. præcedenti.

Gvill. Peral. ſum. vitior T. 2. de Acedia. *Gvillelmus Peraldus* præter hæc, alia vitia quoque ad Acediam ſpectantia ponit, nempe otium, dilationem, ſomnolentiam; de quibus hìc ſigillatim. Nam alia ibidem enumerata parum differunt ab iſtis, & à S. Gregorio ſpecificatis.

Primum Punctum de Otio.

OTium *eſt ſuperflua vacatio ab utili negotio, & labore in temporalibus, vel ſpiritualibus.* Dicitur *ſuperflua* &c. Nam moderata quies eſt neceſſaria corpori, & animæ. Dicitur *ab utili* &c. quia inutilibus & minùs neceſſariis (ut ſunt pleræque occupationes mundi hujus) ſeſe occupare etiam graviter, reputatur apud prudentes, quantò magis apud DEUM pro otioſitate. Dicitur *in temporalibus*, quia etiam horum cura neceſſaria & moderata, per intentionem rectam directa ad ſupernaturalem finem, ſortitur ſpeciem virtutis, aliàs, eſt indifferens, cujus intentionis ceſſatio habetur quoque pro otio.

Proverb. 10. *Contra Otium* eſt 1mo. *Proverb.* dicitur: Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt, qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis: *Proverb.* 12. *Item* Qui ſectatur otium, ſtultisſimus eſt. *Eccl.* 33. *Eccl.* Multam malitiam docuit otioſitas. *Luc.* 13. Chriſtus de ficulnea ſterili repræſentante bonis operibus infructuoſam animam, ait: *Succide eam* (per mortem) *ut quid terram etiam occupat.* *2. Theſſal.* 3. *Apoſtolus* Si quis non vult operari, nec manducet. *Tit.* 3. *Idem.* Diſcant autem & noſtri bonis operibus prodeſſe ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi. 2do.

Chryſoſt. hom. 16 in Epiſt. ad Ephes. *S. Chryſoſtomus*: Otium malitiæ pars eſt, imò verò non pars, ſed cauſa & mala radix; Omnem quippe malitiam docuit otium, itaque cavendum eſt, nè ſtultè quæſtiones iſtas indagemus, nempe quem ſit habiturus locum, qui nihil boni fecit. Nihil enim boni facere, hoc ipſum eſt malum facere. Dicas enim velim, ſi famulum haberes, qui etſi nec furaretur, nec convitiaretur, nec contradiceret, imò nec inebriaretur, nec malorum quidquam deſignaret, ſed eſſet tamē perpetuò otioſus, nec aliquid eorum, quæ ſervus hero ſuo præſtare debet, faceret; non flagellares illū, ut perverſum?

S. Bernar. lib. 2. de Conſid. *S. Bernardus*: Si rectè ſapiens hortatur ſapientiam ſcribi in otio, caven-

cavendum & in otio, otium eſt. Fugienda proinde otioſitas mater nugarum, noverca Virtutum. Inter ſeculares nugæ, nugæ ſunt, in ore ſacerdotis blaſphemiæ. Interdum tamen ſi incidant, ferendæ fortasſis, referendæ nunquam. *Caſſianus*: Hæc apud Æ- *Caſſianus lib. 10. inſtit. c. 23.* gyptum ab antiquis Patribus ſancta eſt ſententia, operantem monachum dæmone uno pulſari, otioſum verò innumeris ſpiritibus devaſtari. *S. Auguſtinus*: Per hanc otioſitatem accendimur fre- *Auguſt. ſerm. 16.* quenter ad luxuriam, per hanc animamur ad ſuperbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicatè paſci, per hanc provocamur pretioſè veſtiri, per hanc ad ſuperfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba ſecularia ducimur. Nunquam quis civis cælorum erit, ſi otioſitatem amaverit. *Idem*: Quem tædet orare, vel pſallere, laborare manibus non differat *S. Aug. ſerm. 16. ad fratres in Eremo.* cogitans, quod quamdiu David exercitavit ſe in militia, non inſultavit ei luxuria; ſed poſtquam in domo otioſus remanſit, laboravit adulterio, & homicidium commiſit. Samſon dum cum Phili- *2. Reg. 11.* ſtæis pugnavit, non potuit capi ab hoſtibus, ſed poſteaquam dor- *Jud. 16. 21.* mivit in ſinu fœminæ, & otioſè cum ea remanſit, mox capitur & cœcatur ab hoſtibus. Salomon dum occupatus eſſet in ædifica- *3. Reg. 11.* tione templi non ſenſit luxuriam, ſed mox recedens ab opere, perſenſit inſultum luxuriæ, & deficiens, fœmina inſtigante ad idola, adoravit in thalamo vitulum aureum. Vigilate ergo fratres mei, & nolite deficere, quia nec ſanctiores Davide, nec fortiores Samſone, nec ſapientiores Salomone vos eſſe cognoſco.

3tio. Quidam mendicus ſanus & fortis otio ſemper vacabat. Hic *Gotſchalcus ſerm. 7. parte æſtival. Lit. E.* ſæpe monitus fuit, ut laboraret & communitati deſerviret, ſed hoc omnino recuſavit. Contigit ſemel, ut præ torpore & otio dormiret, accesſit unus ſanctus homo, & accepit fruſtum panis de ſacco mendici & poſuit ſuper pectus medium dormientis, & ſtatim cœpit ſe in ſomno miſerabiliter habere, & ululare. Qui cùm vidiſſet, tulit panem de pectore ejus, & eum excitavit dicens. Quid obfuit tibi in ſomniis frater? Qui reſpondit, videbatur mihi quòd magnus mons iaceret ſuper corpus meum, & depresſiſſet me uſque ad profundum inferni. Cui ille homo reſpondit. Erras frater non fuit mons, ſed parva eleemoſyna de ſacco tuo; ergo videas quantum tibi noceat mendicitas. *Aliud.* Sic legitur de S. Nico-

Gotschalcus Hohen. Ordinis Erem. D. Aug. serm. de Dedicatione lit. G. Nicolao Tolensi, quòd quando audiverit horologium, semper dixerit: ô Domine DEUS meus, jam iterum unam horam temporis consumpsi de qua oportet me tibi reddere rationem. Quia de hoc singulariter conqueruntur damnati, 2dùm quod narrat Humbertus, quòd quidam existens in orationibus, audivit quandam vocem lugubrem, & quæsivit quis esset? Respondit sum anima una damnata. Et ille. Cur tam amarè fles? Respondit, ego & omnes damnati de nulla re tantùm dolemus, sicuti de tempore, quod inutiliter consumpsimus, ideoque formidandum est illud judicium.

Praxis. *Apage igitur infelix otium! Salve beatum temporis pretium! Quanta dementia terere inutiliter tempus! tempus, quo facilè possum assequi veniam culparum, indulgentiam poenarum, altissima augmenta cæli deliciarum, dignitatum, divitiarum. O momenta temporis omni auro & lapide pretioso ponderosiora? Cur infelix tui valorem non consideravi? Cur id, quod restat temporis vitæ meæ & forsan jam modicum & incertum fructuosissimè impendere dissimulo? Ecce DEUS meus jam ab hoc momento, tempus erit mihi in magno momento, occupationes frivolas, nè dicam perversas anathematizo: semper aliquid boni cogitabo, loquar, faciam: Semper actus indifferentes ad hujus vitæ necessitatem pertinentes, ad intentionem bonam lucris æternis reddam dignos. Quod ut fiat, neve tantillum mihi temporis otiosè præterfluat, ordinem mihi temporum & actionum talem & talem jam præscribo, nec ultrà differo* (quod etiam actualiter fac juxta supra datas praxes & modos) *Adjuva me DEUS meus in servanda hac dispositione temporum, & actionum; adjuva me, in frequentanda recta intentione. Virgo Beatissima succurre, sit efficax hoc propositum meum: Sancti Patroni auxiliamini mihi &c.*

1. 2. tra. 1. sect. 4. subs. 1. § 9. sub Circũstantia Quando.

Ibidem subs. 2. § 2. & 3. Vide etiam dicta supra, & hic convenienter adhibe.

Secundum Punctum de Procrastinatione.

Dilatio seu Procrastinatio est vitium, quo homo de die in diem differt converti ad DEUM, vel conversus agere ea, quæ sunt salutis æternæ. *Eccli 5.* *Contra quam imo* Eccli: *Non tardes converti ad Dominum & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Hujus dilationis causa est, promittere sibi vel longiorem vitam, vel in ejus periculo, sive articulo mortis gratiam pœnitentiæ. Sed

tiæ. Sed audi Eccl. *Repromisſio nequisſima multos perdidit.* Unde CHRISTUS. *Eſto te parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* *Eccl. 29.* *Luc. 12.*
2do. S. Baſilius: Suſcipiamus tandem aliquando curam animarum noſtrarum. O Fratres mœreamus ob ſtultitiam vitæ ante ingreſſæ, decertemus pro futuris; nè amplius in hac perſtemus, nec præſens ſemper per negligentiam amittendo, in craſtinum verò & conſequens actiones differendo, revocati ab eo, qui repoſcit animas noſtras, nec bonis operibus præparati à gaudio ſponſi excludamur. Fruſtrà tum peſſimè actam vitam lugebimus, cùm nihil ampliùs hoc pœnitentibus proderit. *S. Benedictus:* Exurgamus ergo tandem aliquando excitante nos Scripturâ ac dicente: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*, & apertis oculis noſtris ad Deificum lumen, attonitis auribus audiamus, Divina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens: *Hodie ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra.* Et iterum: *Qui habet aures audiendi, audiat: quid Spiritus dicat Eccleſiis.* Et quid dicit? *Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, nè tenebræ mortis vos comprehendant.* *S. Baſil. orat. 4 de Poenit.* *S. Benedictus in Prologo Regulæ Rom. 13.* *Pſalm. 94.* *Apoc. 12.* *Pſalm. 33.* *Joan. 12.*
S. Auguſtinus: Verum quidem dicis, quòd Deus pœnitentiæ indulgentiam promiſit, ſed huic dilationi tuæ diem craſtinum non promiſit. *S. Bernardus in Sermonibus parvis: ſupra illud Pſal. 15.* Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt. Quid diſſimulant homines in vita ſua agere pœnitentiam, & extrema de confeſſione præſumunt? Quomodo ſub unius horæ articulo revocari poſſe omnia æſtimant animæ membra, cujus concupiſcentiæ & deſideria per totum mundum ſparſa ſunt? &c. Si benè memini in toto Canone Scripturarum unum Latronem invenies ſic ſalvatum. Noli ergò huic tam periculoſæ expectationi credere temetipſum. Et quidem Spiritus non modò ubi vult, ſed quando vult ſpirat: nec ei difficile eſt, de ſubitò perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alii conſequuntur: Sed unde ſcis, quod tunc tibi ita ſubvenire velit, quem tu interim ſic repellis? Benignus eſt quidem Spiritus ſapientiæ, ſed non liberabit maledicum à labiis ſuis. Audi quis ille ſit; Maledictus qui peccat in ſpe. *3tio: ab exemplis: B. Gregorius de procraſtinatione agens,* refert quendam virum nobilem Chryſaurium nomine vitâ improbum, qui ad extrema deveniens, *S. Auguſtinus in Pſalm 114.* *S. Bernardus ſerm. 38.* *Gregor. homil. 12. in Evangel.*

veniens, apertis oculis vidit tetros & nigerrimos spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, ut ad inferna claustra se raperent. Cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis vocibus inducias petere. Jacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat, vertebatur ad parietem ubi aderant. Cumque constrictus nimis relaxare se jam posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare dicens: *Inducias vel usq; manè, inducias vel usq; manè.* Sed cùm hæc clamaret, in ipsis suis vocibus habitaculo suæ carnis evulsus est. Nos ergo fratres charissimi, nunc solicitè ista cogitemus, nè nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad benè agendum vivere, cùm jam compellemur de corpore exire. *Aliud.* Refert *V. Beda* dicens: Novi fratrem positum in monasterio nobili, sed ignobiliter viventem. Corripiebatur quidem sedulò à fratribus ac majoribus loci, & quamvis eos audire noluisset, tolerabatur tamen longanimiter ob necessitatem operum ipsius exteriorum, (erat enim fabrili arte singularis) serviebat autem multùm ebrietati, & cæteris vitæ remissioris illecebris; magisque in officina die noctuque residere, quàm ad psallendum, quàm ad orandum in Ecclesia, audiendumque, cum fratribus vitæ verbum, concurrere consueverat. Unde percussus langvore, atque ad extrema deductus vocavit fratres, & multùm mœrens, ac damnato similis, cœpit narrare, quia viderit inferos apertos, & sathan demersum in profundis tartari. Caipham quoque cum cæteris qui occiderunt Dominum juxta eum flammis ultricibus traditum. In quorum vicino inquit: Heu misero mihi locum conspicio æternæ perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres diligenter cœperunt exhortari, ut pœnitentiam ageret. Respondit ille desperans! Non est mihi tempus mutandi vitam; Talia dicens sine Viatico obiit salutis, & corpus ejus in ultimis est monasterii locis humatum, neque aliqui pro eo Missas facere, vel Psalmos cantare, vel saltem orare præsumebant. *Et infra:* Factum est hoc nuper in provincia Berniciorum, ac longè latèque diffamatum, multos ad agendam, vel non differendam scelerum suorum pœnitudinem provocavit. *Aliud:* Meliùs ergo fecit *S. Augustinus*, qui in Libro octavo confessionum, cùm primis capitibus docuisset se exemplo

Beda in Histor. Ecclesiast. de Gente Anglorum. lib. 5. c. 15.

S. Augustinus lib. 8. Confess.

Victo-

Victorini recens conversi vehementer commotum ad mutandam turpem vitam tandem cap. 5. ait. *Sed voluntas vetus pugnabat contra novam. Ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Differens dicebam; modò, ecce modò, sine paululum. Sed modò & modò non habebat modum.* Deinde c. 8. exponit quantam pugnam habuerit in se vincendo. *Fremebam mecum inquiens, quòd non parerem tibi DEUS.* Et cap. 9. *Imperat animus, sed non obsequitur corpus.* Et cap. 10. *Nolebam & volebam, & disfidebam à meipso.* Et cap. 12. *Sub ficu stravi me flens, quamdiu, quamdiu? cras & cras, & quare non modò, quare non hac horâ finis turpitudinis meæ? Audio vocem: Tolle lege, tolle lege.* Legit codicem D. Pauli, & tandem convertitur.

Praxis. Et tu fac similiter vitans illud corvinum: cras, cras. Hic & nunc tuum, cras non tuum. Modò, modò hac horâ sit finis malitiæ tuæ. Incipe jam agere pœnitentiam, percute pectora, jam ab hinc converte te ad meliora, ex nunc invoca DEUM, indulgeat tibi amplius temporis & gratiæ ad lamenta pœnitentiæ, ad spatia ferventioris vitæ. Precare apud DEIparam, Sanctosque similia, &c.

Accipe quoque hic congruo modo, quæ suprà dicta sunt. *l. 2. tr. 1. C. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.*

Tertium Punctum de Somnolentia.

Contra Somnolentiam 1mo. *Proverb.* Usquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias, & veniet tibi, quasi viator egestas (*temporalis, ac spiritualis*) & pauperies quasi vir armatus: si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te. *Eccles.* Hora surgendi non te trices. *Thren.* Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: Leva ad eum manus tuas. *S Bernard.* Quantùm ad debitum continui processus, nihil temporis tam perit de vita nostra, quàm quod somno deputatur. *Prov. cap. 6. Eccles. 32. Thren. 2. S. Bernardus ad Fratres de Monte.*

2do. Ab Exemplis: Somnolentus à dæmonio equitatur, & in apostasiæ volutabrum revertitur. Erat in Monasterio Eversabiensi juvenculus quidam Henricus nomine Agrentinensis natio- *Collector speculi ex gestis Virorum illustrium Ordin. Cistert.*

natione, robustus & vegetus corpore, sed spirituali macie fædus, & debilis corde, quales heu nostris temporibus multos videmus & dolemus, plus formidantes temporaliter macerari, quàm gehennæ suppliciis deputari. Qui juvenis licèt in cunctis observantiis ordinis segnitiei & inefficaciæ à cæteris fratribus notaretur, gravius tamen in executione Divini servitii delinquebat, ut sacras vigilias quasi causâ infirmitatis ad repausandum frequenter deserere solebat; qui privatis publicisquè in precationibus minimè correctus, dum quadam vice chorum egressus versus infirmitorium progreditur, ecce vidente Priore teterrimus dæmon collo illius insiliit miris cum gesticulationibus, & cachinnationibus. Tandem ille miser sessoris sui mortifero consilio factus est apostata vilis. *Aliud.* Felicior fuit frater ille, de quo *in Vitis Patrum*, qui una nocte septies resistendo somnolentiæ, septem in cælo coronas promeruit.

Et tu fac similiter. Nè pro carnis inerti quiete perennibus crucieris pœnis, quin potius brevi labore vigiliarum æternam requiem obtineas.

1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4 subs. 2. § 2. & 3. *Adhibe etiam hìc supra specificata, proportione servatâ.*

§. IV.
De Invidia.

Ita D. Thomas 2.2.q.36. art.1. Oppositum 3tium, prout est Contrarium Gaudio spirituali est *Invidia, quæ est Tristitia de bono proximi, prout proprium malum æstimatur, & diminutivum proprii boni.* *Ibidem art. 2.* Cùm verò ut ait *D. Thomas*, aliquis dolet de bono alicujus, inquantum ex hoc timetur nocumentum vel sibi ipsi, vel etiam aliis bonis, talis tristitia non est invidia. *Item*, potest tristari aliquis de bono alterius, non ex eo quòd ipse habet bonum, sed ex eo quòd nobis deest bonum illud, quod ipse habet. Et hoc propriè est zelus. Et si iste zelus sit circa bona honesta, laudabilis est: 2dum illud 1. *Cor.* 14. Æmulamini spiritualia: si autem de bonis temporalibus, potest esse cum peccato, & sine peccato. *Item*, tristatur aliquis de bono alterius inquantum ille, cui accidit bonum, est eo indignus, intelligitur autem istud bonum non aliquod honestum, sed tale quod potest accidere dignis & indignis; quale v. g. sunt divitiæ. Et hujusmodi tristitia prohi-

prohibetur in S. Scriptura juxta illud: Psal. 72. Pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns

Est & alia quædam Invidia, quæ dicitur *Invidentia fraternæ gratiæ*, inter gravissima peccata computata, definiturque juxta D. Thomam, *Esse dolor de ipso augmento gratiæ DEI, non solùm de bono proximi. Unde ponitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia per hanc invidentiam homo quodammodo invidet Spiritui Sancto, qui in suis operibus glorificatur.* *S. Gregorius* invidiam describit: Cùm devictum cor livoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant, quàm graviter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigescunt: fit in cogitatione rabies, & in dentibus stridor, cùmque in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore cordis terebrat conscientiam vulnus inclusum.

D. Thom. 2. 2. q. 36. a. 4. ad 2.

S. Gregorius l. 5. Moral. c. 32.

Incitamenta fugiendi invidiam sunt. 1mum. *Job*: Parvulum occidit invidia. *Prov*: Qui ruinâ lætatur alterius; non erit impunitus. *Et*: Qui festinat ditari & aliis invidet, ignorat quòd egestas superveniet ei. *Sap*: Neque cum invidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. *Prov*: Nè comedas cum homine invido, & nè desideres cibos ejus: quoniam in similitudine arioli & conjectoris æstimat, quod ignorat. Comede & bibe dicet tibi, & mens ejus non est tecum.

Job. 5.
Prov. 17.
Prov. 28.
Sap. 6.
Prov. 23.

2dum. *Doctor Angelicus* ait: Invidiæ peccatum vitium est capitale, cujus filiæ sunt Susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi & in prosperis afflictio: quia in conatu invidiæ est aliquid tanquam principium, & aliquid tanquam terminus. Principium quidem est ut aliquis diminuat gloriam alterius, vel in occulto & sic est susurratio, vel manifestè & sic est detractio; Medium autem est, quia aliquis intendens diminuere gloriam alterius, aut potest, & sic est exultatio in adversis, aut non potest, & sic est afflictio in prosperis. Terminus autem est in ipso odio, quia sicut bonum delectans causat amorem, ita tristitia causat odium; Afflictio autem in proximi prosperis uno modo est ipsa invidia, inquantum scilicet aliquis tristatur de prosperis alicujus secundùm quod habent gloriam quandam: alio verò modo est filia invidiæ, secundùm quod prospera proximi eveniunt, contra

D. Thom. 2. 2. q. 56. art. 1.

D. Thom. 2. 2. q. 36. art. 4. ad 2.

conatum invidentis, qui nititur impedire. Exultatio autem in adversis non est directè idem quod invidia, sed ex ea sequitur. Nam ex tristitia de bono proximi, quæ est invidia, sequitur exultatio de malo ejusdem. *S. Augustinus.* Avertat DEUS Invidiæ pestem ab animis omnium ne dum Christianorum. Vitium enim diabolicum est invidia, quo solo diabolus reus est & inexpiabiliter reus. Non enim dicitur diabolo ut damnetur, quia adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti, sed quia homini stanti tu lapsus continuò invidisti. Superbiam sequitur invidia, tanquam filia & pedisequa. Quam quippe superbia continuò parit, nec unquam est superbia sine tali prole atque comite. *S. Chrysostomus.* Invidi pejores sunt feris, dæmonibus autem pares, & fortè deteriores: Nam feræ escæ indigentes, vel à nobis irritatæ adversus nos armantur: invidi verò etiam beneficiis allecti benè meritos maleficiis prosecuti sunt. Dæmones quoque, licèt contra nos bellum exerceant impacatum, consortibus tamen generis non insidiantur, unde Judæis Christus os occludit, cùm eum in Beelzebub ejicere dæmonia calumniarentur, invidi verò neque naturæ communionem reveriti sunt neque sibi pepercerunt. *Et paulò post:* Omni veniâ caret hoc peccatum; nam fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem, homicida furorem. Tu verò quam dices causam? rogo: nullam penitus nisi tantùm intensam nequitiam &c. Hoc vitium & fornicatione pejus est & adulterio; hoc enim in operante tantùm sistit, invidiæ verò vis totam subvertit Ecclesiam, & toti nocet terrarum orbi. Hæc homicidii mater est: Ita fratrem Cain occidit, ita Jacob Esau, ita Joseph fratres, ita cunctos homines diabolus. S. *Cyprianus.* Mala cætera habent terminum, & quodcunq; delinquitur, delicti consummatione finitur; invidia terminum non habet, permanet jugiter malum & sine fine peccatum. *S. Gregorius.* Quamvis per omne vitium, quod perpetratur humano cordi antiqui hostis virus infundatur, in hac tamen nequitia tota sua viscera serpens excutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit. *Hæc Gregorius.* Invidia est vitium summi cruciatus. Hinc dicitur Proverb. *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium invidia.* Et Horatius: Invidiâ Siculi non invenêre Tyranni, Tormen-

S. Augustin. de Vir. Sanct. c. 31. Tom. 6.

S. Chrysostom. hom. 40. ad popul.

S. Cyprianus Epist. de zelo.

S. Gregorius l. 5 Moral. c. 34.

tormentum majus. Porrò *S. Cyprianus* tum hunc effectum, tum alios pessimos enumerans ita inquit: Zelo excœcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, DEI timor spernitur, Magisterium Christi negligitur; judicii dies non providetur, inflatur superbiâ, exacerbatur sævitiâ, perfidiâ prævaricatur, impatientiâ concutitur, furit discordiâ, irâ fervescit, nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur. *Et paucis interjectis invidiam graphycè depingens*: Qualis, inquit, est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est odisse in eo vel merita propria, vel beneficia Divina, in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, ita quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis serceta malevolentiæ ungulis pulsent, non cibus talibus lætus, non potus potest esse jucundus, suspiratur semper & ingemiscitur, & doletur. *S. Gregor. Nazianzen.* in vita Moysi hæc profert. Invidia, inquit, malorum princeps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ causa, ignaviæ principium, mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, figens animam clavus, flamma cordis, intestinus ignis. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est. Milvis similis, quos cadaveribus pasci, & pretioso ungvento emori ajunt *S. Basilius.* Invidiosum viperæ assimilat, qui suo fœtu invidiæ seipsum perimit.)) Ægyptii assimilant Basilisco, qui suis oculis ad funera terrarum natus, sicut è respectu speculi repercusso in se halitu, propriis telis enecatur: ita invidiosus in puram animam ejaculans maledicta, suis se conficit sagittis. Apposité Ecclesiast. *Nequius oculo* (malo vel invido) *quid creatum est?* Et illud: *Nequam est oculus lividi, & avertens faciem suam, & despiciens animam suam.*

S. Cyprianus de zelo, &c.

S. Gregorius Nazianzen. in Vita Moysis.

S. Basilius Sen. invid.

Eccl. cap. 31.

Ibid. cap. 14.

3 *tium, ab Exemplis.* Invidi sunt imitatores diaboli. Hinc

Sap.

Sap. 2. *Sap.* dicitur: *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Invidi sequuntur Cain. Unde illud: *Propter quid Cain occidit Abel? quia opera ejus erant maligna; fratris autem ejus justa. Sed Væ illis! qui in viam Cain abierunt.* *Aliud:* Florentinus quidam invidens virtuti, & eam consequenti gloriæ S. Benedicti, eum per suam malitiam cum Discipulis aliò migrare compellens, dum ex abitu S. Patris exultat, solarium in quo stabat, concidit, hostemque Benedicti conterens extinxit.

2. Joan. 3. *Judæ Epist.* *S. Gregorius Dialog. cap. 8. lib. 2.*

Praxis profligandi Invidiæ scelus est. *1mo.* Exercere se in contemptu sui, aliisque actibus & affectibus invidiæ contrariis. V.G. Itanè anima mea alieno malo lætaris, bono cruciaris? Nunquid non bonum objectum lætitiæ, malum tristitiæ? ut quid ergo invertis ordinem naturæ? Pudeat te tantæ perversitatis! Quid? O nequam oculum virulentiâ livoris infectum, quàm totam tenebrosam efficis animam! O belluis! O ipsis dæmonibus (ut supra habes) te pejorem invidum hominem! Clementissime DEUS miserere mei, & libera me à pestifero toxico invidiæ. Fer opem Mater DEI, & succurrite Sancti Patroni mei N. N. irroretur dulcedine charitatis, expurgetur malitiâ cor meũ &c. *2do* Prodere coram Patre Spirituali latens virus invidiæ: alioquin difficulter curabitur. Unde *Cassianus* ait: Eum quem semel veneni sui peste (invidia) corruperit, pene dixerim carere remedio; ipsa namque est lues de qua figuraliter dicitur per Prophetam: Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos. *3tio S. Bonaventura* hisce remediis invidiæ medetur 1. inquit, invidiæ summum remedium, ut unusquisque toto corde omnia, quæ mundi sunt, ex quibus contentio, rixa, vel invidia oriri potest, cordialiter despiciat, sive sint divitiæ, sive honores. 2. nè quis sapiens sibi sequatur propriam suam voluntatem nulli acquiescens & hoc causat maximè discordiam & rancorem. 3. ut sciat quæ utilia sunt, ac necessaria postponenda bono charitatis. Nam si habeam fidem, ita ut montes transferam, si lingvis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero; nihil mihi prodest. Ideo super omnia exercitia, in omnibus operibus, præ omnibus debemus quærere fraternam charitatem. Nec est aliquid, quod tantum Angeli, & Dominus Ange-

Cassianus Collat. 18.

Isa. 14.

S. Bonaventura Opusc. de pugna spirit. cap. 5.

1. Cor. 13.

Angelorum in nobis invenire desiderat, sicut fraternam unionem, & mutuam charitatem. 4. Ut unusquisque summopere iracundiam & alia, quibus fratrem offendit caveat,& devitet: & si quando contra fratrem excessit, humiliter satisfaciat, si quando frater contra eum rancorem sine causa concepisset quantum in ipso est studeat pacificare. Hæc habentur in collatione Patrum XVI. *Ita S. Bonaventura.* *l.2. tra. I. c. I. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.*

Applica quoq; hic convenienter, quæ suprà scripta sunt.

SECTIO X.

De Pace.

PAx *est fructus Spiritûs Sancti; estque actus seu effectus charitatis, importans propriarum appetitionum inter se, tum appetitûs proprii cum appetitu alieno unionem.* *D. Thom. 2. 2. quæst. 29.* Dicitur: *Fructus Spiritûs Sancti*, in quantum est quoddam finale bonum, spiritualem dulcedinem habens. Dicitur: *Actus seu effectus charitatis, &c.* Quia utramquè supradictam unionem efficit charitas: Primam quidem unionem efficit charitas: Primam quidem unionem secundùm quod DEUS diligitur ex toto corde, ut scilicet omnia referamus in ipsum, & sic omnes appetitus nostri feruntur in unum. Aliam verò prout diligimus proximum sicut nos ipsos: ex quo contingit, quòd homo vult implere voluntatem proximi, sicut suiipsius; Unde Tullius de amicitia in 3. inquit, quod Amicorum est idem velle,& nolle.)) Pax, seu quies,tranquillitas, concordia respectu DEI & proximi; Deinde pax, otium, sabbathismus, silentium, spiritualiter sumpta idem sonant.

Gradus Pacis ex Formula aurea Seraphici Doctoris.

S.Bonaventur. Tom.I. de Gradibus Virtutum Graduum Christianæ pacis ordo.

I. PAcis altus gradus est, cùm caro subjicitur spiritui,sive rationi, difficilem se reddens ad omnia mala perpetranda. Altior,cùm subjicitur caro spiritui, promptam se exhibens ad omnia bona facienda. Altissimus, est cùm spiritus subjicitur DEO, omnem ordinationem tam in exterioribus,quàm in interioribus animæ viribus penitus observando, Iste ultimus gradus servatur in cælo.

II. Item altus gradus eſt, inferioribus parcere, ſi in aliquo exceſſerunt, eosque benignè conſolari, ſi in aliquam afflictionem inciderint. Altior eſt, cum paribus benignè converſari, ita quòd faciat eis bonum, quod ſibi juſtè vult fieri, nec inferat malum aliquod, quod ſibi juſtè non vult fieri. Altisſimus, voluntatem ſuam voluntati ſuperiorum in omnibus conformare.

III. Item altus gradus eſt, nullum turbare factis. Altior eſt, nullum turbare verbis, vel facie, vel in verbis poſt tergum. Altisſimus eſt, nullam dare occaſionem juſtam alicujus turbationis ſigno, nutu. In omnibus iſtis gradibus fuit Chriſtus ſecundùm illud. Non veni facere voluntatem meam, &c.

IV. In altum gradum pacis aſcendit, qui mala proximorum non publicat. In altiorem gradum, qui bona proximorum non minuit, nec denigrat, nec invertit, ſed extollit. In altisſimum aſcendit, qui defectibus eorum compatitur, & profectibus eorum ex corde congratulatur: in iſto gradu fuit Chriſtus.

D. Bonavent. Opuſc. de 7. grad. Contemplat. extraord.

Myſtica quies aſſertore D. Bonaventura, eſt totius animæ mira "quædam & ſuavis tranquillitas per infuſam nobis ex frequen"tia orationis dulcedinem concreata. Solis valde ſpiritualibus "experientia hujus quietis conceditur, quibus & datur etiam "ipſas ſupercæleſtes ſubſtantias contemplando tranſcendere. "Superignota enim bonitas ipſis familiaris, ſeipſam eis immit"tit & ipſi totâ virtute dilatato ſinu ſancti deſiderii, potenter ſu"ſcipiunt beatas immisſiones, animalibus præſumptuoſis omni"no incognitas. Sic igitur puris Sanctorum Contemplativorum "animabus tam inſueto nutrimento ditisſimè adimpletis ſplen"deſcit ipſorum ratio, dulceſcit concupiſcentia, hilareſcit iraſci"bilis, ex dilectione quorum Deificam illam quietem non ambi"gimus emanare. Hujusmodi quies typus eſt illius cæleſtis "pacis, ad quam donec perveniamus ex toto, necdum quieti eſſe "poſſumus juxta illud D. Auguſtini effatum. *Quia feciſti nos ad Te* "*(ô DEUS) inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in Te.*

S. Bonavent. de grad. Virt. T. 2. Graduũ Chriſtianæ concordiæ Ordo.

Gradus Concordiæ ex Formula aurea Seraphici Doctoris.

Concordiæ altus gradus eſt, concordare cum Sanctis hominibus

nibus in Sancta conversatione. Altior, concordare cum Sanctis Angelis in continua laude DEI. Altissimus, concordare cum DEO in perfecta voluntate.

Item altus gradus est, concordare cum subditis, eorum defectibus compatiendo. Altior, concordare cum paribus & sociis, profectibus eorum congaudendo. Altissimus, concordare cum Prælatis, voluntati eorum obediendo in omnibus. II.

Item altus gradus est, concordare cum perfectis, præcepta DEI servando. Altior, concordare cum perfectioribus, consilia DEI in Scriptura perficiendo. Altissimus, concordare cum perfectissimis, Divinis moribus se conformando. III.

Item altus gradus est, concordare cum omnibus hominibus, quantùm in se est, ut omnis perturbatio caveatur. Altior est, concordare cum omnibus hominibus propter quietem propriam, nè homo in se ipso affligatur. Altissimus est, concordare cum omnibus hominibus, nè propter inquietudinem cordis DEUS ab ipso, vel ipse à DEO, ad breve vel ad longum tempus alienetur. In omnibus his fuit Christus. IV.

Illicia ad studium comparandæ pacis hæc sunt: 1*mum.* *Proverb.* Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. *Item*: Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma. *Job.* Acquiesce ei & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. *Marc.* Pacem habete inter vos. *Rom.* Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Cor.* Pacem habete, & DEUS pacis & dilectionis erit vobiscum. *Prov.* 12. & 18. *Job.* 22. *Marc.* 9. *Rom.* 12. 2. *Cor.* 13.

2*dum.* Pax hominum est delicium Angelorum. *S. Bernardus*: Attamen super omnia hæc unitatem & pacem à nobis exigunt *Angeli pacis*, quidnî maximè delectentur in his, quæ formam quandam civitatis suæ repræsentant in nobis, ut mirentur Hierusalem novam in terra? Dico autem ut quomodo civitatis illius participatio est in idipsum, sic & nos in idipsum sentiamus, idipsum dicamus omnes & non sint in vobis schismata, sed magis omnes simul unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra. *Idem: Beati Pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur.* Meritò filii DEI nomine vocabuntur, qui Filii opus impleverunt. Ipse enim est, per quem reconciliati pacem habemus ad DEUM. *S. Bernardus Serm. 1. in festo S. Michaelis.* *Idem Serm. 1. in festo Omnium Sanctorum.*

Ipse qui pacificavit in sangvine suo, quæ in cælis sunt, & quæ super terram, mediator DEI & hominum, homo Christus JESUS. *S. Augustinus.* Scriptum est; In tribus placuit Spiritui meo, quæ sunt probata coram DEO, & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier consentientes sibi. Concordia ergo fratrum voluntas DEI est, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiæ regula, materia doctrinæ, morum custodia, atquè in rebus omnibus laudabilis disciplina, pax suffragio precum & supplicationum facilis atque impetrabilis; quia desideriorum omnium competens est plenitudo, sicut scriptum est in Apostolo: Pax conventionis amabilem DEO facit in fratribus: quæ charitatis indicat testimonium. Pax ergo dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum, quia sibi exigit de DEO quod velit, quidquid voluerit, petit, & quidquid voluerit, sumit. Pax præceptis regalibus conservanda est, dicente Christo Domino. Pacem meā do vobis, pacē meā relinquo vobis In pace vos dimitto, in pace vos dimisi, in pace vos inveniam. Proficiscens voluit dare, quod desiderabat rediens in omnibus invenire. *Idem.* Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, serenitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, non quærit alienum, nihil deputat suum, docet amare, quæ odisse non novit, nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accipit teneat, qui perdidit repetat, qui amisit exquirat, quoniam qui in eadem non fuerit inventus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, nihilominus à Spiritu Sancto alienus efficitur. S. Bernardus: *Pax seu Unitas illa est*, quam dulcedine sacrā insonat Psalmista: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in Unum!* Cujus Unitatis cùm descripsisset sermo propheticus pulchritudinem, ejus etiam non tacuit utilitatem: *Quoniam illic* inquiens *mandavit Dominus benedictionem & vitam*, hic scilicet benedictionem, & in futuro seculo vitam æternam. Ipsa est inquam Unitas, quam summa diligentia observandam tradidit Apostolus dicens: *Soliciti servare Unitatem Spiritûs in vinculo pacis.*

S. Augustinus Serm. 169. de Temp.

S. Augustin. de Verbis Domini

S. Bernardus Serm. 5. in assumpt. B. V. Psalm. 132.

Ephes. 4.

3tium

3*tium. Ab exemplis*: I. *Apostolus* ait: Non est DEUS dissen- fionis, sed pacis. Et *S. Bernardus*: Tranquillus DEUS tranquil- lat omnia, & quietum aspicere quiescere est. *S. Gregor. Nazianz.* DEUS ipsa est prima, increata, & perfectissima concordia: qua- re summè amat concordes, utpote sibi simillimos, imò ut opus suum proprium & perfectum. II. *Christus*, qui apud Isaiam, titulatur *Princeps pacis*. Apostolus verò: *Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore*. III. *Ab* exem- plo S. Regis David de seipso asserentis: *Cum his, qui oderunt pa- cem, eram pacificus, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.* Tum primitivæ Ecclesiæ, in qua *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Aliud.* Orante Abbate Machario, venit ei vox in cella sua dicens: Machari nondum pervenisti ad mensuram me- riti illarum duarum mulierum illius civitatis. Surgens ergo se- nex manè accepit virgam suam palmeam, & cœpit pergere in civitatem. Cùm ergò pervenisset in eam, reperto loco pulsavit ad januam: Egressa autem una suscepit eum in domum suam, & cùm sedisset, vocavit eas, quæ cùm venissent, sederunt cum eo. Ait autem ad illas senex; Propter vos tantum laborem per- tuli; dicite itaque mihi nunc operationem vestram: At illæ di- xerunt: Crede nobis, quia hac nocte non fuimus in cubili si- ne viris nostris, quam ergo operationem possumus habere? At verò senex cum satisfactione rogabat eas, ut manifestarent actum suum. Tunc dixerunt ei: Nos quidem secundùm seculum ex- traneæ sumus nobis: placuit tamen nobis nubere duobus fratri- bus secundùm carnem. Quindecim hodie annos nos duæ ha- bitavimus in hac domo, & nescimus si aliquando litigavimus ad invicem, aut turpem sermonem dixit una ad alteram, sed in pace & concordia peregimus totum spatium hoc; Subintravit autem nobis in animum ingredi in monasterium Virginum, & rogati viri nostri nobis non consenserunt in hoc. Cùm verò maximè non valuissemus obtinere hujusmodi consiliũ, disposuimus utræq; testamentum inter nos & DEUM, ut usque ad mortem per os nostrum non egrediatur sermo secularis; Audiens autem hoc Ab- bas Macharius dixit: In veritate, quia non est virgo, neq; sub ma- rito agens, neq; monachus, neq; secularis, sed Deus qui secundùm unius cujusque propositum omnibus præstat Spiritum Sanctum.

1. Cor. 14.
S. Bernardus in Cant. serm. 23.
Gregor. Nazianz. Orat. 12.
Coloss. c. 3.
Psal. 119.
Act. c. 4.
Libro de exemplis & doctrinis vitæ spiritualis num. 24.

Ad praxim assequendæ pacis hæc conducunt. *1mo.* Adverte, omnes naturaliter pacem, seu quietem, & contentationem appetitûs sui desiderare. Sed quia pleriq; hujus quietis centrum, seu finem sibi improportionatum, nempe Bonum creatum honorum, deliciarum, divitiarum præstituunt, ad ejusque possessionem viâ illicitâ festinant, minimè optatam pacem & quietem reperiunt. Tum quia bonum quodvis creatum est limitatæ perfectionis, animus verò noster capax est Boni infiniti, hinc movetur desiderio ad altius & altius Bonum, qui motus contrariatur paci. Tum quia non potest exsatiari uno bono, per ejus varia genera cupiditate dispergitur, ut vel multitudine bonorum suppleat defectum finitæ perfectionis unius boni: hæc autem dispersio vel divisio animi per diversa contravenit unitati appetitionum tendentium in unum, quæ est potissima proprietas seu natura pacis. Tum quia bona creata permista multiplici amaritudine, curâ, solicitudine necessariò excludunt pacem animi. Tum denique quia & in quæsitione boni creati, & in ejus possesione, ac usu plerumq; contrariatur rectitudini legis naturæ, legis Divinæ, legis humanæ, hinc agmen malorum prævaricatorem impetit à propria conscientia, à vindice DEO, à legali justitia: ut taceam invidias, obtrectationes, &c. de successu fortunæ alterius: ejusque lubricum ob casum, timorem perpetuum. Hæc & alia prorsus tollunt pacem quæsitam in bonis creatis, quippe
Eccles. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & afflictio spiritûs cuncta, quæ fiunt sub sole.* Ideòque per contemptum mundi procul à se excutiat hæc vana & profana, qui veram exquirit pacem. *2do.* Igitur Amator pacis oblitus, quæ retro sunt, unitis suis appetitionibus totus amore pergat in DEUM unicum ac summum Bonum, in quo perfectam assequetur pacem. Tum quia illud Bonum est unicum adunans in unitatem, varietatem motuum appetitûs, estque plenè exsatiativum & quietativum omnium desideriorum rationalis creaturæ. Tum quia vivens conformiter ad leges & regulas rectas naturæ, Divinæ, humanæ, utpote viâ dilectio-
Psalm. 119. nis DEI, & proximi, quæ est plenitudo legis, incedens, manet imperturbabilis, & tranquillus juxta illud: *Pax multa diligentibus legem tuam.* *3tio.* Observa in particulari, quæ Seraphico Doctore

ad

ad pacem inducunt, eaque sunt tria: *Conformitas cum DEO, humilitas cum proximo, & tranquillitas in seipso.* Et S. Bernardus ostensis impedimentis pacis, ejus remedia prosequitur dicens: Servatur autem hoc unitatis bonum duobus modis ab his, qui curam gerunt servandi. Debet quisque perfectus unitatem habere ad seipsum: debet & ad proximum. Ad seipsum per integritatem, ad proximum per conformitatem. Omnis quippe creatura & maximè rationalis, debet suum principium imitari. Si ergo DEUS noster unus est dicente Moyse: *Audi Israel, Dominus DEUS tuus unus est.* Sed & ille cùm sit unus & idem, atque in seipso perfectus, nec ullo indigens, inest ei tamen benignitas erga nos, & amor ex benevolentia in nos veniens: debemus & nos quisque sibi unus esse per integritatem virtutis, & unum cum proximis per vinculum dilectionis. Hanc imitationem loquens de charitate commendat nobis Apostolus Joannes dicens: *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Sed hanc unitatem, quam quemque sibi ipsi diximus habere debere, tria sunt, quæ solent impedire: nimietas, pusillanimitas, levitas. Et nimii quidem sunt, qui putant se posse, quod non possunt: & quod non acceperunt, præsumunt: quorum speciem tenebat Petrus in Passione Domini, cùm diceret: *Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.* Pusillanimes contrarii sunt nimiis. Et horum quoque tenuit imaginem Petrus, cùm diceret: *Exi à me, quia homo peccator sum Domine.* Leves sunt & inconstantes, qui circumferuntur omni vento doctrinæ: quibus, quod paulò antè placuit, nunc displicet: & quod nunc eligunt, post paululum reprobant. Sed quid prodest hæc vitia enumerâsse, nisi etiam doceamus, quibus remediis ea possit quisque in semetipso curare? Persequamur unitatis inimicos, nec convertamur donec deficiant. Igitur contra nimietatem opponenda est consideratio propriæ fragilitatis. Ipsa enim est, quæ odiosam præsumptionem potissimùm dejicit. Contra pusillanimitatem habenda est Divinæ fiducia potestatis, ut, quod tuis viribus non posse putas, ex illius adjutorio possis, & cum Apostolo dicas: *Omnia possum in eo, qui me confortat, Domino JESU Christo.* Contra levitatem adhibenda consultatio senioris scil. nè doctrinis variis & peregrinis abdu-

S. Bonaventur. in dieta salutis.

S. Bernardus serm. 5. in Assumpt. B.V.M.

Eph. 4.

Deut. 6.

1. Joan. 4.

Luc. 22.

Ibidem.

Phil. 4.

abducaris: Sed facias quod Lex Divina præcipit: Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi. Diximus de illa Unitate, quam habet quisque ad se ipsum, dicamus de illa, quam habet ad proximum. Sed illa duobus modis habetur, dum & nos per dilectionem tendimus in alterum; & alterius quoque vicissim in nobis recipimus affectum. Et hæc etiam duobus modis impeditur, obstinatione, & suspicione; Obstinatio non permittit nos ad alterius cor ingredi, nec suspicio patitur credere nos ab aliis amari, ita fit, ut dum nec nos alium obstinati diligimus, nec nos ab aliis diligi suspiciosi putamus: Unitas quæ cum proximis habenda est, impediatur. Verùm huic duplici morbo duplex charitas medetur, illa scilicet quæ non sua quærit; & iterum illa, quæ omnia credit. Habeat obstinatus charitatem non quærentem quæ sua sunt, & alios diligat. Habeat suspiciosus charitatem omnia credentem, & ab illis se diligi sine dubio credat.

Vide etiam suprà specificata, eaquè hîc convenienter adhibe.

1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subse. 2. §. 2. & 3.

SECTIO XI.

De Oppositis Pacis.

§. I.

Jerem. 6. *Isai. c. 48.*

OPpositum paci primò est, *Pax apparens & non vera*; ut illorum, quorum nomine Propheta dixit: *Pax, pax & non erat pax.* Quippe *non est pax impiis dicit Dominus*, tam scilicet quoad formalem pacem, quàm ad ejus effectum, qui est mentis quædam dulcis tranquillitas, & serenitas. Quanquam verò pacem videantur habere in fortuna temporali: Cor tamen eorum præ multiplici cura, inquietudine, & potissimùm ex remorsu conscientiæ, est *quasi mare fervens.* *Et S. Leo* inquit: Extra dignitatem pacis sunt opprobriorum parilitates, cupiditatum fœdera, scelerum & pacta vitiorum.

Isai. 57. *S. Leo in festo Omnium SS.*

§ II.

De Discordia.

DIscordia est vitium corde commissum Contrariū paci internæ cordis:

cordis. Definitur autem esse *disunio cordis, seu voluntatum circa bonum Divinum vel proximi, in quo promovendo una voluntas cum altera regulata à Divina voluntate convenire deberet.* Estque discordia filia inanis gloriæ, vel superbiæ. Quia discordans ea quæ sua sunt præfert his, quæ sunt aliorum. *V. D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 12.*

Incitamenta cavendi discordiam. *unum. Prov:* Qui provocat iras, producit Discordias. *Matth.* Omne regnum divisum contra se desolabitur, & omnis Civitas vel domus divisa contra se non stabit. *Gal:* Si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini. *2dum.* S. Bernardus: Sicut in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum diabolo fieri manifestum. *S. Gregor:* Discordes etsi boni operis fructus in suis actionibus proferant, profectò nulli sunt, quia non ex unione charitatis oriuntur. *Glossa* In perpetuum cum Cain damnabitur, qui in genere homicidii tenetur, ut discordet à fratribus. *S. August:* 24. Non poterit habere concordiam cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. *3tium:* ab exemplis: Discordes imitantur Luciferum qui primus in cælo fecit discordiam: hinc tanquam fulgur cecidit in gehennam ignis, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *B. Petrus Damianus* refert: quomodo monachus quidam nomine Cunizo astutus, litigiosus, contentiosus, turbatorque fratrum ad hoc devenerit, ut diaboli patrocinium ad superandos æmulos quæreret, eique se manciparet. Qui tandem sine pœnitentia horrendæ morti traditus, infeliciter ad eum cui se devoverat, est devolutus. Postmodum verò per plures noctes nigra canum turma non cessavit sepulturæ ejus assistere, & quasi depositum custodire.

Prov. 30. Matth. 12. Galat. 6. S. Bernardus serm 3. in dedic. Templi. S Greg Past. p. 3. c. 1. ad M. Glossa 1. Joan. 3. S. Aug. de verb. D. Serm. 56. V. Speculum exemp. Joannis Majoris tit. Conversio Exempl. 2.

In Praxi discordia eliminatur actibus humilitatis, charitatis, & pacis. Quia ut docet S. Thom. discordia habet affinitatem cum invidia quantùm ad recessum ejus, à quo aliquis discordat, vel ex quo contendit: sed quantùm ad id in quo consistit ille, qui contendit, habet convenientiam cum superbia, & inani gloria, in quantum scilicet in proprio sensu statur. *S. Thom. 2. 2. q. 38. art. 2.*

Cætera supple proportionatè ex suprà dictis.

1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.

§ III.

§ III.
De Contentione.

D. Thomas ex Ambros. 2. 2. quæst. 38. a. 1. Contentio est vitium, quod ore solet committi; opponitur contrarium paci externæ oris. *Est autem contentio impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.* Estque filia inanis gloriæ. Quia sicut discordantes aliqui sunt in hoc, quòd stant corde in propriis (ea scilicet præferendo alienis) ita contendentes alii sunt ex hoc, quòd unusquisque id, quod sibi videtur defendit, nempe suum sensum præferendo alteri.

Stimuli ad vitandam Contentionem. 1*mus*. Contentiosi sunt caro sine spiritu vitæ, indigni Societate SS. Spirituum. *Ita S. Bernardus* dicens: Nihil æquè offendit, & ad indignationem provocat eos (SS. Angelos) quomodo dissensiones & scandala, si fortè inveniuntnr in vobis. Audiamus siquidem quid loquatur ad Corinthios Paulus. *Cùm sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* In Epistola quoque Judæ Apostoli legimus sic: *Hi sunt qui segregant semetipsos animales spiritum non habentes.* Videre est animam hominis quemadmodum universa corporis membra vivificet cohærentia sibi. Separa ergo quodvis à junctura cæterorum, & vide an de cætero illud vivificet. Sic est omnis qui dicit anathema JESU; quod nemo dicit loquens in Spiritu DEI: quia anathema segregatio est. Sic & omnis, qui ab unitate dividitur, ne dubites quin ab eo recesserit Spiritus vitæ. Dignè igitur contentiosos, & qui separant semetipsos Apostoli *carnales* vocant, & *carnales* spiritum non habentes. Dicunt ergo Sancti illi, & beati Spiritus, ubi scandala invenerint & dissensiones. Quid nobis & generationi huic spiritum non habenti? Nam si adesset Spiritus, per eum utique charitas diffunderetur, & unitas non scinderetur; & dicunt: non permaneamus cum hominibus istis in æternum, quia caro sunt. Quæ enim conventio luci ad tenebras? Nos de regno unitatis & pacis sumus, & homines istos in unitatem & pacem sperabamus esse venturos. Nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident à seipsis.

S. Bernardus in festo S. Michael serm. 1.
1. Cor. 3.
Judæ 1.
1. Cor. 12.

2dus

2dus. Execrandæ proprietates & effectus contentionis. Siquidem asserente *S.Laurentio Justiniano*: Contentio est ignita diaboli sagitta ad perdendas animas. O quanta jurgia, quanta odia oriuntur ex contentiosis sermonibus! O quoties veritas occultatur, & falsum pro vero defenditur timore confusionis! Pessimum namque malum est contentioni vacare, perquam amicitiarum compago dissolvitur, & animorum dulce vinculum dissipatur. Qui contentiosus existit, antiqui hostis in se immissiones admittit. Diaboli ministerium operatur, dirumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat honestatem, sapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, & ipsam cælestem in se occidit charitatem. *Laur. Justin. Libr. de discipl. & Con. Mar. c.13.*

3tius. Quidam senex dixit: Si quis aut de Scripturis, aut de quacunque causa locutus fuerit, ne contendas cum eo, sed siquidem benè dicit, consenti ei; Si verò malè, dic ei: Tu scias quomodo loquaris. Hoc observans, & humilitatem possidebis, & odium evitabis: nam si persistas contendens, & vis defendere sermonem tuum, nascetur scandalum. De quacunque ergò causa si non observaveris contentiones, nullo modo requiem possidebis. *In Vitis Patrum libr.3. Auth. Ruffino.*

Praxis præcavendi contentionem est, *1mo.* Tollere causam contentionis, nempe inanem gloriam, & cessabit suus pestifer effectus. *2do.* Per silentium continere linguam. Qui enim juxta *Bedam* non refrænat linguam, concordiam dissipat. *3tio.* secundùm Ecclesiast. *De ea re quæ te non molestat, ne certes.* *4to.* Etsi molestet, potiùs compone litem, monente Ecclesiast. *Abstine te à lite, & minues peccata: homo enim iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Et *Posthumius* Abbas inquit: Meliùs est Monacho fraudem & injurias sustinere, quàm ut audiatur vox militis Christi in clamore. *Eccles. cap.11. Idem cap.28. In Vitis Patrum Auth. D. Hieronymo.*

Accipe quoque supradata, & hic proportionatè applica. *l.2. tra.1. c.1. sect.4. subs.2. §.2. & 3.*

§ IV.
De Schiſmate.

V. S. Thomam 2. 2. q. 39.

SChiſma ſeu ſciſſio & ſeparatio ab unitate Eccleſiæ, eſt delictum opere commiſſum, oppoſitum contrariè Paci, deſcribiturque eſſe *peccatum, quo aliqui Chriſto ac ejus Vicario ſubeſſe renuunt, & membris Eccleſiæ ei ſubjectis communicare recuſant.* Unde Paulus ad Colos. 2. *Inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum DEI.* Hoc autem caput eſt ipſe Chriſtus, cujus vicem in Eccleſia gerit ſummus Pontifex, Corpus autem Eccleſiæ in qua fideles quaſi unius corporis membra invicem per charitatis unionem cohærent.

1. Cor. 13. In Moral. Homil. 11.

Incitamenta ad fugiendum Schiſma. 1mum. Seipſos ſchiſmatici excommunicant, ſeu à communione Eccleſiæ tanquam putrida membra ultrò abſcindunt. Unde nulla in ipſis remanet vitalitas gratiæ ſpiritualis (hæc enim derivatur à capite Chriſto in ſuum Eccleſiæ corpus myſticum charitate unitum) ſed ſicci & aridi aptificantur æternis ignibus ad comburendum. Imò etſi pro Chriſto per martyrium tales ardeant, juxta Apoſtolum nihil eis prodeſt ob carentiam charitatis. Et *S. Chryſoſtomus* ait: Schiſmatis peccatum nec martyrio poſſe expiari. 2dum. *S. Hieronymus* ad Damaſum Papam ſcribens contra quoſdam ſchiſmaticos ait: Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit, id eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. 3tium. Shiſmatici interfectores Chriſti. Ita *S. Irenæus* ſuam ait utilitatem potius conſiderantes, quàm unitatem Eccleſiæ, propter modicas & quaslibet cauſas magnum & glorioſum corpus Chriſti conſcindunt & dividunt, & quantum in ipſis eſt, interficiunt.

S. Irenæus lib. 4. c. 62.

Igitur & tu cave nè ſis unus de Schiſmaticis ſeu ſciſſoribus vel potiùs interfectoribus corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, quàm ſuo naturali corpore plus æſtimaverit, cùm pro ea illud ad horrendos cruciatus, & mortem libens expoſuerit

l. 2. tra. 1. c. 1. ec. 4. ſubſ. 2. § 2. & 3.

Vide ſuprà dicta & ex eis in praxi hic convenienter ſupple.

§ V.

§ V.
De Bello.

BEllum est peccatum externæ Paci in opere contrarium: *Estq́; injusta unius multitudinis cum suo Principe adversùs aliam multitudinem concertatio.* Dicitur *injusta*, quando est Bellum offensivum, imò etiam defensivum, & caret requisitis rationibus, quas affert Angelicus Doctor ad bellum justum sic inquiens. Dicendum, quòd ad hoc, ut aliquod Bellum sit justum, tria requirantur. 1*mo* quidem Authoritas Principis, cujus mandato bellum est gerendum. Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere: quia potest jus suum in judicio superioris prosequi. Similiter etiam convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam. Cùm autem cura reipublicæ commissa sit Principibus, ad eos pertinet rempublicam civitatis, vel regni, vel provinciæ sibi subditæ tueri, & sicut licitè defendunt eam materiali gladio contra interiores quidem perturbatores, dum malefactores puniuntur secundùm illud Apostoli ad Rom. 13. Non sine causa gladium portat, minister enim DEI est, vindex in iram ei, qui malè agit, ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hostibus, unde & Principibus dicitur in Psal. 81. Eripite pauperē, & egenum de manu peccatoris liberate. Unde August. dicit contra Faustū: Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas atque consilium penes principes sit. 2*do* requiritur causa justa, ut scilicet illi qui impugnantur propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Unde Augustin. dicit in libr. 3. Quia justa bella solent diffinire, qui ulciscuntur injurias. Si gens vel civitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis reprobè factum est: vel reddere, quod per injuriam ablatum est. 3*tio* requiritur, ut sit bellantium intentio recta, quâ scilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Unde Augustinus de Verbis Domini: Apud veros DEI cultores etiam illa bella peccata non sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio

V. D. Thom. q. 45. art. 1. de bello.

Ibidem.

gerūntur, ut mali coërceantur, & boni ſubleventur. Poteſt autem contingere, ut ſi ſit legitima authoritas indicentis bellum, & cauſa juſta, nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum. Dicit enim Auguſt. in lib. contra Fauſtum. Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur.

In Epiſt. S. Jacobi c. 4.

Motiva ad vitandum bellum injuſtum. 1mum. Quia deſiderato felici eventu carent: ita S. Jacobus. *Unde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis & non habetis, occiditis & zelatis, & non poteſtis adipiſci, litigatis & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis.* Id planè uſu venit ſpoliis & prædis injuſto bello raptis, minimè Provincias, Principeſque ditari, quin hæc & alia juſtè parta ſecum ignis ad inſtar citiùs abſumunt. Nec non terræ, regiones prælio infeſto ſubactæ, tandem ab injuſto dominatu in aliorum imperia deſciſcunt; vel gravi moleſtiâ, & impenſis Reipublicæ conſervare illas neceſſe eſt. Nimirum vindex juſtitia DEI ſicut in particulari rebellizante contra ſe hominis ratione, rebellare quoque permittit aliàs ſubjectum ejus appetitum ſenſitivum contra rationem: Ita principe vel primoribus Reipublicæ contra jus & fas, imperiumque DEI agentibus, bella injuſta proſequendo, ſibi ſubditos maximè per tyrrannidem, turbas ciere, ſeditiones, rebellioneſque contra capita Reipublicæ moveri ſinit, reddens vicem iniquitatis ipſorum. Et non raro contingit, quòd dum aliena inſatiabili cupiditate ambiuntur, propria amittuntur, aut Reſpublica depauperatur.

S. Auguſtinus lib. 4. de civitate DEI 6.

2dum. *S. Auguſtinus* inquit: Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, aut populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum eſt?)) Quare videant principes, eorumq; conſiliarii, nè tot latrociniorum, rapinarum, adulteriorum, ſtuprorum, aliarumque innumerabilium injuriarum rei, in profundisſimo inferni barathro atrocisſimas æternùm luant pœnas: quòd ſupradictorum malorum illi cauſæ fuerint principales: Sicuti & ipſi milites ſunt cauſæ inſtrumentales, tanquam flagellum, quod poſt caſtiga-

castigationem peccatorum populi bello affecti, à DEO traditur ardoribus ignis inextingvibilis.

§. VI.

De Rixa, & Duello.

Rixa paci externæ contraria; *Estq; peccatum, dum aliquis alterum propriâ authoritate ut percutiat invadit, vel quispiam se defendit extra moderamen inculpatæ tutelæ cum damno vel periculo invasoris.* *V. D. Thomam 2. 2. q. 41. a. 1.*

Duellum est duorum (vel subinde plurium) certamen, quod ex condicto uno indicente, & altero acceptante suscipitur, ita ut id non sit vitam defendere, sed exponere periculo. *Ita Busenbaum in medulla Theolog. ex Trid. sess. 25. c. 19.*

Incitamenta Rixas, Duellaque præcavendi. *1mum contra Rixas.* Prov. *Sicut, qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.* Prov. *Labia stulti immiscent se rixis, & os ejus jurgia provocat.* Apostolus ait: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones* &c. quæ ibi enumerat, *quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum DEI non consequentur.* S. Thomas ex S. Isidoro inquit: quòd rixosus à rictu canino sit dictus. Semper enim ad contradicendum paratus est, & jurgio delectatur, & provocat contendentem. *Proverb. 26. Proverb. 18. Galat. 5. S. Thomas 2. 2. q. 41. art. 1.*

2dum contra Duellum. Graves pœnæ censurarum, & aliæ in Duellatores, eorumque consiliarios, spectatores, &c. fulminatæ ab Ecclesia. *Ita Clemens VIII.* in Bulla contra Duellatores edita, citans Concilium Tridentinum inquit: Generalis Tridentina synodus ad exterminandum penitus ex Christiano orbe hoc malum statuit, ut Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati; ac jurisdictione & dominio civitatis, castri, aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum

Patrini

"Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum "proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut "homicidæ juxta Sacros Canones puniri debeant: Et si in ipso "conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiasticâ sepulturâ. "Illi etiam qui consilium in causa duelli tam in jure, quàm in fa-"cto dederint, aut aliâ quacunque ratione ad id quempiam sva-"serint, nec non spectatores, excommunicationis, & perpetuo "maledictionis vinculo teneantur. Quas pœnas novissimè piæ "memoriæ Gregorius XIII. pariter prædecessor noster extendit "adversùs illos etiam omnes, qui non publicè, sed privatim ex "condicto statuto tempore, & in loco convento Monomachiam "commisissent, etiam Patrinis sociisvè non vocatis, & loci secu-"ritate non habitâ, & provocatoriis literis minimè præcedenti-"bus, etiam contra Locorum Dominos, si id (quantùm in se fu-"erit) non prohibuissent, cæterosque supradictos criminis so-"cios, & ex composito spectatores, etiamsi pugnam ob aliquod "impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pu-

S. Bernardus Epist. 322. gnaturi, & per eos non stetisset quò minùs pugnarent.) *S. Bernardus monet:* Cesset illa pristina non militia, sed planè malitia, quâ soletis invicem sternere, invicem perdere, ut ab invicem consumamini. Quæ miseros tam dira libido excitat, quòd proximi corpus gladio, cujus fortassis & anima perit, transverberat?)) *Concilium Tridentinum* ait: Detestabilis Duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur.

Modus seu Praxis evitandi Rixas, & Duella, est. 1*mo*: Mortificare illarum originem Iram, quæ subinde ex ebrietate graviter accenditur. Unde ebrietas summè cavenda talibus. Cæ-

Proverb. 29. terum Prov. dicitur: *Vir iracundus provocat rixas.* 2*do*. Fugere

Idem 28. superbiam, & inanem gloriam. Etenim: *Qui se jactat & dilatat, jurgia concitat.* Quod verò formaliter concernit duellum, utrumque ex parte provocati salvabitur, *& evasio duelli, & conservatio honoris politici* (de quo maximè res agitur) si provocanti dicat, (ut

Busenbaum in Medul. Theol. Moral. lib. 3. T. 4. docet *Busenbaum*) se eum non æstimare dignum, cum quo congrediatur contra Leges Divinas, & humanas. Interim iturum se in dies liberè suas vias, paratumque semper fore, & nunc esse,

contra

contra quemvis invasorem se tueri. Ita enim non modò apud bonos & prudentes honorem minimè perdet, verùm etiam nec apud alios. *Hæc Busenbaum ex Trull. L.c.n.4.*

Quodsi quispiam contumeliosè verbis vel factis dishonoratus fuerit, ut nisi se vindicaverit, percutiendo, lædendo, vel mutilando contumeliosum, aut ad duellum eum provocando, futurum est, ut pro homine abjecti animi, pusillanimis, &c. reputetur, risuique, obtrectationi, subsannationi aliorum exponatur. In tali casu, ut lex Divina integrè observetur, honorquè illæsus restauretur, sannæ & ignominia præcaveantur: advertendum est à quali persona quis contumeliâ afficiatur, an ab inferiori, vel æquali, vel superiori. Si inferior est, cujus contumelias expedit nè quidquam curare, sed dissimulare: id enim dissimulantis imputabitur prudentiæ, bonitati, & clementiæ; Sicut è contra vindicantis imprudentiæ, furori, crudelitati: Ita fecit Saul 1. Regum. 10.
noviter electus in Regem, dum *filii Belial* contra eum dicerent: *Num salvare nos poterit iste? & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò dissimulabat se audire.* Vel si placet S. David Re- 2. Reg. 16.
gem imitari, qui Semei sibi in faciem maledicenti, & contra se servosque suos lapides mittenti, clementissimè pepercit, jussitquè dimittere, ut malediceret. Sin verò persona est tibi par vel superior. 1*mo*. Similiter eorum contumelias non advertere, audiendo non audire, & dissimulare. 2*do*. Dum minimè juverit dissimulatio, eadem improperia, irrisiones joco excipere, & eludere. 3*tio*. Si nec id successerit, dare potiùs locum iræ, & factâ sibi occasione à conversatione ejusmodi se ad interim secernere. Ita enim secuturæ contentioni, rixæ, duello, occasio præscindetur, honorquè conservabitur, dum alii te viderint hujusmodi contumelias vel te non advertisse, vel potiùs joci causâ suscepisse, quod nunc est commune Politicis: nisi fortè adeo manifesta fuerit contumelia, ut nullatenus dissimulari possit: tum potiùs cum Christo Christiano atrox injuria heroicè est ferenda cum diminutione temporalis honoris, & immenso augmento æternæ gloriæ: (quanquam & in tempore *novit Dominus pios de tentatione* 2. Petr. 2.
eripere, iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos) quàm vindictâ sumptâ mille mala & pericula in præsenti incurrere, & quod

majus est, deinde in abysso infernali pati opprobrium sempiternum, & tormentum.

l. 2. tract. I. c. I. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 5.

Vide etiam suprà, dicta & hic conveniente adhibe.

§. VII.

De Seditione.

D. Thom. 2. 2. quæst. 41.

SEditio paci quantùm ad opus contraria in hoc est, quia *sicut bellum est pugna unius multitudinis ad extraneam multitudinem, & rixa est pugna unius ad unum, vel paucorum ad paucos: Ita seditio est pugna partium unius multitudinis inter se dissentientium, scindens bonum pacis & unitatis.* Cæterùm defendentes bonum commune non dicuntur seditiosi, sicut nec illi, qui se defendunt, dicuntur rixosi.

Eccles. c. 26.

Motiva fugiendi seditionem. Ecclesiasticus ait: *Delaturam civitatis, & collectionem populi* (id est seditionem, ut habet Cornel. à Lapide hic) *calumniam mendacem, super mortem omnia gravia.*)) Tremendum seditiosorum exemplum, Core, Dathan, & Abiron, *dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum, descenderuntquè vivi in*
Num. cap. 16. *infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Et paulò pòst: *Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum,* scilicet qui erant de numero seditiosorum. Cùmque filiorum Israel oriretur seditio, & tumultus increscerent contra Moysen & Aaron, *per incendium percussi sunt quatuordecim millia hominum, & septingenti absque his, qui perierunt in seditione Core.*)) Absolon seditionem movens contra David Patrem suum, vindice Numine è quercu crinibus propriis suspensus, & tribus lanceis cordi infixis periit.

Igitur nè & tibi quid simile contingat, seditionem cave.

l. 2. tract. I. c. I. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

Applica quoque suprà data hic modo convenienti.

SECTIO

SECTIO XII.

De Misericordia.

MIsericordia est virtus moralis, quâ proximi malis ad dictamen rationis moderatè compatimur. Dicitur: Virtus moralis: quia juxta D. Thomam ibidem misericordia importat dolorem de miseria aliena. Iste autem dolor potest duo nominare: Uno quidem modo motum appetitûs sensitivi. Et secundùm hoc misericordia passim est, & non virtus. Alio verò modo potest nominare motum appetitûs intellectivi, secundùm quod alicui displicet malum alterius. Hic autem motus potest esse secundùm rationem regulatus, & potest secundùm hunc motum ratione regulatum regulari motus inferioris appetitûs.)) Dicitur; Proximi malis: ubi intelliguntur universim mala, tum quæ corpus, tum quæ animam concernunt, nociva bonis naturalibus, sive supernaturalibus, in tempore, vel æternitate. Dicitur: Ad dictamen rationis moderatè, &c. quia ut S. Augustinus ait: quod iste motus animi scilicet misericordia servit rationi, quando ita præbetur misericordia, ut conservetur justitia, sive cùm indigenti tribuitur, sive cùm ignoscitur pœnitenti.

V.D.Thom. 2.2. quæst.30.

S.August.l.9.c. 5.deCivit.Dei.

Gradus misericordiæ ex aurea Formula Seraphici Doctoris.

S.Bonavent.de Grad.virt.c.6.

I. Ordo grad.mis.

MIsericordiæ altus gradus est, misereri proximi juxta illud: Estote misericordes. Et Job. Si negavi, quod volebant pauperes, &c. Et iterum: Oculus fui cæco, & pes claudo. Altior, misereri sui secundùm illud: Miserere animæ tuæ, placens Deo. Altissimus, misereri DEI, sicut ipse petit in Job. Miseremini mei, miseremini mei saltèm vos amici mei, &c. Luc. 6. c. Job. 31 b. Item 29. e. Eccles. 20. d. Job. 29.

II. Item altus gradus est, misereri consanguineis afflictis. Altior gradus, misereri extraneis afflictis. Altissimus, misereri inimicis afflictis. In hoc ultimo gradu fuit Christus, cùm dixit. Misereor super turbam. Et iterum dixit: Pater ignosce illis, &c. Marc. 8. a. Luc. 23. e.

III. Item altus gradus, misereri vivis in afflictione corporis. Altior, misereri vivis in afflictione spiritûs. Altissimus, misereri mortuis in purgatorio.

IV. Item altus gradus eſt, miſereri ſanis in necesſitate. Altior, miſereri infirmis non decumbentibus in necesſitate. Altisſimus, miſereri infirmis decumbentibus in necesſitate.

V. Item altus miſericordiæ gradus conſiſtit in dando temporalia, ſicut fecit Abraham, qui nulli negavit hoſpitium. Altior in condonando injurias: ſicut fecit David Sauli, & Semei. Altisſimus, pro injuriantibus ſupplicando fideliter: ſicut Chriſtus, & B. Stephanus.

VI. Item in alto gradu miſericordiæ conſiſtit, quem ad miſerandum inducit natura ſuadendo. In altiori, quem inducit homo præcipiendo, vel admonendo. In altisſimo, quem inducit DEUS inſpirando.))

S. Auguſtinus lib. 50. hom. 39. Perfecta eſt miſericordia, ut antè occurratur eſurientibus, quàm roget mendicus. Non enim eſt perfecta miſericordia, quæ precibus extorquetur. Sed ſi tacet mendicus, loquitur pallor in facie, penè laſſus, fesſus, & eliſus, nunquam ſuſpectus. Feſtina pietate ſuccurrere, nè audias rogantem.)) Et inducit imitandum DEUM, qui dat nobis pluviam & ubertatem fructûs, quos comedimus, antequam rogemus.

S. Bonaventur. de gradibus Virtut.

Gradus Compasſionis ea aurea Formula Seraphici Doctoris.

I. COmpasſionis altus gradus eſt, medullitùs condolere amico afflicto. Altior, condolere inimico afflicto. Altisſimus, condolere DEO de contumelia ſibi illata.

II. Item in alto gradu eſt compasſionis, qui condolet ſanis in afflictione ipſorum. In altiori eſt, qui condolet infirmis in infirmitate. In altisſimo eſt, qui condolet purgandis in pœnis eorum in purgatorio.

III. Item altum gradum aſcendit, qui afflictis condolet in corde: ſicut dicit Apoſtolus: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur aliquâ moleſtiâ tribulationis, & ego non uror? *2. Cor. 11.* dicit Gloſſa. In altiorem aſcendit, qui ore conqueritur incommodum afflictorum; ſicut David mortem Saulis, & Jonathæ, dicens: Quomodo ceciderunt fortes in prælio? *2. Reg. 24.* In altisſimum aſcendit, qui plorat ſuper afflictionem: ſicut David lugebat Abſalonem inimicum ſuum, & Job: Flebam, inquit, quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & anima mea compatiebatur pauperi. *Job. 30.*

In

In his gradibus fuit Christus, quando conquerendo flevit super Hierusalem dicens: Quia si cognovisses. Quædam glossa dicit super Marcum. Homo patitur, & ridet; DEUS compatitur, & flet.

Item altus gradus, condolere omnibus in afflictionibus corporalibus. Altior, condolere in afflictionibus spiritualibus. Altissimus, condolere in defectibus spiritualibus. IV.

Item altus gradus est, condolere afflictis ad breve tempus. Altior, condolere ad longum tempus. Altissimus, condolere semper. In omnibus his gradibus fuit Christus. V.

Incitamenta ad servandam misericordiam, sunt. 1*mum.* *Proverb.* 3. Misericordia & veritas non te deserant. Circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & invenies gratiam, & disciplinam bonam coram DEO & hominibus. *Proverb.* Misericordia & veritas præparant bona. *Eccl.* Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo. *Matth.* 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Apostolus*: Induite vos, sicut electi DEI, Sancti, & dilecti, viscera misericordiæ. *Prov.* 3. *Prov.* 11. *Eccles.* 28. *Coloss. c.* 3.

2*dum.* *S. Augustinus*: Sola misericordia ad DEUM deducit hominem, sola deducit DEUM ad hominem, nunquam vidi hominem pium malâ morte finiri)) *Idem*: Beati illi, qui subveniunt miseris, quoniam eis rependitur, ut per misericordiam Domini de miseria liberentur. *S. Ambrosius*: Omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia, & pietate est. *S. Chrysostomus*: Misericordia est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum: hæc est quæ iustos probat, Sanctos roborat, DEI cultores ostentat. *S. Leo*: Misericordiæ virtus tanta est, ut sine illa cæteræ & si sint, prodesse non possint. Quamvis enim aliquis fidelis sit, castus, & sobrius, & aliis majoribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur. *S. Augustinus Serm.* 44. *Idem de Serm. Domin.* *S. Ambros. in l. tit.* 4. *S. Chrysost. super Matth.*

3*tium*: ab exemplis *imo* DEI. *Psalm.* Et tu Domine miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ. *Psal.* Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Unde Christus monet: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. 2*do* *Christi*, cujus misericordia patuit in superpositis gradibus misericordiæ, & compassionis; patebitquè *Psal.* 85. *Psalm.* 144. *Luc.* 6.

infrà fusiùs. Nunc suffecerit stupendum posuisse misericordiæ Christi indicium, qui procedens ad passionem suam dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Id est prout Arias explicat, tristitia, quæ usque ad mortem durabit, eaque tanta, quanta esse potest, ut solùm vitam mihi non adimat. Quam eandem tristitiam postea detexit, cùm sanguinem sanctissimo suo corpore tam copiosum sudavit, ut eo terram irrigârit. Et quanquam una ex hujus tristitiæ causis fuit præsentia acerbissimorum cruciatuum, ac mortis crucis, quam postridie passurus erat, primaria tamen illius causa, fuerunt omnia omnium hominum peccata, ac damnum omnium animarum, quæ propter peccata in mundo perierant, & imposterum perituræ erant. Unde S. Hieronymus: *Contristabatur*, inquit, Dominus *non timore patiendi, qui ad hoc venerat*, ut spontè pro hominibus pateretur, ac moreretur; *Sed propter scandalum*, seu casum suorum *Apostolorum*, propter peccata, *& rejectionem populi Judæorum*, & propter miseriam omnium animarum, quæ perituræ erant. 3tio. S. Job de se ipso refert dicens: *Flebam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Et alibi: *Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio: & de utero matris meæ egressa est mecum.* 4to. Tanta fuit compassio, quâ Venerabilis & Sanctissimus Joannes Archiepiscopus ac Patriarcha Alexandrinus dolebat, compatiebaturque necessitatibus ac miseriis quorumlibet proximorum, ut non solùm eas sentiret, multòque magis quàm proprias plangeret; sed etiam has, quamvis magnas, nec doleret, nec omninò sentiret, quòd alienæ licèt parvæ, tantū ei doloris sensum afferrent. Scribit S. *Gregorius Nazianzenus* S. Basilium cùm suo tempore religionem Christianam, per totum orbem diffusam, dæmonemque motum invidiâ (quippe qui dominio, quod interra per idololatriam obtinebat, exueretur) inter fideles, varios errores ac vitia, quibus magnum Ecclesiæ damnum inferebat, disseminare cerneret, hoc spirituale damnum multò magis itaque miseratum esse, ut continuò cor plenum dolore & afflictione haberet, nec oculis suis somnum, nec corpori quietem dedisse, quærendo quæcunque posset, sanando huic malo remedia; adeoquè studuisse mederi per sermones, disputationes, libros, reprehensiones, peregrinationes ad diversas civitates ac nationes, non parcendo

Matth. 26.
Francisc. Arias Thesaur. de misericord. c. 4.
S. Hieronymus Matth. 26.
Job. 30.
Idem 31.
Metaphr. in ejus Vita Sur. in Jan.
D. Gregorius Nazian. in vita S. Basil. Lipoman. tom. 1.
V. Francisc. Ariam Thesaur. de miseric. c. 6

cendo ulli molestiæ, aut quantovis labori quo animarum saluti opitularetur.

Circa *Praxim* misericordiæ hæc observanda sunt. *1mo.* Ejusmodi actibus & affectibus ad misericordiæ amorem se incendere. *O bonum ineffabile misericordia! O felices, quibus hoc donum concessum! misericordia enim* DEO *maximè similes facit; cujus misericordia maximè inter sua Divina opera elucescit; ubi verò major similitudo, ibi adinvicem major dilectio, ubi autem* DEI *in hominem major dilectio, ibi amplioris gratiæ & æternæ gloriæ in eum profusio. Quid certius ad prædestinationem misericordiæ signo? Misericordes quippe verè sunt vasa misericordiæ, cùm ipsis promiserit Christus misericordiam. Jam verò Paulus electos vocat vasa misericordiæ,* ut reprobos vasa *iræ & contumeliæ, dicens: Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum; ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.)) Quis iam toto pectore non anhelaverit esse de numero misericordium, ut sit de numero Electorum? quis amplius totus medullitùs visceribus non compatietur alienis malis? quis eisdem mederi citiùs non occurrerit? Misericordissime DEUS! emolias precor durum cor meum alta compassione, irrora dulcedine pietatis! Mater misericordiæ! fac ut te sequens, intrinsecus corde tangar dolore, de calamitate aliorum. Propono firmissimè ab hinc, & affectu & effectu succurrere alienæ miseriæ. Adjuvate me SS. Patroni in pio proposito, &c.* Rom. 9.

2do. Quoniam juxta D. Thomam *semper aliquis defectus potest alicui esse ratio miserendi, vel quatenus quis alterius malum ut suum reputat, propter unionem amoris, vel quia possibile est ipsum quoque similia pati.* D. Thom. 2. 2. q. 3. a. 2. Ideo *Deus quoq; non miseretur, nisi propter amorem, in quantùm amat nos tanquam aliquid sui.* Porro Christus Dominus 2dum Apostolum *debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret.* Et S. Bernardus inquit: *Pati Dominus voluit, ut compati sciret, miser fieri, ut misereri disceret, non quòd antè misereri nesciret, cujus misericordia ab æterno, & usque in æternum: sed quòd naturâ sciebat ab æterno, temporali didicit experimento.* Hebr. 6. S. Bern. lib. de grad. humilit. Igitur ut movearis ad commiserendum aliis, considera, quòd tu quoque sis homo, & similibus malis, quibus alios vides implicari, te posse constringi; tum eorundem malorum ipsam vim afflictivam ob oculos vivaciter tibi repræsenta, alioquin minus condolebis juxta illud proverbium: *Nescit sanus,*

quid

quid sentiat æger, aut plenus, quid patiatur jejunus. Deinde excita in te ipso pium dilectionis affectum, quo proximis tuis tanquam iis, qui sunt aliquid DEI, & tanquam membris Christi dolentibus compatere, illosque refove, consolare, adjuva.

3tio. Exerceas te in misericordiæ operibus, quorum Actus internos, externosque infra vide; Tum *supradicta* 1. 2. *tra.* 1. *c.* 1. *sect.* 4. *subs.* 2. § 2. & 3. *hic convenienter adhibe.*

SECTIO XIII.

De Beneficentia.

V. D. Thom. 2. 2. q. 31. *Beneficentia secundùm suam communem rationem, est actus exterior charitatis, quo proximo benevolita, ipso facto realiter præstamus. Quanquam bonum, quod quis facit alteri, si accipiatur sub aliqua speciali ratione boni: sic Beneficentia accipiet specialem rationem, & pertinebit ad aliquam specialem virtutem.*

Stimuli ad beneficentiam. *1mus.* Voluntas DEI, inimicis quoque ut benefaciamus. *Christus:* Benefacite his, qui oderunt
Matth. 5. vos. *Luc.* Omni petenti te, tribue. *Joan.* Et non diligamus ver-
Luc. 6. bo neque linguâ, sed opere & veritate. *2dus.* Magna merces ni-
1. Joan. c. 3. mis beneficentiæ: *Eccl.* Benefac justo, & invenies retributionem,
Eccl. c. 12. & si non ab ipso, certè à Domino. *Et Apostolus:* Beneficentiæ, &
Epist. ad Hebr. communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur
c. 13. DEUS. *3tius.* Benefactor, DEI est imitator. Unde *Clemens Ale-*
Lib. 2. strom. *xand.* DEI imago est homo benefaciens. *Et Nazian.* Nihil adeò
c. 9. Divinum habet homo, quàm benefacere. *4tus.* Christus Domi-
Orat. 16. de nus, cui acclamabat populus: Bene omnia fecit. Et in Actis *Apo-*
pav. foven. *stol.* de eo dicitur: Qui pertransiit benefaciendo, & sanando o-
Marc. 7. mnes oppressos à diabolo.
Act. 10.

In ***Praxi*** duæ potissimùm conditiones sunt observandæ.
Eccli. 35. *1ma* est *Hilaritas* in tribuendo. Unde *Eccli.* monet: In omni da-
2. Cor. 9. to hilarem fac vultum tuum. *Et Apostolus:* Unusquisque prout destinavit in corde suo (id est benefacere aliis) non ex tristitia, aut necessitate: hilarem enim datorem diligit DEUS. *2da* est *velo-*
Prov. 3. *citas* in dando. Hinc *Proverb.* dicitur: Ne dicas amico tuo: Vade, revertere: cras dabo tibi, cùm statim possis dare.

De

De præcipuis actibus beneficentiæ agitur sectione sequenti sub Eleemosyna, cùm hæc sit actus beneficentiæ: Quare & alia de Eleemosyna dicta, Beneficentiæ serviunt.

Applica quoque hìc ex suprà dictis, proportione servatâ. 1.2. tract. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

SECTIO XIV.

De Eleemosyna.

Eleemosyna ex Græco idem, quod miseratio, est actus exterior charitatis, & beneficentiæ; quo, interveniente misericordiæ affectu, proximi necessitati succurritur. D. Thomas 2.2. q. 31. & 32.

Gradus Eleemosynæ. 1*mus* est de præcepto, ut scilicet de superfluo, respectu Naturæ, id est proprii individui conservandi, & Personæ cujus ipsi cura incumbit subveniatur positis in extrema necessitate. 2*dus* est consilii, nimirum necessarii non simpliciter ad statùs & personæ conditionem, largiri indigentibus. Et hoc laudabile est in tribus casibus, quos Angelicus Doctor ponit. D. Thomas 2.2. q. 32. a. 6. 1*mus* est, quando aliquis statum mutat, puta per Religionis ingressum: Tunc enim omnia sua propter Christum largiens opus perfectionis facit, se in alio statu ponendo. 2*dus* est, quando ea, quæ sibi subtrahit, etsi sint necessaria ad convenientiam vitæ, tamen de facili resarciri possunt, ut non sequatur maximum inconveniens. 3*tius*, quando occurreret extrema necessitas alicujus privatæ personæ, vel etiam aliqua magna necessitas Reipublicæ. In his enim casibus laudabiliter permitteret aliquis id, quod ad decentiam sui statûs pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret.))

Illicia ad hilariter faciendam Eleemosynam. 1*mum*. Liberat à peccatis, & damnatione. Ita *Tobias*: Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. Tob. c. 4.

2*dum*. Gratias DEI confert, custodit, & multa alia bona præstat. *Eccles.* Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit. Eccl. cap. 17. Et *Isaias* monet. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam nè de- Isai. c. 58. v. 7.

spexeris. Tunc erumpet, quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet; clamabis & dicet: Ecce adsum. Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest: cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. Et ædificabuntur in te deserta seculorum; fundamenta generationis & generationis suscitabis. 3tium. Liberat ab omnibus malis pœnæ temporalis. *Psalm.* Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. *Et:* Conclude Eleemosynam in sinu pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo. *Et infrà:* Super scutum potentis, & super lanceam, adversùs inimicum tuum pugnabit. 4tum. Temporalia bona auget. *Christus promittit:* Date, & dabitur vobis. *Et Proverb.* Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet DEUS. Unde S. Chrysost. hom. 33. hoc titulo scripsit, quòd Eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima. 5tum. *Tobias.* Fiducia magna erit coram summo DEO eleemosyna omnibus facientibus eam: præmium bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. 6tum. Eleemosynis incumbendum dum vivimus. Ita *Sanct. Augustinus*: Redime te homo dum vivis, dum pretium in manibus habes, redime te, dum ipse potes, nè dum te mors amara prævenerit, & vitam simul & pretium perdas. 7timum. Meretur, æternam gloriam. *Psalm.* Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.)) Et quidem proportionatè ad eleemosynam augebitur, vel minuetur gloria. Hinc *Apostolus* suos incitans ad ejusmodi opera, hac similitudine utitur. Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.)) Denique ipse Christus in die judicii, pro quibus aliàs operibus vocaturus est ad regnum suos electos, nisi pro misericordiæ piis operibus? Venite benedicti

Psalm. 40. *Eccl.* 29. *Luc.* 6. *Proverb.* 19. *Tob.* 4. *S. Augustinus Serm.* 219. *de Temp.* *Psalm.* 111. 2. *Cor. cap.* 9. *Matth.* 25.

dicti

dicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esurivi enim & dedistis mihi manducare; Sitivi, & dedistis mihi bibere; Hospes eram, & collegistis me; Infirmus fui, & visitâstis me; In carcere eram, & venistis ad me. Unde S. *Augustinus* inquit: Scriptum est: sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum, &c. Proinde illis, quos coronaturus est, solas eleemosynas imputabit; tanquam dicens: Difficile est; ut si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inveniam, unde vos damnem; sed ite in regnum; Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Non ergo itis in regnum, quia non peccâstis, sed, quia peccata vestra eleemosynâ redemistis. Denique S. *Chrysostomus*: Eleemosyna amica DEO consistit: Et semper ei propinqua est. Pro quibuscunque voluerit, facilè munus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem. Huic cum multa fiducia portæ cæli aperiuntur. 8*avum* est, Exemplum DEI, apud quem mendicamus orando die ac nocte naturalia & supernaturalia bona: Et ipse Pater misericordiarum & DEUS totius consolationis, dat omnibus affluenter, & non improperat. 9*num*. Christus Dominus aliquantulam pecuniam Judæ Ischariothæ collectam committebat, quatenus occasione datâ eleemosynam præstare posset pauperibus, ut patet ex Evangelio dum Christus diceret: *Quod facis, fac citiùs*: Discipuli existimabant, *ut egenis aliquid daret*. Hinc S. *Augustinus* ait: Habebat Dominus (*in Judæ manibus*) loculos, & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. 1*mum*. Exemplum eleemosynæ in Beatissima Virgine, vide suprà inter motiva virtutis in genere, & sub dilectione DEI paræ. *Tiberius*, secundus Christianissimus Imperator, adeò liberalis fuerat in eleemosynis, ut ab Imperatrice quoque reprehenderetur: Cui ipse dulciter respondit, minimè eam debere turbari, quia Dominus abundanter esset provisurus, quod & factum est. Nam in palatio suo sub pavimento, plus quàm mille centenarii auri inventi. Et postea etiam in loco illo reperit thesaurum maximum. Hic centuplum recepit in hac vita, æternam exspectans in futuro. *Aliud*: Ludovicus Rex Franciæ distribuens maximam quantitatem denariorum inter pauperes dixit: Isti sunt stipendiarii, qui pro nobis

S. Augustinus 33. de diversis V. Eccl. cap. 3.

S. Chrysostom. super Matth. sermon. 9.

Joan. 13.

S. Augustinus Tract. 62. in Joan.

Paulus Diac. lib. 8. Hist. de Tiber. Imperat.

Collector speculi exemplorum.

nobis pugnant contra adversarios nostros, & servant nobis regnum Franciæ in pace, quibus nos solvimus stipendia, ut meruerunt. *Aliud.* S. Joannes, Archiepiscopus & Patriarcha Alexandrinus, erat alter Nilus copioso fluento eleemosynæ non solam, ut *ille, rigans Ægyptum, sed ipsam universam terram circumfluens.* Neque solùm quidquid habebat, erogabat, sed etiam ab amicis & piis hominibus quantum poterat, mutuum accipiebat, ut pauperibus daret. Nunquam homo indigens ad eum accessit, quin eleemosynam aut consolationem inde reportaret. Neque de ullo unquam egeno, ubicunque terrarum is esset, audiit, quin ei necessaria præberet. *Magnam diei partem sedens in templi porticibus, se cuilibet volenti ad eundem præbebat.* Omnibus per ejus charitatem, continuamque diligentiam adeò benè prospectum erat, ut cùm quodam die nullus ad eum rogans eleemosynam accessisset, vespere surgens tristis, & lachrymans recesserit, causamque hujus tristitiæ divino Sophronio amico suo interroganti responderit. *Hodie miserandus Joannes non ab aliquo ullam accepit gratiam.* Nam dare eleemosynam, & esse qui eam acciperet, gratiam ille reputabat. Ex hac interiore quoque illius compassione fiebat, ut seipsum rebus ad vitam necessariis exueret, quas pauperibus daret; Unde nullus erat pauper, nec mendicus, qui tantam necessitatem, quantam ille pateretur. Atque hanc tantam paupertatem, quam patiebatur, ut tantò plus pauperibus daret, pro summa ipse consolatione habebat. *Aliud:* Serapion Abbas amictum suum dedit egeno, & iterum paululùm processit, & illic cuidam frigus patienti obviavit, & illi tunicam præbuit; & quia nudus sedebat tenens sanctum Evangelium interrogatus à quodam, Quis te exspoliavit Abba? Demonstrans Sanctum Evangelium ait: iste. Et alio tempore hoc ipsum Evangelium vendidit, & dedit eleemosynam. Discipulo autem sic dicente: Abba Evangelium ubi est? Respondit: Crede Fili, hoc quod dicit mihi, vende quæ habes, & da pauperibus: ipsum vendidi, & dedi eis: ut in die judicii habeamus fiduciam abundantiorem ad DEum. Alio autem tempore vidua quædam ab eodem Sancto Serapione eleemosynam petiit, quia esuriebant filii ejus: & non aliud habente eo, Serapion tradidit ei se, ut venderet eum mimis, quos & Christianos fecit in paucis diebus. Hæc legens

Francisc. Arias Thesaur. de Miser. ex Metaphr. de Vita S. Joan. Sur. in Jan.

In Vitis Patrum p. 1. In vita S. Joannis Eleemosyn. §. 23.

Sanctus (Joannes Eleemosynarius) de Sancto Serapione, & miratus Sancti industriam, totus lachrymis infectus; vocans omnes proprios dispensatores, legit eis omnia de Sancto Serapione, & dicit ad eos. Væ, væ ô Christiani! quid prodest colloquenti de actionibus Sanctorum Patrum? Credite mihi, quia usque hodie putabam, quia vel aliquid facerem dans quas habere possum pecunias, nesciebam autem quòd & seipsos venderent quidam, compassione superati. *Aliud.* Juxta nos quidam DEUS dedit nomine Religiosus habitabat, qui calceamenta solebat operari; de quo alter per revelationem vidit, quòd ejus domus ædificabatur: (scilicet in cælis) sed in ea constructores sui in solo die Sabbathi videbantur operari. Qui ejusdem viri postmodum vitam subtiliter requirens, invenit, quia ex his quæ singulis diebus laborabat, quidquid ex victu & vestitu superesse potuisset, die Sabbathi ad Beati Petri Ecclesiam deferre consueverat, atque indigentibus erogare. Qua ex re perpende, quia non immeritò domûs ipsius fabrica Sabbatho crescebat. *S. Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 10*

Ad Praxim Eleemosynæ perfectiori modo exercendæ sequẽtia sunt adhibenda. 1*mum.* Tollere causas tenacitatis, quarum maxima est, Timor defectûs necessariorum. Hic eliminatur piâ confidentiâ in DEUM, juxta Christi promissum: *Date, & dabitur vobis.* *Luc. 6.* Secunda causa est avaritia, quæ ut est mortificanda, suo loco vide. 2*dum.* Ut ampliùs ad eleemosynã exciteris, humilitatemq; exerceas, audi S. Gregorium, quid dicat: Multum ad edomandam dantis superbiam valet, si cùm terrena tribuit, verba solicitè magistri cælestis penset, qui ait: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut recipiant vos in æterna tabernacula. Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus dantes, procul dubio pensare debemus, quia patronis potiùs munera offerimus, quàm egenis dona largimur)) Hinc S. Joannes Eleemosynarius pauperes suos Dominos appellabat. 3*tium.* Conditiones Eleemosynæ, quæ sunt hæ *D. Gregorius l. 2. Moral. c. 14.*

I. *Ordo proportionatus*, de quo S. Augustinus ita dicit. Hic est justus ac legitimus ordo, quem homo observare debet in faciendæ eleemosyna, ut postquam providit sibiipsi, & suis de victu atque vestitu: non de victu delicato, nec de vestitu pomposo, sed de victu sufficiente, & de vestitu mediocri; ita ut servi & ancillæ non patiantur famem, nec frigus, & parentes, si pauperes sint habe- *S. Augustinus sermon. 27. in comm. Epist. ad Macedon.*

habeant, quod ipsis necessarium est, postquam, inquam, hoc
quod æqvum fecerit, totum reliqvum det pauperibus; & pro-
pterea id ei DEUS dedit, ut per ipsum proximorum necessitati-
D. Ambrosius bus subveniat; & nisi homo sic faciat, injustè se gerit. Et S. Am-
in Luc. 11. brosius hanc obligationem explicans sic ait: Quis tam injustus
quàm qui multorum alimenta non suum usum, sed abundantiam
& delicias facit? Neque enim minus est criminis habenti tolle-
re, quàm cùm possis & abundes indigentibus denegare. II. Est
Rom. 12. *Hilaritas, & Promptitudo.* Unde Apostolus: *Qui miseretur, in Hila-*
S. Chrysosto- *ritate.* Et S. Chrysostomus: Ea inquit de causa semini eleemosy-
mus in Gene. nam comparavit divina scriptura, ut cum gaudio & multa alacri-
*lib.1.Homil.*36. tate eam operemur. Nam si ij, qui semina terræ concredunt,
bona spe foventur, & tunc manipulos imaginantur, ac plenas a-
reas: multò magis quibus datum est hoc semen spirituale semina-
re, gaudere & exultare convenit, quòd messuri sint in cælo hoc,
quod in terra serunt.)) Hinc ut obstaculum hilaritatis amove-
atur, nempe timor propriæ egestatis ex largitate in alios sequen-
Tobi. 4. 7. dum est monitum S. Tobiæ datum filio suo. *Ex substantia tua* in-
quit *fac eleemosynam, & quomodo poteris, ita esto misericors. Si multum*
tibi fuerit abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum liben-
Eccli. 4. *ter impertiri stude.*)) Huc spectat etiam illud Eccli: *Cor inopis nè affli-*
S. Chrysosto- *xeris, & non protrahas datum angustianti.* III. *Conditio,* quam innuit
mus serm.2. de Chrysostomus. Eum qui præstat humanitatem, non oportet ex-
Lazaro. poscere vitæ rationem, sed inopiæ mederi, necessitatique sup-
peditare. Unicum habet patrocinium pauper, quòd eget, quòd-
que in necessitate constitutus est, nè quid ab illo postules ampli-
ùs. Sed etiam si fuerit omnium improbissimus & eguerit neces-
sario victu; sedemus illius famem. Portus est in necessitate con-
stitutorum homo misericors. Portus autem omnes, qui in nau-
fragium inciderint, excipit, liberatque, sive mali fuerint sive
boni; denique quicunque fuerint, qui periclitantur, in sinus
ille suos excipit. Tu proinde si videris hominem, qui in egestatis
naufragium inciderit, nè judica, nè vitæ gesta examina, sed mede-
S. Augustinus re miseriæ.)) IV. *Conditio,* S. Aug. ait: Eleemosyna utiliùs malis
Epist. 4. 8. negatur, quàm conceditur.)) Ubi intellige malos, id est, manifestè
abutentes eleemosynis, quæ proinde parcius eis dandæ. Ubi ta-

men cave infinitarum suspicionum & temerariorum judiciorum concursum. *4tum.* Non habens quo re ipsâ & effectu succurras proximo in sua necessitate corporali vel spirituali, succurre affectu commiserationis, succurre desiderio; quòd scilicet si posses omni possibili modo efficaciter adjuvares, succurre denique devoto suspirio & prece ad DEUM, dignetur providentiâ suâ sublevare inopiam ærumnasque patientis. Et hoc modo stabit pro facto efficax voluntas, magno præmio in cælis coronanda. Audi *S. Augustinum*: Si potes dare, da. Si non potes, affabilem te fac: coronat DEUS intus bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat non habeo: Charitas de sacculo non erogatur. *5tum.* Eleemosynas cùm potes in vita non facere, est malum; nec etiam post mortem, est pessimum. Hinc post mortem, distributæ eleemosynæ aliquod quidem conferunt, idque solum hoc bonum, nempe si in gratia DEI homo decesserit, quòd citiùs liberabitur à pœnis purgatorii, nullum verò fructum afferunt ad æternas pœnas condemnato. Ast dum vivis faciens misericordiæ opera, omnibus bonis & fructibus supra enumeratis gaudebis. Unde vivens & sanus ea exerce, nec differas post mortem. *6tum.* Sequentibus operibus Eleemosynæ quisque pro ratione statûs sui & possibilitatis frequentissimè, nè dicam continuò & studiosissimè incumbat; sicut Christus ad *S. Magdalenam de Paz.* ait: Adniteris tantùm, quantùm talenti tibi dedero, ut sis cibus esurientibus, vestis nudis, hortus incarceratis, & refrigerium afflictis.

S. Augustinus in Psal. 103.

In vita ejus.

Adhibe quoque hic convenienter ex suprà datis. *l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.*

§. I.

Opera Eleemosynæ Corporalia.

1mum: *Esurientem cibare.* 2dum: *Sitientem potare.*

PRimò. *Prov.* Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; Si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim (*scilicet ignem charitatis*) congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi. Christus inquit: Quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli; Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Unde *S. Remigius* sic ait: Sub frigidæ aquæ

Prov. c. 25.

Matth. c. 10.

aquæ nomine, non inania etiam levia officia esse decernit. *Christus* dicit: Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; fratres, neq; cognatos, neque vicinos divites, nè forte & ipsi te reinvitent. & fiat tibi retributio; sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cœcos: & beatus eris: quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. 2do. DEUS est in exemplum hujus misericordiæ Unde *Psal:* Oculi omnium in te sperant Domine; & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis manum tuam: & imples omne animal benedictione. *Christus* Dominus aliquando quinque millibus virorum, & magnæ mulierum, parvulorumque multitudini, qui eum unà cum viris in desertum secuti erant, cibos, quibus jam totum diem jejuni indigebant, præbuit. Alias quatuor hominum millia, extra parvulos & mulieres, qui non numerabantur, cùm eum in desertum secuti, jam tridui inediam sustinuissent, valdeque esurirent, satiavit, Et prima quidem vice duodecim cophinos fragmentorum panis, altera vero septem sportas, plenas in pauperes distribuendas colligi jussit. Et de Eleemosynis, quas ei piæ mulieres pro ipsius ac discipulorum sustentatione dabant, siquidem esculenta essent, pauperibus impertiri jubebat, sin autem essent pecuniæ, iisdem pauperibus dandas curabat, ut sic ordinariâ viâ illos aleret. Dedit etiam *Dominus sitientibus potum*, In Nuptiis Canæ Gallileæ, quibus unà cum Sanctissima Matre sua interfuit, vinum in medio convivio defecit, siquidem homines illi pauperes, nec ipsorum penus omnibus rebus necessariis satis instructa erat. Quare utens Dominus sua charitate & misericordia, cùm jam eorum necessitas ob vini defectum manifesta esset, potum eis dedit, aquâ in vinum conversâ. *Osvaldus* Britanniæ Rex miserorum turbam quotidie ad se in atrium confluentium alere solitus perhibetur: & cùm die quadam major esset mendicantium multitudo, quàm ciborum copia, nè eos qui superfuerant vacuos dimitteret, totidem argenti fragmenta escaria lance comminuta donavit. Fortè aderat Aidanus Lindifarnensis Episcopus. Qui liberalitatem miratus, apprehensam Regis dexteram, dum deosculatur ait: Tam promptam in dando manum senesce-

Matth. c. 12. in catena. Luc. c. 14. Psal. 144. Francis. Arias Thesaur. inexh. Miser. c. 9. Joan: 6. Matth. 15. Beda hist. Eccl. Angl. lib. 3 c. 6.

ſeneſcere prorſus non debere. Hinc ajunt adhuc integram in monumento illibatamque oſtendi; ut quàm meritò id olim ab Epiſcopo prolatum fuerit, tam certus eventus teſtis etiam poſteris foret, & nemo unquam dubitaret, ipſius animam fulgere in cælo, cujus corporis partem tot jam annis incorruptam permanere cerneret in ſepulchro.

Actus Eleemoſynæ in reficiendis indigentibus.

Piiſſime JESU, quàm libenter liberaliùs reficerem hos egentes, membra tua, ſi poſſem; ſuſcipe voluntatem pro facto. Nunc autem quod habeo, affectuoſiſſimè tribuo.

Miſericordiſſime DEUS provide hiſce miſeris de congrua ſuſtentatione, ut eò commodiùs tibi ſerviant.

Clementiſſima DEI Mater effice, ut de neceſſariis quoque mihi ſubtrahens, langventia Filii tui membra, eſurientes & ſitientes refoveam.

3tium: *Nudum Veſtire.*

1mo. *Tobias* monet filium ſuum dicens: *De veſtimentis tuis nudos tege.* Luc. *Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti.* Unde *S. Baſilius*: In hoc docemur, quidquid nobis supereſt, aut abundat, poſtquam, quod vitæ neceſſarium eſt, ſumpſerimus, oportere nos neceſſitatem patienti dare, propter illum Dominum, qui nobis, quæ habemus, gratis dedit. *S. Chryſoſtomus*: DEUS cibari à te vult (*in paupere*) ut te cibet, indui, ut te induat. 2do. *Chriſtus Dominus* exemplum nobis præbens, ſuos occiſores alioquin inopes propriis veſtimentis donavit. Ita *Taulerus* dicens: Dominus, inquit, crucifigendus, viliſſimis ſcurris traditus eſt, quorum tanta erat inopia, ut veſtes Chriſti exigui pretii & ſimplices tam ſolicitè & exactè diſtribuerent. Et piiſſimus Dominus benigniſſimè veſte ſuâ ipſos ſui occiſores contexit.)) *Tobias* ſenior nudis veſtimenta præbebat. *Job* imprecabatur ſibi malum: Si inquit deſpexi pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem? Si non benedixerunt mihi latera ejus: & de velleribus ovium mearum calefactus eſt?)) *S. Martini* pietatem militis adhuc, an jam Turonenſium Epiſcopi magis

Tob. 4. *Luc. 3.* *D. Baſil. ſerm. ad divit.* *S. Chryſoſtom. hom. 35. ad popul.* *Taulerus de Paſſion. c. 39.* *Tob. cap. 1.* *Job. 31.* *Marulus Spalatenſ. inſtit. bene vivend. L. 1. c. 2.*

magis mirer, incertus sum. Constantino, & Juliano imperantibus, stipendia faciebat, quando brumæ tempore pauperis nuditatem dimidiatæ chlamydis suæ parte operuit. Et in quiete, Christum se in paupere texisse agnovit, dum eadem illâ laciniâ indutum cernit, dicentemque audit. Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit. Posteà verò Turonensium Episcopus factus, cùm in vestibulo Ecclesiæ offendisset hominem detritâ lacernâ seminudum, in sacrarium evocato tunicam, quam sub pallio solam habebat, dedit. Allato demum sibi collobio, indutus, ac superindutus podere, reliquisque sacerdotalibus ornamentis, dum sacra peragit, atque inter agendum ambas suppliciter manus ad cælum tollit de labentibus lineis manicis brachia nudata ostendit. Sed priùsquam ea demitteret, amicta apparuêre tegumento ornatûs, suprà modum mirabilis, oppidoque stupendi. Ut scilicet miraculo admoniti crederemus, eum qui indigentes vestierit, vestiendum cælestis gloriæ lumine, cùm Dominus JESUS Christus transformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

Ex Severo Sulpitio.

Affectus misericordiæ in vestiendo nudum.

D*Eus meus quàm compatior, hanc nobilem creaturam tuam miseriorem esse bestiis, quæ suis nativis operiuntur tegumentis.*

Utinam de opere manuum mearum contegatur nuditas pauperum!

Domine JESU fac ut subtraham de necessariis quoquè meis indumentis, pro operiendis membris tuis.

4tum. *Hospitem suscipere.*

PRimò. *Christus* ait: Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. *Petrus*: Hospitales invicem, sine murmuratione. Et *Paulus*: Charitas fraternitatis maneat in vobis. *Et*: Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis. 2*do*. *S. Ambrosius*: Si peregrinum sub tectum inducas, si susci-

Matth. c. 10. v. 40

1. Petr. cap. 4.

Hebr. cap. 13.

S Ambr. l. 2. de offic. cap. 28.

suscipias egentem, ille tibi acquirit Sanctorum amicitias,& æterna tabernacula. *S. Augustinus*: Obsecutus est Loth Angelis tanquam peregrinis consuetudine hospitalitatis, liberatus à periculo civitatis, & temporale evasit incendium, & æternum consecutus est præmium. Discite ergo Christiani sine discretione exhibere hospitalitatem, nè si fortè cui domum clauseritis, cui humanitatem denegaveritis, ipse sit CHristus. *3 tio.* CHristi Domini exemplum, qui à Discipulis Baptistæ, S. Andreâ, & socio ejus requisitus: *Magister ubi habitas? Dixit eis: Venite & videte: Venerunt & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo*, scilicet in ejus per eleemosynam accommodatis ædibus. Job de se asserens ait: *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* *Aliud*: Refert Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Papæ, inter innumeras alias eleemosynas, quas hic S. Pontifex faciebat, & hanc fuisse, *quòd quotidie ad mensam suam peregrinos quoslibet invitaret. Inter quos die quâdam unus accessit, in cujus manibus, dum ille aquam fundere vellet, repente hic ex ejus oculis evanuit. Eâdem nocte ei Dominus per visionem* apparens *dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.* *Aliud*: In quodam monasterio Ordinis Cruciferorum diœcesis Monasteriensis, Laicus quidam frater ad recipiendos hospites deputatus erat. Et is nè temerè sibi judicium Domini usurparet, & alienum servum contra præceptum Apostoli, qui suo Domino aut stat, aut cadit, videretur judicare, sine omni personarum acceptione, bonos & malos, probos & improbos, disciplinatos & insolentes, cum tanta humilitate, tantaque charitate recepit, pavit, ministravit, quasi omnium unica Mater esset, & sibi solùm eorum videretur cura incumbere. Cùm igitur in extremis laboraret, & tempus esset præmia laborum recipere, contigit quendam Laicum fratrem euntem ad infirmariam, in qua infirmus decubuit, quandam dulcissimam melodiam, quasi concinentium in choro puerorum seu à longè resonantem audire, quapropter stupens, & vix seipsum comprehendens infirmitorium ingreditur, & moriturum, utrum nè & ipse canoras juvenum voces percepisset, sciscitatur. At ægrotus, paululum, inquit, ante egressum tuum ad me introierunt huc quidam

S. Augustinus Orat. de 5. Hæres. cap. 5.

Joan. cap. 1.

Job. 31.

Collector in spec. exempl. dist. 10. exemp. 13.

formosi satis, sed mihi incogniti juvenes, qui dum dulcibus cantilenis aliquamdiu invalidi atque infirmi corporis mei mitigâssent dolores, suspicatus ego si fortè pauperes essent, & cantibus eleemosynas postularent, ad eos dixi: Dulces filioli mei quamdiu potui cum omni charitate omnibus pauperibus quantum permisit paupertas nostra, libenter ministravi: nunc quia & videre potestis, ad hæc facienda vires non suppetunt, ad cocum pergite, & hic quia bonus est, largâ vobis manu eleemosynam ministrabit. Et in hæc verba dimisi eos, sed quonam abierunt, vel qui fuerint, omninò non scio. Quod audiens frater cùm hujusmodi juvenes intrà claustra monasterii penitus visi non essent, vel Angelos fuisse, vel alios Sanctos suspicatus, dignam laudem DEO de exhibita pietate refudit. Hospitalarius verò post hæc citissimè, sed & devotissimè moriens (ut piè creditur) unà cum concinentibus Angelis ad cælestem patriam commeavit, dignam mercedem pro exhibita charitate capturus.)) Porrò hospites maximè pauperes, & peregrini suscipiendi, propter illos enim puriori intentione speratur æternum cæli habitaculum. Deinde tractandi hospites hilariter, & ad sufficientiam, non ad excessum & superfluitatem, sacris colloquiis recreandi, de viatico eis providendum, ut sit usquequaque perfecta hospitalitas.

Actus Hospitalitatis.

ECce hospes venit, Christus venit; Videas ergo anima mea quantâ humanitate, charitate, alacritate, Christum suscipias, reficias, accommodes, consoleris.

DEUS meus amore tui, libenter eam humanitatem huic hospiti volo exhibere, qualem mihi ipsi exhiberi vellem.

Absit Domine, ut mea potiùs solatia in hospitalitate, quàm hospitum, vel qualemcunque recompensam temporalem quæram. Tu solus mihi solatium & merces.

5tum: *Infirmum visitare.*

INfirmum visitare, intelligitur non modò ægrotum solari, verùm operâ & consilio in suis ærumnis juvare. 1mo. *Ecclesiastici dicitur:* Non pigeat te visitare ægrotum: ex his enim in
Eccles. cap. 7.
dilectio-

dilectione firmaberis. *Christus* verò in infirmitate suorum fidelium visitatur, ut ipsemet insinuat dicens: Infirmus eram, & visitâstis me. *2do. S. Bonaventura* inquit: Cur anima, totâ die anxiaris post Christum? Indicabo tibi quem diligit anima tua. Certè in infirmaria jacet, & ibi angustiatur, ibi torquetur. Curre, & sibi ministra, & sibi compatere infirmanti. *S. Gregorius Nazianzenus*: Pauperi subveni, vestem præbe, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate percontare, de patientia orationem habe. *3tio.* Christus visitavit Socrum Petri, quæ cùm domi ejus febricitâsset, imperavit febri, ut eam dimitteret, moxque illa sic convaluit, ut surgens domestica obiret munia, & Domino, ejusque comitibus Discipulis cibos ministraret. Visitavit hominem illum ad piscinam jacentem, & jam octo suprà triginta annos in infirmitate sua habentem, qui nec vocavit Dominum, nec sanitatem ab eo petiit, nec omninò ipsum cognovit; & Dominus ipsum quæsivit, familiarem se ei præbuit, suaviter ipsum alloquens, & eundem ad desiderandam, sperandamq; à manu sua sanitatem, quam & dedit ei, excitavit. Peragravit totam provinciam Galilææ, visitans loca, ubi infirmi erant, eosque sanans omnes ac consolans; idemque fecit in provincia Judææ. Sic enim S. Matthæus testatur: *Circuibat totam Galilæam sanans omnem langvorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes variis langvoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Id quod durante prædicationis suæ cursu frequenter fecit. Et mittens discipulos suos prædicatum, jussit idem facere, cùm dixit: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* *4to.* Frater interrogavit quendam senem dicens: Duo sunt fratres, ex quibus unus quiescit in cella sua, protrahens jejunium sex dierum, & multum sibi laborem imponens, alter verò ægrotantibus deservit. Cujus opus magis acceptum est Domino DEO nostro? Respondit ei Senex: Si frater ille qui sex diebus jejunium servat, appendat se per nares, non potest æqualis esse illi, qui infirmantibus deservit. *Aliud:* Fuit in Cœnobio Claravallensi Monachus quidam, professioni suæ morum integritate concordans, Aliquirinus nomine, vir Religiosus

Matth. 25. S. Bonavent. in stimulo Divin. amor. cap. 1. S. Greg. Naz. Orat. 27. de cura pauperum. Francis. Arias Thesaur. in exh. de Misericord. c. 10. Matth. 8. Luc. 4. Job. 5. Matth. 4. Matth. 10. Ex lib. doctr. Patrum l. de char. n. 12. Ex gestis Viror. illustrium Ordin. Cist. specul. exempl. dis. 3. exempl. 33.

giosus atque Spiritualis, sobrius in victu, humilis in vestitu, & durus admodum castigator corporis. Ita namque circumcisus ac temperatus erat in his, quæ ad usum corporis pertinere videbantur, ut omni voluptate & vanitate depulsa, ipsis necessariis etiam parcissimè uteretur, licèt occasio certum limitem excedendi se ei frequenter ingereret. Erat enim peritus in arte medicinæ. Et quamvis magnates, & nobiles terræ, operam ejus incessanter expectarent, & invitum, & renitentem per diversa loca distraherent, ipse tamen super egenos & pauperes intelligens, magis omnimodam eorum curationi solicitudinem impendebat. Nec modò ipsorum ægritudines, livoresque curabat, sed & langventium putridas carnes, & sanie defluentia membra ita dignanter, ita diligenter propriis manibus contrectabat, ut Christi vulnera fovere putaretur. Et verè sic erat. Unde & ipse Dominus famulum suum secretis consolationibus sæpiùs visitabat, & ad opus ministerii hujus mirabiliter excitabat. Hic infirmitate correptus, ad extrema deveniens, visitatus ab Abbate, & plenus solatio repertus, compulsus est ab eodem, diceret, si ei esset aliquid divinitus revelatum. Tunc ait illi: Modò, antequam huc intrâstis apparuit mihi misero & indigno Dominus JESUS Christus, qui propitio ac sereno vultu me intuens, ac signa beatissimæ passionis suæ ostendens, ait: Ecce peccata tua deleta à facie mea, veni ergo securus, veni & vide, & deosculare vulnera mea, quæ tantùm dilexisti; & toties confovisti. Tali ergo promissione firmatus, mori non timeo, quia posita est hæc Spes mea in sinu meo. Et scitote quia proxima nocte ante vigiliam Beati Martini migraturus sum, dum opus DEI celebrabitur in Ecclesia, & tali hora defunctus est. *Aliud*: Sancta Magdalena de Páz, adeò potenti amore ferebatur erga infirmos, ut sæpè inde in ecstasim induceretur. Visitabat ergo quotidie infirmas, & sæpiùs magis infirmas: inserviebat eis etiam vilibus obsequiis: consolabatur afflictas, & confortabat in patientia, legendo libros spirituales, proponendo passionem JESU, quietem & gloriam peradisi, etiam copiosis lachrymis compatiebatur. Dicebatque sæpè, nullum esse in Religione officium, quod illa avidiùs desideraret, quàm

In Vita S. Magdalenæ de Paz.

esse

esse servam infirmorum. Semel quoquè cum gaudio dixit: Esse quidem se contentam summè de suo statu, verùm videbatur ipsi, quòd & in hoc recepisset à DEO magnam gratiam, si facta fuisset ancilla in Xenodochio. Interrogata à Superiorissa cur cuidam Laicæ moniali ægrotanti assiduè inserviret, respondit quòd Dominus JESUS in specie cujusdam pauperculi mendici monstrans se, dixerit ei: quòd si vellet rem acceptam ipsi facere, ut inserviret ei in illa ejus Sponsa. Cæterùm maximè infirmis, cùm jam approximarent morti, vel magnis doloribus affligerentur, sedulam se protunc præstitit, oblivîscebatur suæ debilitatis, nec recedebat ab eis, præcipuè verò noctu vigilando, circa ipsas subinde octo, vel decem, quandoque quindecim noctibus, vix sedens, modicum interdum quietis capiebat. Sed maximè conabatur adesse agonizantibus, omni modo curando decedentium salutem. Igitur pro illis modò fundebat ardentes preces, modò cum ipsis colloquebatur de DEO, adducebatque ut elicerent actus contritionis, vel actus amoris, spei, fidei, & similes: quandoquè super illas legebat partim passionem, partim psalmos.

Praxim Solatia & pia monita dandi infirmis sumere potes, ex infrà dictis sub Patientia in genere, tum in ægritudine, &c. Cap. 7. sect. 5. subs. 8.

Actus misericordiæ circa infirmos

DEUS meus medullitùs condoleo infirmitati hujus famuli tui, si possem, quàm libenter ipsi succurrerem, & medicinâ & aliis solatiis, suscipe DEUS voluntatem pro facto.

Obsecro Domine mitiga dolores ejus: vel restitue ipsum pristinæ sanitati ad gloriam tuam.

Mater misericordiæ, fer opem huic morbis afflicto.

Ecce Domine JESU, sicut vulnera & dolores tuos, ita langvorem & dolorem hujus servi tui compassiva charitate aspicio, & refovere desidero.

Amore tui ô mi JESU libentissimè tolero omnes molestias in obsequio hujus servi tui.

6tum: *Incarceratos consolari.*

HOc opus sumitur tum strictè pro actuali incarceratione, tum latiùs pro captivitate, & violenta oppressione. 1mo.

Juxta

Eccles. 14. Gen. 14. Exod. 2. Hæbr. 13.

Juxtà illud: *Libera eum, qui injuriam patitur de manu superbiæ.* Hic enim est actus misericordiæ. Sic Abraham liberavit Loth captum ab hostibus: Et Moyses liberavit Israel ab Ægyptiaca servitute. *Apostolus* monet: *Mementote vinctorum tanquam simul vincti*, ut scilicet eis compatiamini, & subveniatis fovendo, liberando. *2do.* Christus Dominus descendens in carcerem subterraneum, id est Limbum Patrum, eos invisit & consolatus est; Denique captivam illam à diabolo captivitatem ex ipsius potestate, non quocunque alio, sed suo sanguine & morte redemit, & duxit in altum cælorum cum eis ipse ascendens. *3tio.* S. Rembertus cùm vidisset in Daniæ quadam regione innumeram Christianorum multitudinem catenis vinctam in servitutem duci à piratis, precibus se dedit, & continuò fracta sunt vincula, barbaris Danis stupore perculsis. *Aliud*: S. Paulinus Nolanæ urbis Episcopus, cùm in redimendis captivis cuncta consumpsisset, se ipsum quoque in eleemosynam dedit. Profectus enim in Africam, vicariâ servitute redemit viduæ Nolanæ filium, olitoremque se fecit barbari Domini, ut matrem unici amissione consternatam, eo recuperato consolaretur. Jactent se, qui volunt, facultates non modicas in pauperum usum impendisse. Ecce qui omnia impenderat, invenit præterà, quemadmodùm inops factus, omnium divitum eleemosynas superaret. Cæterùm misericordiæ remunerator DEUS virum tantâ pietate præditum non est passus diutiùs jugo premi impiorum. Contulit illi prophetiæ Spiritum, quo afflatus cùm prædixisset Regem in proximo moriturum, divinationique respondisset eventus, tantæ admirationi fuit, ut statim libertatem sibi acciperet, aliis impetraret. Pro unius liberatione se in servitium obtulit, sed cum omnibus simul qui à Nola abducti fuerant, liberatus, frumento insuper navibus imposito, ad patriam postliminio rediit, pristinæque dignitati honorificentissimè fuit restitutus.

Ex Joan. Magno l. 27. Sur. tom. 1.

Augustinus de Civit. DEI. lib. 10. cap. 10. Gregor. Dial. 3. cap. 1. Prosper. l. 2. c. 9. Vit. contempl.

Actus similiter ut antecedentibus operibus habes hìc proportionatè elicere potes.

7timum: *Mortuum sepelire.*

Lib. de Cura pro mort. c. 21.

PRimò. S. Augustinus: *Tobias sepeliendo mortuos, DEUM promeruisse teste Angelo commendatur.* Orationem DEO gratissimam

mam præstat, quæ pio opere sepeliendi mortuos fulcitur: In hunc sensum Angelus Raphaël ad Tobiam inquit. *Quando orabas* Tobiæ 12. *cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* David benedixit habitatores Jabes Galaad, parentantes Sauli Regi suo dicens: *Benedicti vos à Domi-* 2.Reg.c.2. *no, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelîstis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam, & veritatem; sed & ego reddam gratiam.* 2do. Christi Domini pretium 30. argenteorum Judæ proditori traditum, & ab ipso desperatè pœnitente, venditoribus rejectum, in sepulturam peregrinorum Christo inspirante est ordinatum. Ita *S. Augustinus.* Providentiâ S. Augustinus *DEI*, inquit, factum puto, ut pretium Salvatoris non peccatoribus Sermon.128.de sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret: non Coena Domini. sacrilegis sit ad luxum, sed defunctis sit ad sepulchrum: ut jam exinde Christus & vivos sanguinis passione redimat, & mortuos pretiosâ possessione suscipiat. 3tio. *S. Ambrosius*: Magnum hoc S.Ambrosius in opus, viventes operire defunctorum corpora. Si viantes ad Tob.c.1.& 2. longiora, ducere solemus, quantò magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertentur? Nihil hoc officio præstantius ei conferre, qui tibi jam non poterit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus dedisse produntur, homines negabunt?

§. II.

Opera Eleemosynæ spiritualia:

1mum: *DEUM orare pro aliis.*

Motiva. 1mum. Jac. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Etiam Jac.5. pro inimicis. Christus monet: *Orate pro persequentibus, &* Matth.5. *calumniantibus vos.* Et *S. Augustinus* ait; Judex dicit (inquit ille) Serm. 4. de occide, & tortor occidit, & tu quando dicis: Occide inimicum S. Steph. meum, te facis judicem, & DEUM quæris esse tortorem. Respondet tibi DEUS. Non ero prorsus, non ero peccatoris tortor,

sed liberator; quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Nam si voluntatem tuam haberem, te priùs occiderem, antequam invitatus venires: nonne me blasphemâsti? nonne me tuis malis operibus irritâsti? nonne me in præceptis, vel in servis meis contempsisti? Si te tunc occidissem inimicum, quem modò facerem amicum? Quid ergo malè orando, doces me, quod non feci in te? Imò ergo dicit DEUS, doceam te ut imiteris me, in cruce pendens dixi: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid, faciunt; docui hoc milites meos: docui Martyres, priùs esto & tu Martyr meus, tyro meus, adversus diabolum, aliter invictè nullo modo pugnabis, nisi pro tuis inimicis oraveris. *Hæc ille. Apostolus*: Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus Sanctis, & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Evangelii. *Idem*: Obsecro igitur igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. 3) Exemplum Christi, de quo idem Apostolus: *Unde & salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad DEUM semper vivens, ad interpellandum pro nobis*. Exemplum Apostoli dicentis: *Ideò & nos, ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes: ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia, & intellectu spirituali, ut ambuletis dignè, DEO per omnia placentes.* 2 *dum*. S. Stephanus nisi orâsset, Ecclesia Paulum Doctorem non habuisset, ut existimat S. Augustinus. S. Monica mater Augustini eum orationibus à dissoluta vita convertens, adeò eximium Doctorem Ecclesiæ procuravit. Unde S. Ambrosius de ipso ajebat: Non posse Filium tantarum lachrymarum perire. *Aliud*: In Cœnobio Clarævallis, Conversus quidam exstitit vir Religiosus, & magnæ mansuetudinis, qui per magisterium Divinæ gratiæ didicerat esse mitis & humilis corde. Huic cæteri fratres testimonium perhibebant, quòd nunquam visus fuisset irasci, & nunquam quibuslibet injuriis provocatus ad impatientiam erumpere. Hic inspirante DEO, statuerat firmiter in animo suo, ut

Ephes. 6. *1. Tim. 2.* *Hebr. 7.* *Coloss. 1.* *Collector. Specul. Exempl.*

ut quoties à quibuslibet fratribus justè, sive injustè proclamaretur, toties pro illis oraret, & pro singulis *Pater noster* ad minus una vice diceret. Cujus etiam exemplo informati multi Claræ-vallensium fratrum eandem consuetudinem usque nunc quasi pro lege costodiunt. Iste igitur Vir bonus, collectus est ad Patres suos, visurus bona Domini in terra viventium. Cujus gloria magna tanquam alicujus Sancti cuidam viro Religioso apparuit.

2dum: *Docere ignorantem.*

MOtiva. 1mum. Eccli. *Videte, quoniam non soli mibi, laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.* Unde Rabanus Doctor Ecclesiasticus inquit: Verba DEI scribendo, & docendo, non solùm sibi laborat sed & aliis; pro æternitate & æterna mercede, & quiete; aliis autem pro vera salute, & perpetua requie. Unde in Daniele scriptum est. *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Hinc & Jacobus ait: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* De quo & Paulus ad Timotheum scribens ait: *Attende tibi, & doctrinæ sanæ; insta in illis, hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* Appstolus: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante D. Nostrum JESUM Christum estis in adventu ejus? Vos enim estis gloria nostra, & gaudium.* Sic in die judicii Thomas trahet post se Indiam, Andreas Achaiam, Ioannes Asiam, Paulus universum mundum: ait *S. Gregorius.*)) Quæ sanè ingens erit gloria & corona. Sic in vita S. Aldegundis legimus eidem apparuisse S. Amandum stipatum magnâ multitudine Sanctorum à se conversorum, inter quos ipse quasi gigas eminebat & staturâ & gloriâ omnes verò in eum quasi magistrum & parentem respiciebant, eique suas coronas acceptas ferebant! *S. Hieronymus*: Rusticitas solùm sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam, tantum nocet, si destruentibus non resistat. *S Chrysostom.* ait: Nihil est enim quod animæ possit æquiparari, nec universus quidē mundus. Itaq; etsi immensas pecunias pauperibus eroges

Eccli. 24.
Dan. 12.
Jac. 5.
1. Tim. 4.
S. Paulus. 1. Thessal. 2.
S. Gregorius hom. 17. in Evang.
In vita S. Aldegund.
S. Hieronymus ad Paulinum.
S. Chrysostom. in Epist. 2. Cor. 3.

eroges, plus tamen efficis, si unam converteris animam, &c. Magnum sanè & laudabile est, misereri pauperum, sed magis errantem ab errore revocâsse. *Idem alibi*: Nam ut anima (inquit) corpore melior est, ita his qui indigentibus pecunias & facultates suppeditant, tantò majoribus meritis digni sunt hi, qui admonendo, & continuè docendo in viam rectam supinos & desides inducunt, monstrando eis virtutum Divinarum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam. Hæc omnia cùm scimus, præ omnibus aliis hujus vitæ curis de salute animarum loquamur proximis, eandem illis solicitudinem ingerentes. Magnæ enim bonitatis est animam, cui hæc continuò intonantur, posse reduci ex abyssо malorum, in quorum medio versamur, & compesci seditionem, quæ perpetuò animam nostram infestat.)) *2. dum Motivum* à speciali præmio & gloria Aureolæ Doctoribus destinata, de qua vide in 3. parte hujus Theologiæ Spiritualis. *3tium.* Ab exemplo DEI: *Qui docet hominem scientiam.* Et: *Docebit mites vias suas.* Ab exemplo Christi. Hic videns turbas sequentes se: *Misertus est super eos, quia erant, sicut oves non habentes Pastorem, & coepit illos docere multa.* Et Theophilactus inquit. Ille qui de cælo descendit, ut exemplum & formam vitæ nobis daret, operibus nos docuit, in charitatis officiis non negligentes, nec remissos, sed valde diligentes esse. Neque tantùm in civitatibus verbum Divinum prædicabat, sed etiam in castellis, nè semper magnas civitates quæramus, sed etiam viles, atque contemptas villas adeamus ad docendas animas, & trahendas ad DEUM.)) *Sanctus Vincentius Ferrariensis*, Ordinis Prædicatorum Religiosus, nulli hominum ordini, vel statui, vel ætati, nulli sexui negavit fructum doctrinæ & sanctitatis suæ. Neque enim duntaxat ætate provectos, & sublimium rerum atque disciplinarum capaces erudiebat: Sed etiam pueros certis ad se horis evocatos instituebat, docens eos quemadmodum cruce se signarent, Orationem Dominicam, & Angelicam salutationem, atque fidei Symbolum enunciarent, DEum colerent, amarent, parentibus, & proximis quibusque honorem haberent, & debita officia persolverent. In dandis consiliis nec divites pauperibus, nec ignobilibus nobiles anteponebat; sed erat charus omnibus, utilis omnibus, pius, benignus, amabilis denique & venerabilis omnibus.

Idem Homil. 3. in Genes.
Psalm. 93.
Psal. 24.
Marc. c. 6.
Theoph in Luc. 1. & Marc. 3.
S. Petrus Ransanus Panorm. lib. 4. vitæ ejus in Præfat. apud Sur. tom. 25. April.

Practica.

Practica. 1mo. Docens, Oratione Spiritum Sanctum suis auditoribus impetret, quia ut D. Gregorius ait: Super illa Evangelii verba explicans, *Ipse vos docebit omnia*; ait: *Quia nisi idem Spiritus cordi adsit audientis; otiosus est sermo Doctoris.* Mox autem rectè subdit: *Non ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi sit qui doceat interiùs, doctoris lingua exteriùs in vacuum laborabit; Ecce unam loquentis vocem omnes pariter auditis, sensum verò auditæ vocis non unum percipitis. Cùm ergò vox dispar non sit, cur ergo in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc, quod vox loquentis communiter admonet, est magìs interior, qui devotiùs intelligentiâ quosdam specialiter docet?* 2do. Vitâ ædificet. Etenim teste D. Augustino: *Habet ut obedienter audiatur, quantâcunquè granditate dictionis majus pondus vita dicentis.* 3tio. Amor Divinorum docentem inflammet. Siquidem D. Gregorius ait: *Mens concupiscentiis exterioribus occupata, igne Divini amoris non calet, & idcircò ad supernum desiderium inflammare suos auditores nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur.* 4to. Doceat non curiosa, non subtilia, extra captum Auditorum, sed eorum se accommodans intellectui, prædicet: *Quia appropinquavit regnum cælorum.* Minetur: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et similia de vitiis extirpandis, virtutibus inserendis, cognitionem cumprimis inserat DEI, Christi, ac aliorum supernaturalium, ut ipse fecit Christus Dominus, & Sancti Apostoli, Apostolicique Viri. 5to. Postquàm per doctrinam illuminaverit intellectum, conetur deinde per varia motiva inflammare affectum, & excitare modò ad Timorem DEI, modò ad Amorem spei, seu desiderium gratiæ DEI, & æternæ beatitudinis; modò accendere ad Charitatem DEI, Christi, Deiparæ, & proximi: jam injicere horrorem peccati & vitiorum, in genere & specie, jam amorem multiplicium virtutum, &c. proportionatè ad exigentiam & captum Auditorum, pro circumstantia Loci, Temporis. Copiam ejusmodi Motivorum ferè pro omni materia morali sive spirituali habes hoc Opere per totum. Impetum verò Affectus formandi sumere potes ex *suprà datis*. Denique incitatis animis oportet porrigere Modum & Praxim exercendæ alicujus virtutis, vel cavendi peccati, sive eradicandi vitii, & simul cum novis motivis adhortando concludere.

S. Gregorius homil. 30. in Evangel.

S. Augustinus lib. 4 de doctr. Christ. cap. 27.

D. Gregorius lib. 8. Dialog. cap. 28.

Matth. cap. 10

l. 2. tr. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

Ad quod ſervient hoc toto Opere datæ plurimæ Praxes. Tali ergo Methodo erit efficax Doctrina tua, & impoſſibile ut magnos non faciat fructus in Eccleſia cum gratia DEI.

3tium: *In dubiis conſulere.*

Eccl. cap. 5. INcitamenta. Eccli. *Si eſt tibi intellectus.* (Id eſt intelligentia, ſapientia, peritia, doctrina) *reſponde proximo, ſin autem ſit manus tua ſuper os tuum*, id eſt claude os tuum, & ſile: *nè capiaris in verbo indiſciplinato*, id eſt imperito, indocto, imprudenti, *& confundaris.* Hinc Nazianzen. Valde ſtultorum, ait, aut temerariorum eſt, alios aggredi, priuſquam ipſi ſatis edocti ſint, ac ut dici ſolet in dolio diſcere, hoc eſt in aliorum animabus pietatem meditari, & exercere.)) Sacra Scriptura monet, Deutoron, (Nazianzen. Orat. 1.)

Deut. c. 17. v. 18 *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & judicium inter portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende, ad locum, quem elegerit Dominus DEUS tuus. Veniesquè ad Sacerdotes Levitici generis, & judicem qui fuerit illo tempore, quæresquè ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequerisquè ſententiam illorum. Nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Proverb. *Unguentis & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici conſiliis anima dulcoratur.* S. Baſilius inquit: Magna eſt utilitas conſultoris prudentis ac familiaris præſentia, ſupplet etenim id, quod deeſt prudentiæ eorum qui de rebus ambigentes, conſultant. Quanta verò utilitas ex conſilio alterius percipiatur, vel maximè patet in Moyſe, qui quantumvis omni Ægyptiorum ſapientiâ inſtructus eſſet, & licèt cum DEO de facie in faciem, uti amicus cum amico, ſermonem & conſilia conferret, tamen ſoceri ſui Jethro conſilium eſt ſecutus, in conſtituendis centurionibus, decurionibus, ac tribunis, qui præeſſent ac judicarent populum. Sic etiam David conſilio Chuſis uſus hoſtilis animi conſilia Achitophel evertit, diſpulitque. Profectò divina quædam res eſt conſilium, eſt namque animi conjunctio, fructus charitatis, mentis demiſſi demonſtratio. Superbia etenim magna habetur, exiſtimare nullius ſe egere auxilio,

(Margin: Proverb. c. 27. — S. Baſil. Orat. 21. de Felicit. — Exodi. 18. — 2. Reg. 17.)

xilio, ac sibi ipsi penitus acquiescere, quasi vel solus sapiat, vel quàm optimè in medium consulere valeat. Quare nequaquam cunctemur iis nos submittere, qui nobis ea, quæ decora sunt, consulunt, nec unquam turpè esse ducamus, confiteri, alios quoad vitam instituendam, nobis longè esse prudentiores. Qui enim consultorem expectat, suisque cogitationibus tempus dat, is longiori tempore cum examinatione ac attentione quadam id quod docet, inquirit atque investigat. Magnam mehercule, affert hominibus utilitatem, consilium, eò quòd sibi nemo sufficiat ad electionem rerum utilium honestarumvè, sed pluribus sanè sociis, & iis quidem solertibus opus habet. Unde haud absurdè homo consilii expers, similis censetur navigio rectore carente, quodquè ventorum impetu huc & illuc impellitur. Si itaque cùm de rebus flocci ac nihili consultamus, consultores tamen nonnuquam adhibemus, cur amabo, hos non inquirimus majori cum delectu, quando de anima, re omnium præstantissima, deliberamus? Qui verò non habens consilium bonum, suam potiùs pravam sequitur sententiam, similis profectò est illi Roboam, qui spreto salutari consilio senum, adolescentulorum, qui secum alii & educati erant, opinionem secutus, decem tribus Israël ab imperio suo abscidit. Hoc modo etiam nunc consilia, quæ contra bonos mores dantur, in propria capita eorum, qui consulunt, redundant, proinde ac tela jacta à corporibus solidis, in eos, qui ea emisêre, resilire solent. *Hæc S. Basilius.* Ex his patet, quanta sit necessitas & utilitas Consilia sana requirere: Ac per consequens eadem conferre magnæ charitatis & misericordiæ opus. *2. Reg. 12.*

In Praxi. Sequere monitum Tobiæ: *Consilium semper à sapiente perquire. Omni tempore benedic DEum: & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Dum nequeas consulere ut expedit, imitare, *S. Bern.* ut ipse in simili passu processit, cùm inquit. Hæc interim à me ad id quod quæritis suspensivè responsa sufficiant. Neque enim possum, unde certus non sum, certam proferre sententiam. Sic contingere debet quærenti rem ubi non sit. Sermo à Propheta, consilium à Sapiente, quærendum est. Numquid enim de luto limpidum quidpiam haurire potestis? *Tob. 4.* *S. Bernard. Epist. 8.*

"testis? Unum tamen est, quod amico absque periculo, & ne- " quaquam sine fructu impendere possumus, nostræ videlicet pro " hac re orationis ad DEUM qualecunque suffragium. DEO er- " go relinquentes sui quod ignoramus secretum consilii, ipsum " supplici devotione, & devotâ supplicatione precamur; ut in " nobis & de nobis operetur, quod se deceat, & vobis expediat.)) Deinde etiamsi tibi sapiens videaris & optimè consulas aliis, tui tamen respectu nè fidas tibi, sed utere alieno quoque consilio juxta illud *S. Bernardi*: Plerisque imò cunctis sapientibus contingere solet, in rebus videlicet dubiis, plus alieno se quàm proprio credere judicio, & qui aliorum facilè ambigua quæque elucidant, in suis consueverunt scrupulosiùs hæsitare.))

S. Bernardus Epist. 82.

4tum: *Mæstos consolari.*

MOtiva. Jac. *Religio munda & immaculata apud DEUM hæc est, visitare* (id est consolari, adjuvare) *pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Eccl. *Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.* S. Gregorius inquit: Exteriora largiens rem extra semetipsum præbuit, qui autem fletum & compassionem proximo tribuit, ei aliquid de semetipso dedit. Ideoquè plus compassionem quàm datum dicimus.)) *Christus* de seipso per Isaiam dicit: Spiritus Domini misit me ut consoler omnes lugentes Sion.)) Unde misericordiâ motus, super vidua in Naim civitate, ejus unicum filium suscitavit à mortuis, deditque eum matri suæ ad suam opem & solatium. *Job* de seipso inquit: *Flebam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Et alibi: *Oculus fui coeco, & pes claudo, pater eram pauperum.* *S. Magdalena de Paz* suas in religione socias pacificatas in DEO, & hilares cupiebat videre: quare si contingeret interdum aliquam sororem mœrore affici, illam cum ineffabili amore conabatur salutariter solari. Et frequenter id accidit, ut titubantes firmaret, dubias juvaret, debiles roboraret, omnibus cor in suis difficultatibus & tribulatione, addendo suâ semper sapienti in Spiritu S. Eloquentiâ. Eadem dicere solebat: Ego suscipere omnia parata sum, ad perferendum propter proximum

S. Jacob. Epist. cap. 1.
Eccles. c. 7.
D. Gregorius l. 20. Moral. c. 26 & 27.
Isai. c. 61.
Luc. 7.
Job. cap. 29. & 30.
In Vita S. Magdalenæ de Paz.

ximum meum, & præcipuè ad animum pacandum & consolandum, quia impacatum cor minimè tribuit in se DEO veram requiem: Et nihil aliud cupio, nisi tantùm ut possem dare DEUM creaturæ suæ.

5tum: *Errantes corrigere.*

Correctio fraterna, alia est charitatis, & misericordiæ, alia Justitiæ. 1*ma est, quâ affectus aliquis, delinquentem proximum ex ejus dilectione, & compassione, à suo peccato prudenter abducit.* Ubi nomine *delinquentis*; non modò inferiores, & æquales, verùm etiam superiores cum humilitate tamen & reverentiâ insinuantur corrigendi. Juxta illud *Augustini* laudantis Petrum, quòd à Paulo se inferiore non dedignatus sit correptionem suscipere: *Atque ita, rarius & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur sic ubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corripi, &c.* Epist.19. cap.2. Dicitur in descripti: *Prudenter abducit*, nempe spectatis certis circumstantiis: Quarum 1*ma est*: Si certam scientiam habeas de peccato proximi; indagare enim tenetur solus superior. 2*da*: Si verò similiter judices eum non correxisse, nec correcturum imò relapsurum. 3*tia*. Si sit probabilis spes emẽdationis; vel nisi gravius malum ex correptione tua metuatur, quod D. Thomas hic insinuat. 4*ta*: Si porrigatur commoda occasio, locus, tempus, possesquè sine tuo gravi damno facere. 5*ta*: Si alius æquè idoneus non adsit, qui correpturus putetur. Quodsi quidpiam horum defuerit, non obligaris ad correctionis præceptum. Deinde ad prudentiam spectat servare modum & ordinem correptionis fraternæ præscriptum à Christo, Matth. cap.18. 1mo, *Si peccaverit in te* (id est coram te, seu cum scandalo tuo, ut explicant cum *Suarez* cæteri Theologi) *corrige eum inter te & ipsum solum*, id est in secreto. 2do. *Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos*, id est in testimoniũ, seu ut possent testari. 3tio. *Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ* id est, defer ad superiores, ubi *quartus* insinuatur actus correctionis à Prælato faciendus, & *quintus* Coactionis per excommunicationem, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Porrò juxta *Cornelium à Lapide* certas ob rationes hic ordo omitti, vel inverti potest, ac subinde debet, ut is qui peccavit,

V. Busenbaum in Medull. Theolog. Moral. l.2

Tract. de Char. dis. 8. sect. 2.

Cornel. à Lapide Comment. in Matth. c. 18. v. 17.

statim deferatur ad superiorem, ut ostendit Salmeron hic, & Gregorius de Valentia 22. quæst. 33. *Prima* causa & casus est, cùm peccatum est publicum, ut famæ ejus, qui peccavit, per secretam monitionem consuli nequeat, multò minus scandalo publico, quod peccans peccando dedit. *Secunda*, cùm peccatum est noxium tertiæ personæ, vel Reipublicæ, uti est Hæresis, quæ ut cancer serpit, ideò statim summâ vi per Pastorem & Episcopum inhibenda, & recidenda est. *Tertia*, si constet monitionem secretam, vel coram testibus, non profuturam; nam ait Adrianus. *Frustra niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est.* *Quarta*, si correptus cedat juri suo, suæque famæ, ac contentus sit, ut peccatum suum illico deferatur ad superiorem, uti in Societate JESU, qui eam ingrediuntur, expressè rogantur hac de re in examine, ac rogati respondent se contentos esse, ut id fiat. In Societate ergo JESU, *Cornelius à Lapide inquit*, & aliis Religionibus similibus, rectè & perfectè ordinatis per omnia, alius corrigendi ordo præscribitur, scilicet ut res statim deferatur ad superiorem, quia Religiosis proponitur hæc regula in ingressu. Unde ipsi cedunt juri famæ suæ. Non ergo illis fit injuria: Ratio est *prima*, quia ad bonum publicum expedit nè peccatum inficiat alios, ut à superiore statim ei obvietur; defectus enim noxius religioni, vix potest efficaciter corrigi sine superiore. *2do.* Quia Religio est schola humilitatis, mortificationis, contemptus honoris & famæ. *3tio.* Quia Religiosi sunt fratres: qui autem corripit, videtur agere superiorem alterius: cùm eum docet, corrigit, instruit. Unde hæ correptiones æqualium in Religione sæpè sunt odiosæ, & lædunt charitatem. Hinc Regula nostra jubet, nè quis alium reprehendat. *4to.* Quia in Societate nostra singuli tenentur reddere rationem conscientiæ, suosquè exponere defectus superiori; ergo & pati, ut alii, si viderint illos, eidem aperiant. *5to.* Quia directio Religionis est Spiritualis & paterna: ut ergo superior singulos, & omnes diligere possit in Spiritu & pace, expedit eum omnes singulorum defectus nôsse. Ita docet S. Bonaventura in Cap. 17. Lucæ, & in Regula S. Francisci, qui fuit Magister Generalis Ordinis Minorum, imò sub eo celebratum fuit Capitulum generale in quo jubetur incarcerari,

Cornel. à Lapide, in Matth. c. 18.

rari, qui aliter docuerit. Et S. Augustinus Epist. 109. in Regula Monachorum sancit, ut si Monacha alterius petulantem oculi jactum viderit, secretò moneat, si iteret petulantiam, imò ex veniali fortè fiat mortalis, deferat ad superiorem. Similia habet S. Basilius in Regulis fusiùs expl. reg. 46. Temerè ergo hoc statutum Religionum carpserunt nonnulli. Statuta enim hæc probata sunt à sede Apostolica. Idem disertè decernunt statuta Ordinis Prædicatorum dist. 1. cap 18. Ita D. Thomas, Richardus, Angelus, Salmeron, Suarez, & alii. Vide Suarez Tom 4. de Relig. c. 7. ubi addit in Societate, & cæteris Religionibus servari quoque hunc ordinem Christi, ut si spes certa sit, secretam monitionem emendaturam proximi defectum, non deferatur ad superiorem.))

Suarez ita docet: In Religionibus si peccatum sit omninò privatum, regulariter loquendo, etiam censeo licere illud immediatè dicere superiori, quia si leve est, levis est etiam infamia, & magna est utilitas ei, qui denunciatur. Item similis consuetudo est valdè consentanea, & ferè necessaria huic statui, ut possit proficere. Si verò est graviùs delictum, vix fieri potest, ut non noceat multis propter magnam familiaritatem & communicationem inter Religiosos ejusdem domûs: sæpè etiam est grave periculum infamiæ totius Religionis; & deinde vix potest esse rationabilis spes emendationis perfectæ, sine superiore, quia aut Religiosus peccat ex malitia & consuetudine, & tunc per se patet difficultas: si ex fragilitate, oportet tollere occasiones, illis enim manentibus non potest existimari firma emendatio. Illæ autem tolli vix possunt absque superiore. Accedit quòd cùm Religiosi profitentur Religionem, vel tacitè vel expresè renunciant aliquo modo juri, quod habere possunt ad hujusmodi famam & ordinem. Tacitè quidem, quia hoc ipso, quòd profitentur perfectionem, & efficiuntur membra corporis, quod ad illam tendit, volunt secum agi illis mediis, quæ illi fini sunt magis consentanea. Præterea, quia sicut se totos, & omnia sua dedicant Religioni, ita ipsa potiùs quàm illi habet dominium famæ eorum. Explicitè autem, si fortassis in religionis instituto id expresè contineatur, quod non est contra charitatem, quia licet ineptè & sine causa infamare se, aut permittere se infamari sit illicitum, tamen cedere alicui

De Charitate disp. 8. sect. 6. num. 12.

alicui famæ, propter majus Spirituale bonum, & proprium, & communitatis est, valde rationi consentaneum; præcipuè cùm hujusmodi infamia ferè nulla sit, ut in proposito, & hoc sensu habet verum sententia *Richardi in 4. dist. 19.* quæstione illa prima dicentis in Religionibus non servari necessariò hunc ordinem. Idem habet *Angelus* verbo *denunciatio* n. 10. & dicit esse communem, & est planè sententia *D. Thomæ* quodlibeto 11. artic. 13. Quæ tamen omnia regulariter intelligenda sunt: Non quia hoc præceptum non obliget omnes, etiam Religiosos, sed quia affirmativum est, & in eo statu rarò occurrunt omnes circumstantiæ, cum quibus obligat ad illum ordinem. Si tamen in aliquo casu occurrerent, non est dubium, quin obligaret, ut etiam *D. Thomas docet, & Basilius in quæstionibus longioribus q. 46 & Augustinus Epist. 109.* Ratio est, quia charitas omnes, & ubique obligat, & nullus cedit juri charitatis, quocirca notanda sunt verba *D. Thomæ* in citato quodlibeto in fine corporis: *Quia propter varias circumstantias* (inquit) *non potest certa regula assignari, ideo habendum pro regula est, quòd in omnibus istis servanda est charitas, & quòd melius & magìs expedire videtur, & si hoc intendat, scilicet emendam fratris, & servet quantùm potest bonum charitatis, tunc denunciando non peccat.*

Cornelius à Lap in Matth. cap. 8.

Ibidem citatus Cornelius.

Porrò in Visitationibus Episcoporum, & Abbatum, alius quoquè servatur ordo. Ipsi enim sub censuris jubent, peccata sibi denunciari. Verùm hi procedunt non per modum correptionis fraternæ, sed judiciariæ inquisitionis, vel accusationis, de quo hìc non agit Christus. Vide Lessium de justitia & jure. Deniquè hìc notandi sunt tres Canones, qui si serventur, non peccabitur in ordine correptionis fraternæ. 1*mus* est, bonum publicum, v. g. Reipublicæ vel communitatis præponderat, ideoquè præponendum est bono privato. 2*dus*, bonum animæ & salutis proximi, præponderat, & præponendum est bono famæ ejusdem. 3*tius*, famæ proximi semper consulendum est, quantùm salvo bono communi & animæ proximi fieri potest.

V Hurt. & Dian. pag. 7. 1. 3. n. 10. & 12.

Altera Correctio, est Justitiæ actus, quo superiores ex vi officii tenentur corrigere peccata subditorum. Hinc quandoquè inquirere debent de peccatis subditorum, ut corripiantur, non tamen multùm & curiosè de aliquo in particulari rogare debent,

nisi speciale ejus signum dederit.)) Eadem correctio ex justitia proveniens, subdividitur in Correctionem *Paternam*, & *Judiciariam*. Paterna est, quando privatim sine pœna publica corrigitur delictum non publicum. Unde D. Thomas ait: *Si ego scio, quòd frater* (qui peccavit) *per me corrigatur, tunc non debeo hoc denunciare Prælato. Si autem videtur, quòd hoc melius fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus sit pius & discretus, tunc licitè potest hoc illi statim denunciare, quia non dicit ei sicut Prælato* & Judici, *sed sicut Patri, & personæ proficienti ad correctionem proximi & emendam.* Judiciaria verò Correctio est, dum publicatum peccatum publicè judicatur & punitur. *Suarez* autem dicit: Duplex est proximi Correctio: Altera Judicialis, quæ fit viâ publicâ, & tendit non tam in ejus emendationem qui corrigitur, quàm in castigationem & pœnam ob commune bonum. Altera Charitativa, cujus finis est bonum & emendatio ejus qui corrigitur.)) Ubi charitativam correctionem supponit tam in superiore, quàm in inferiore corrigente.

D. Thomas Quodlib.11.a.13

Suarez. de Charitate disp. 8.

Incitamenta ad faciendam correctionem fraternam. 1mum. *Psalm.* Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me. *Prov.* Qui dicunt impio justus es, maledicent eis populi: Qui arguunt eum, laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio. *Prov.* Virga atque correptio tribuit sapientiam. *Levit.* Non Oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè (*id est externè servato ordine à Christo præscripto*) argue eum, nè habeas super illo peccatum. *Eccl.* Quàm bonum est arguere, quàm irasci! *Eccl.* Corripe amicum, sæpe enim fit commissio. Et non omni verbo credas. Est qui labitur linguâ, sed non ex animo. Quis est enim, qui non deliquerit in lingua sua? corripe proximum, antequam commineris. *Christus*: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum)) Quare lucratus, nisi quia perierat?

Psal.140. Proverb.24. Proverb.29. Levit.19. Eccl.29. Eccl.7. Matth.18

2dum. *S. Bernardus* ait: Arguere & increpare interdum necesse est. Ferveat ergo in nobis amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo, fratres, vitia palpet, peccata dissimulet nemo: nemo dicat: Nunquid ego sum custos fratris mei? est enim consentire, silere, cùm arguere possis: & scimus quia similis pœna facientes manet, & consentientes. *Sanct. Chrysostomus*: Etiamsi, inquit,

S. Bernardus serm. de Nativ. S. Joannis.

S. Chrysostom. Orat. 3. contra Judæos. inquit, pecuniæ vim immensam dinumerârit aliquis, nihil simile præstiterit eo, qui servat animam, & abducens ab errore, ad pietatem manu reducit. *Et alibi.* Sæpè, inquit, una anima quam lucrati fuerimus, potest innumerabilium peccatorum pondus abolere, animæquè redimendæ fieri pretium in illa die. *S. Chrysostom. Orat. 5. contra Judæos.*

3tium. I. *DEUS* forma correctionis alienæ, dum dicit: *Quos amo, arguo & castigo.* *Apoc. 3.* II. *Christus Dominus*, qui Pharisæorum publica scelera graviter reprehendebat, toties intonando: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, &c. Quin & Discipulis suis non pepercit, eorum defectus arguendo, ut in ultimo quoque Vale, dum maximè amicorum affectus panduntur: *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* *Matth. 18.* Unde S. Bernardus: Noli ergo indignari de cætero, si te Christi aliquando Vicarius increpaverit. Id enim exhibet, quod ascensurus ab eis in cælum suis Christus legitur exhibuisse Discipulis. III. Exemplum B.V.MARIAE de qua hæc S.Hieronymus affert: Erat solicita (manens adhuc in templo) circa socias suas, nè aliqua ex eis in ullo sermone peccaret, nè aliqua in risu vocem suam exaltaret, nè aliqua injurias aut superbiam contra parem suam exerceret. *V. apud S. Bonavent. in Meditation. Vitæ Christi cap. 3.* IV. Exempla non accipientium personas in correptione; Elias liberè increpavit Achab Regem; Elisæus Joram; Nathan Davidem; Isaias Manassen; Daniel Nabuchodonosor, & Balthasarum; Jeremias Joachim, & Sedeciam: Johannes Baptista Herodem; Christus Scribas & Pharisæos. V. S. Magdalena de Pazis inquit: Si ego diligo Sororem, tunc obligata sum, quamvis quoque essem in laude DEI, relictâ illâ, ire ad juvandam Sororem. *Ex Vita S. Magdalenæ de Paz.* Quare si teneor id facere in exterioribus, multò magis obligor dare ei lumen, & insinuare ipsi, de illius defectu, quæ est quædam interior necessitas animæ multò æstimabilior, quàm exterior necessitas. Et si ad juvandum corpus starem unâ & alterâ nocte, & quot opus foret: multò magis si ego haberem in me amorem proximi mei, non æstimarem quidquam fatigationem vigiliarum unius noctis, aut duarum, & cum lachrymis deflerem quamvis minimum defectum Sororis meæ (prout idem etiam re ipsâ multis vicibus hæc Sancta præstabat.)

Circa *Praxim* correctionis fraternæ hæc servanda sunt. *1mo.* Ut privata privatim emendentur. Unde *S. Augustinus*: Corripe (ait) inter te & ipsum solum, intendens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis correctiorem, facis pejorem. *Et nonnullis interjectis*: Obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui, nec sinas eum tuo silentio perire. Si solus nosti, & vis coram pluribus arguere, non es corrector, sed proditor.)) *2do.* Ut fiat correctio juxta Apostolum *in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, nè & tu tenteris.* Et *S. Basilius* in Regula brev. interrog. 99. quærit; quo animi affectu quis alium corripere debeat? & respondet: *Quali uteretur pater & medicus, cum misericordia & lenitate, si filium suum curaret.* Et *Sanctus Bernardus* Tractat. de Gradib. Humilit. *Apostoli* inquit *præceptum est, ut mansueto, id est eo spiritu fratri ægrotanti subvenias, quo tibi vis subveniri cùm ægrotas.* *3tio. S. Leo*: Plus, inquit, erga corrigentem agat benevo-
" lentia, quàm severitas; plus exhortatio, quàm commotio, plus
" charitas quàm potestas; ut delinquens videat non aliud quàm
" suum bonum honoris, famæ, gratiæ DEI, æternæ salutis à cor-
" rectore quæri. idque hoc ipsum provenire ex dulcedine chari-
" tatis, non ex superbia & amaritudine rancoris, quòd meritò sen-
" tiat se obligatum ad gratificandum tam fideli amico, eumque
" strictiùs redamandum. *4to.* Imitetur Nathan Prophetam corrigentem David, maximè dum potentiorem, vel superiorem expedit emendare, utendo nimirum aliquâ parabolâ, vel aliquo simili alio; ut ita suo se judicio condemnet reus. *5to.* Prudenter observandum maximè superioribus monitum illud Apostoli: *Insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Et: *Peccantes coram omnibus argue, ut & coeteri timorem habeant.* Porrò *S. Gregorius* ait: Sciendum verò est, quòd nonnunquam cùm inter flagellorum duritiam remaneant incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi: quos enim cruciamenta non corrigunt, nonnunquam ab iniquis actionibus lenia blandimenta compescunt. *6to*
" *S. Gregorius* ait: Cùm proximos docemus, aut corrigimus, con-
" sideremus, quia aut tales sumus, quales corrigimus, aut tales ali-
" quando fuimus, etiamsi jam Divinâ gratiâ operante non sumus

S. Augustinus sermon. 16. de Verbis Apost.

Galat. 6.

Epist. 84. ad Anast. Episcop. Thess.

2. Tim. 4.

1 Tim. 5.

D. Gregorius in P. st. p. 2. c. 61. p. 3. 14.

S. Gregorius L. 73. Moral. c. 14.

ut

"ut tantò temperatiùs humili corde corrigamus, quantò nos-
"metipsos veriùs in his quos emendamus, agnoscimus. Si autem
"tales nec sumus, nec fuimus, quales illi sunt, quos emendare
"curamus, non idcircò cor nostrum superbiat, nè de ipsa inno-
S. Doroth. serm. 27. centia pejùs ruat.)) 7mo. Audi S. Dorotheum: *Ne in quovis etiam parvo errato severus nimìs esse velis, vel statim inclames & reprehendas; hoc enim apud omnes molestum & durum semper est; & ex consuetudine hac reprehendendi plerumque minùs sentitur reprehensio, & contemnitur nonnunquam, qui reprehendit.* Correptio enim esse debet sicut Medicina, quæ parciùs in usum accepta juvat, nimis frequentata, minùs prodest, imò obest. Huc servit illud vulgare pro superioribus: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.* Pulchra hoc in puncto cernere est exempla S. Magdalenæ de Paz; quæ id habebat in more, ut eo tempore nullam moneret & puniret, cùm esset in affectu & passione, verùm expectabat quousque illa totaliter pacificaretur in animo. Similiter dum illi aliqua responderet cum perturbatione, & torvo aspectu, illa eam respiciebat diligenter admirabili affabilitate & benignitate, nec quidquam dicebat sub illud tempus, donec commoditate visâ, illas immortificatas corrigebat. Contigitque quòd multis mensibus quandam satis modestè ferebat, quæ ex diabolica tentatione exasperata fuit contra Matrem S., ut ei nè minimum verbum Magdalena loqueretur, quousque videret aptam ad agnitionem sui erroris & delicti. Tempus quoque quo hæc Sancta eligebat ad correctionem sibi subjectarum Sororum, in qua ipsis assignabat disciplinas, mortificationesquè publicas fuit, illud, quo exibant ab oratione, vel alio spirituali exercitio; censebat enim tunc animum magis esse recollectum ad faciendum fructum ex sua monitione, & mortificatione. Tum etiam ut si aliqua complacuisset sibi de benè absoluta oratione perceptoque ejus gustu, audiens suos defectus, eò faciliùs se cognosceret, periretquè propria complacentia. Fuit autem quid mirandum in hac Sancta, quòd uno eodemque tempore cum una severè & authoritativè, cum altera benignè & misericorditer procederet: modò unam respiceret severo vultu, pudefaciebatq; illam suos oculos in terram humiliter demittendo: moxque vertens se ad alteram placidâ facie ex tristi & meticulosa

In Vita S. Magdalenæ de Paz.

lætam

lætam efficiebat. Hanc zelosis verbis arguebat, & mox ad alteram dulci alloquio ferebatur. Hanc in lætitia continebat, nè fieret dissolutior: alteram ex melancholia hilarem faciebat. Aptabatque se pro cujusque defectu, necessitate, ac exigentia, omnibus facta adjutorio, sine tamen illarum mutua invidentia, aut suspicione de singularitate. Deinde in eodem momento maximè contra inobedientes in suscipiendis pœnitentiis & mortificationibus, apparebat zelosa & misericors, vindicativa & clemens, magnanima & humilis, adeò ut propter magnam humilitatem, cum qua alias monebat, videbatur pavere & tremere, & simul efficiebat, ut propter magnanimitatem, quæ de ejus vultu emicabat, coram illa aliæ metuerent ac trepidarent. Dumquè videret aliquas non fideliter obedientes in persolvendis pœnitentiis, ipsa pro eis persolvebat eandem mortificationem vel pœnitentiam, cum vera humilitate, quasi ipsa deliquisset, adeoquè suâ humilitate pudefaciebat, authoritate verò annihilabat superbiam illarum pertinacium. Quodsi idipsum non juvisset, in præsentia ejusmodi procacium flectebat coram aliqua Novitiarum, rogans cum lachrymis, ut illi diceret quo posset juvari illa anima: quâ humilitate pudefaciens inobedientem, facilè efficiebat humilem & probam. Cùmque quadam vice in simili occasione eo medio cum quapiam Novitia usa fuisset, minùs tamen id juvaret, statim agnovit hanc pertinaciam & duriciem procedere ex tentatione diabolica, quare acceptâ disciplinâ, zelo gloriæ DEI accensa, cœpit illam percutere cum magna severitate dicens: Volo videre quisnam hìc ampliùs debeat prævalere, an DEUS, cujus personam gero: an dæmon, qui hujus Sororis cor obsedit? & volo tamdiu perseverare, donec videam quisnam poterit ampliùs. Sicut etiam permanebat in illo rigore non modico tempore, quousquè tandem illa Novitia rediret ad meliorem mentem, & humiliata petiit veniam à S. Magistra.

Accipe quoquè ex suprà dictis, & hìc congruo modo applica. *l. 2. tract. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.*

6tum: *Offensas remittere.*

INcentiva. 1mum. *Eccl.* Omnis injuriæ proximi nè memineris, & nihil agas in operibus (*id est per opera*) injuriæ. *Et.* Re- *Eccl. c. 10. Eccl. c. 28.*

linque proximo tuo nocentie; & tunc deprecanti tibi peccata solventur. *Christus.* Dimittite, & dimittemini. *Et alibi.* Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra: Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Item Christus* minatur tortores dicens: Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Luc. 6. Matth. 6. Matth. 18.

2 *dum.* *S. Isidorus* inquit: Magna gloria est, si cui potuisti nocere, parcas. *S. Chrysostomus* ait. Non ulcisci, DEO facit æqualem. *Item.* Qui prior venit (nempe ad componendam offensam) is totum lucrum anticipat, si enim ab alio exoratus iram relinquis, illi imputatur, cujus precibus impetratum est. Non enim DEO obtemperas, sed illi gratificans legem adimplevisti. Christus prior de cælis descendit ad nos, ut nos, ad se revocaret. Christianus ergo est, & Christi assecla, qui id ipsum imitatur. Pusilli & arcti animi est fovere injurias; ampli & celsi eas abolere, ut Moyses postulans à DEO veniam rebellionis à populo admissæ: *Magnificetur ergo* inquit, *fortitudo Domini, sicut jurâsti dicens: Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera.*) Christus orat dimtti suis crucifixoribus: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* S. Stephanus veniam suis lapidatoribus precatur dicens: *Domine, nè statuas illis hoc peccatum.* *Aliud.* Habet DEUS modos & media quibus ex improviso quis ad perfectionem pervenit. Ignotus est tibi S. Engelbertus Coloniensis Episcopus à Friderico comite Isenburgensi. 47. vulneribus exceptis, quæ punctim acceperat, nefariè trucidatus? De hoc interrogatus dæmon in obsesso corpore, cur à morte tot clareret miraculis, qui inter vivos tantæ sanctitatis haud fuerit? respondit, causam tantæ gratiæ esse, quòd cùm jam moriturus in proprio sanguine volutaretur, pro suis interfectoribus apud DEUM intercesfit dicens: *Pater ignosce illis.* Atque ex eo coram DEO adeò potentem effectum, ut ipsi modò nihil denegetur, quidquid postulet. Nec esse inter Colonienses Episcopos, qui ipsi apud DEUM, par in meritis & gratia existat. Vides, quid unus sæpè actus bonus efficere queat? DEUS ex lapide suscitare potest filium Abrahæ. De nullo diffidendum est. Occasio non solùm fures, sed

Isidorus Lib. 4. Epist. 29. ad Flori. S. Chrysostom. Homil. de Simult. & Ira. T. 6. Num. 14. Luc. 23. Actor. 7. Nebridius Antiquar. Monastic. Epistol. 38 Cæsar. Heisterbac. in Vita L. 2. A. D. 1225.

ſed & Sanctos facit. *Aliud.* Magiſter Simon Berti, Ordinis Prædicatorum, narrat in ſuis ſermonibus, qui manu ſcripti in Bibliotheca Sancti Marci Florentiæ inveniuntur, quendam hominem occidiſſe fratrem nobilis alicujus civis, & cùm non poſſet effugere manus ipſius quærentis ad vindictam, cum omni diligentia pœnituit eum facti ſui, & confeſſus patratum homicidium, commendavit ſe DEO cum prudenti deliberatione, & ſponte ex improviſo illi ſe repræſentavit die Veneris Sancto, & provolutus ad pedes ipſius, fune & cingulo è collo ſuſpenſo veniam mortis rogavit, quam fratri ejus intulerat, & præterea ut vitam ſibi donaret amore DEI, & Filii ſui JESU CHRISTI, qui eo die paſſus erat pro nobis. Visâ tantâ humilitate, motusquè clementiâ nobilis ille compunctus eſt, & illi donavit pro amore CHRISTI, vitamquè largitus eſt, & ipſum amplexatus & oſculatus dixit. Vade in pace frater: DEUS tibi remittat in cælis, ſicut tibi remitto in terris. Sed audite magnam mercedem, quam DEUS retulit pro tam heroico facto ipſius amore deſignato: ſequente apparuit ipſi nocte Chriſtus in viſione & ait: Quoniam heri amore mei condonâſti inimico tuo, noveris me animam fratris tui occiſi hac horâ è purgatorio liberâſſe, & inſuper animam patris tui ex eadem pœna exemiſſe, & ambos mecum duxiſſe in gloriam cæleſtem. Quin etiam hæc ſuperaddidit: Te invito ad octavum diem, ut relictâ hujus mundi miſeriâ posſis gloriâ cæleſti frui. Et ſic factum eſt. Nam octavo die poſt bene præparatus requievit ſanctè in Domino. Ecce grandis fructus, qui colligitur condonando inimicis. Quare non remittendo, poteſt credi, animas diutiùs cruciari in purgatorio. *Aliud.* Theodoſius Imperator beneficium ſe accipiſſe dicebat, cùm ignoſceret. *Aliud.* Adrianus quamvis gentilis Imperator creatus dixit ſibi ereptam facultatem eſſe injuriæ privatæ ulciſcendæ, quòd Imperatorem deceat nonniſi publicas Reipublicæ injurias vindicare, privatas verò condonare, ejus enim dotem propriam eſſe clementiam.

Ex Seraph. Bozio in ſuo hortulo exempl. tit. poſter. de dilectione inimic. exemplo unico.

S. Ambroſius Serm. de obitu Theod.

In Praxi. Tertullianus docet claudendas eſſe aures, nè injurias audiant. Si parum *inquit* æquanimiter audiam dictum aliquod in me protervum aut nequam, reddam & ipſe ama-

Tertullianus Libr. de Patientia. cap. 8.

amaritudinis vicem, necesse ; aut cruciabor impatientiâ mutâ. At qui hujusmodi dictis aures obstruxerit, ab utroque incommodo eripietur, neque loquens maledicet, neque tacens affligetur.))

Psalm. 37. S. David : *Ego autem* inquit, *sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Quodsi insuper actum humilitatis

Psalm. 38. exerceas, ut idem Rex consueverat dicens. *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversum me : Obmutui, & humiliatus*

In Vitis Patr. L. 10. cap. 34. Aut. Moscho. *sum, & silui à bonis.* Et Divus Alexander Patriarcha Jerosolimitanus, quem unus ex Diaconis ejus, quodam tempore coram Clericis omnibus injuriis affecit. Qui mox prostratus humi, veniam

S. Augu. Epist. 54. ad Luci. Sect. 6. petiit dicens: Ignosce mihi Domine Frater. 2*do*. Juxta D. Augustinum injuriarum remedium est Oblivio. Hæc fac, & vives.

Supple reliqua ex suprà dictis de Dilectione inimicorum.

7timum: *Aliorum defectus supportare.*

D. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 3. DE hoc ita S. Thomas ex Apost. Rom. 15. *Debemus nos firmiores, aliorum infirmitates sustinere.* Et non solùm secundùm quod infirmi sunt, sive graves ex inordinatis actibus : sed etiam quæcunque eorum onera sunt supportanda secundùm illud, Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*)) Juvat considerare te quoque hominem esse, adeoquè multis defectibus naturalibus, & moralibus obnoxium, quos fortè præ cœcitate amoris proprii, & superbiæ, in te non advertis, sed aliis ipsâ re sæpè onerosus, importunus, molestus es. Sicut igitur velles charitativè à cæteris tuas miserias supportari : Ita & tu fac cum aliis.

§. III.

Alia Opera Misericordiæ, ad præcedentia vel formaliter, vel æquivalenter, vel moraliter reducibilia.

Psalm. 36. PRimum est. *Mutuum dare. Psalm.* Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit. *Et alibi*. Jucundus homo qui miseretur & commodat; disponet sermones suos in judicio: quia in æternum non commovebitur. *Ecclef.* Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo; & qui prævalet manu, mandata servat. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, & iterum redde proximo in tempore suo. Confirma verbum, & fideliter age cum illo, & in omni tempore invenies, quod tibi necessarium est. Multi quasi inventionem, æstimaverunt fœnus, & præstiterunt molestiam his, qui se adjuverunt. Donec accipiant, osculantur manus dantis: & in promissionibus humiliant vocem suam, & in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædii & murmurationum, & tempus causabitur; Si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium & computabit illud, quasi inventionem: sin autem, fraudabit illum pecuniâ suâ, & possidebit illum inimicum gratis, & convitia & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio, reddet illi contumeliam. Multi non causâ nequitiæ non sunt fœnerati, sed fraudari gratis timuerunt. Verumtamen super humilem animo fortior esto, & pro eleemosyna non trahas illum. Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ejus non dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum: & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum.)) *Christus Dominus monet:* Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, nè avertaris. *Et. Date mutuum, nihil inde sperantes*, scilicet lucri alicujus & potissimùm usuræ.

Psalm. 91. *Eccl.* 29. *Matth.c.*5.

2dum est. *Liberare innocuos à morte.* Prov. Erue eos, qui injustè ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare nè cesses. *Prov.* 2.4.

3tium. *Confessiones audire.* In hoc opere omnia spiritualia misericordiæ opera contineri probat *Franciscus Arias* ita discurrens. I. Hìc *Docentur ignorantes*: Nam inter pœnitentes quidam sunt, qui nesciunt res ad salutem necessarias, nempe mysteria fidei, & Divina præcepta, alii qui statuum officiorumque suorum

Francisc. Arias T. 2. *Thesaur. in exemplis de misericord. cap.* 46. & 47.

ſuorum obligationes ignorant; alii qui neſciunt, quomodo orare & meditari debeant, neque media quibus virtutes acquirant; quæ omnia bonus confeſſarius eos docet. Et quamvis in officio prædicandi hæc populus doceatur, tamen quia fit ſermo in generali, non tam bene capiuntur, nec tam ſufficienter explicantur, quàm cujusque necesſitas exigit: At in confesſione ubi pœnitens ſuam ignorantiam detegit, & attendit ad id, quod ei dicitur: quidquè is in particulari, ac juxta ſuum captum, necesſitatemquè docetur, meliùs eruditur, inſtruitur, & majori cum lumine de iis rebus, quas eum ſcire oportet. 2. Hìc *egentibus conſilium datur*: Quia pœnitens exponit Confeſſario ſua dubia, quæ ipſi circa ſuum ſtatum, vitam, officium occurrunt, ſuas item, conſolationes, moleſtias, tentationes, virtutes, ſcrupulos, & timores: & Confeſſarius ei clarè ac diſtinctè reſpondet, dubia illi eximit, ſalutaria conſilia ſuggerit, conſcientiam ei tranquillat, & ad id quod ei convenientius eſt, dirigit. 3. Hìc *afflicto ſolatium præbetur*: Quia homines confeſſario liberiùs, diſertiùsque ſuos mœrores, ærumnas, tribulationes, doloresquè aperiunt, & confeſſarius DEI ſervus, rationibus in Divina providentia, amore, miſericordia, ac promiſſis, fundatis, eos conſolatur, corroborat, animat; valde recreatos, alacres, & ad bonum excitatos domum remittit. 4. Hìc *peccator corrigitur*: Siquidem hìc locus eſt, ubi ejus peccata reprehenduntur, ubi ejus examinantur culpæ, ipſiquè delictorũ ſuorum turpitudo ob oculos ponitur, ubi ipſe ſe humiliat, dedit, ſubmittit, & quidquid ei injungitur, obedit. 5. Hìc multæ ſunt occaſiones *condonandi injurias*: Bonus enim Confesſarius multis abſolutionem denegare debet; quia non veniunt cum ea, quæ neceſſaria eſt diſpoſitione; aut quia nolunt occaſiones, pravas conſuetudines deſerere, nec injurias condonare; aut quia reſtitutionem non præſtiterunt, nec ſtatus, officiiquè ſui obligationibus ſatisfecerunt, nec id facturos ulla probabilitas eſt, & multos iratos exacerbatosquè dimittere debet, quia cùm reprehenduntur, nec ſe humiliare volunt, ad reprehenſionem indignaturi, ſequè medico ſanare eos volenti oppoſituri ſunt; & multos confesſione non auditâ conturbabit, doloreque afficiet, abſtrahendo ab eis mulierculas, quibus cùm DEUM offendunt, &

ſocios,

ſocios, quos in ſua perverſitate habent. Erga omnes hos, qui ipſi adverſabuntur, nec merentem offendent, miſericordiâ uti debet, eis compatiendo, illosquè diligere, & valde ex corde iisdem *ignoſcere.* 6. Hic proximi moleſti, tetrici, paſsionibusque obnoxii *tolerantur*. Multi enim pœnitentes, imperitisſimi ſunt, nec confiteri ſciunt, eſtquè neceſſe omnia, quæ dicere debent, ex eis quærere; alii perquam ſunt hebetes, & quamvis res ſæpè inculcetur, non tamen capiunt, alii in narrandis peccatis difficiles ſunt, ea excuſant, celant, negant, eſt cæleſti artificio opus, ut ea ex ipſis exſculpas; alii ſibi contradicunt, neque in eo quod confitentur conſtant, modò ajentes aliquid, modò negantes, ut neſciat Confeſſarius, quod judicium ferre debeat; alii verò prolixi ſunt rebusquè ſupervacaneis tempus perdunt, alii admodum ſunt ſcrupuloſi, nec acquieſcunt, quidquid eis dicatur, alii valde ſunt liberi, audaces, feroces, contradicentes ac repugnantes iis, quæ confeſſarius ipſis dicit, alii accedunt ad confesſionem admodum duri, & velut inſenſibiles, ut quidquid eis dicatur, nullus in ipſos peccatorum ſenſus cadat. Atque hos omnes Confeſſarius cum ingenti patientia tolerare, & magna cum animi æquitate expectare, & cum amore pietateque tractare, & placidè & ſuaviter eis loqui, & benignum affabilemquè ſe ipſis præbere debet. Si enim aſperè eos tractet, & iracundè ipſis loquatur, exacerbantur, indignantur, contriſtantur, & obmuteſcunt, adeoquè deteriores fiunt, & ineptiores ad confitendum, minùs remedii capaces manent. 7. *Orandi verò pro proximis DEUM*, ubi bonus Sacerdos juſtius exercitium habet, quàm in confesſionibus excipiendis, ſiquidem ibi oportet, dum confesſionem audire incipit, cor ad DEUM elevare, ab eoquè lumen & gratiam pro ſe ac pro pœnitente petere. Et dum confesſio durat, gemitus ac ſuſpiria ad DEUM continuare, eumq; ſemper præſentem intueri, poſtulando ab ipſo auxilium ad movendum illam animam, atq; in Sancto ejus obſequio dirigendã, cùm ſine ejus auxilio nihil poſſumus facere, nec dicere, nec cogitare, quod bonũ ſit, ac præſertim ad effectũ tã ſupernaturalem, quàm eſt convertere peccatorem. S. Edmund. cùm eſſet Cantuarienſ. Archiepiſc., quemadmodũ in cæteris omnibus virtutibus profecit; ſic etiã crevit in æſtimatione officii confesſiones audiendi, & in vigilantia magnaq; ſolicitudinè, quâ hoc ſanctũ miniſterium exercuit: *Sur. in vita. ejus.*

Cùm

Cùm esset in itinere, si quis ei vel tenuissimæ sortis homo peccata sua confiteri voluisset, mox ab equo desiliit, confitentem audivit, pium & affabilem illi se præbuit, nec repulit eum, vel ob temporis importunitatem, vel ob hospitium propinquum. In Religione Franciscanorum fuit Sanctus quidam frater, nomine Antonius, patriâ Segobiensis, vir magni spiritûs & valde perfectæ virtutis, idemq; maximus Concionator, qui simul cum prædicatione se multùm in excipiendis confessionibus exercebat. Huic Sancto revelavit DEUS ingentem, qui ex confessionibus colligeretur fructum, ac per hoc Divinum lumen tantopere istud ministerium adamavit, tantiquè fecit, ut sæpè diceret; Si DEUS me in cælum abduceret, & mihi illic existenti facultatem daret, pedem inde efferrem ad audiendas peccatorum confessiones, ut eos hoc medio ad salvandas eorum animas juvare possem. *Hactenus Arias.*

In historia Min. p. 2. l. 4. cap. 36.

SECTIO XV.

De Oppositis Misericordiæ, Beneficentiæ, Eleemosynæ, earumquè Actibus.

§. I.

PRimum Oppositum est: I. *Pseudomisericordia, quâ aliquis miseretur alterius corporali commodo, cum ejus spirituali detrimento.* Talis misericordia teste S. Bern. crudelitatis plena est, ut manifestè patet. 2. *Oppositum est apparens Misericordia, vel Eleemosyna*, quæ fit ex impuritate intentionis. Unde S. *Augustinus* ait: Multi *eleemosynam* foris faciunt, & intus non faciunt, qui vel ambitione, vel alicujus rei temporalis gratiâ volunt misericordes videri, in quibus sola sinistra intentio operari existimanda est. Item alii intentione, quæ in DEum est, eleemosynam faciunt, & tamen inserit se huic optimæ voluntati nonnulla etiam laudis vel cujuscunque rei fragilis & temporalis cupiditas. Sed Dominus noster utrumquè prohibet, ut scilicet caveamus solâ rerum temporalium cupiditate eleemosynam facere; itaquè in hoc opere attendamus DEUM, nè sese misceat, vel adjungat externorum appetitio commodorum, sed cor nostrum unâ DEI, rerumquè æternarum intentione, purifi-

D. Augustinus de Serm. Domini in monte cap. 2.

purificet aciem suam.)) Et *Apostolus* monet: *Qui tribuit in simplicitate.* Cæsarius refert dicens: Non multi anni sunt elapsi, quòd quidam ditissimus ministeralis Ducis Bavariæ defunctus est. Nocte autem quadam castrum, in quo uxor ejus dormiebat, sic concussum est, ut & terræ motus fuisse videretur. Et ecce ostio cameræ in qua illa jacebat aperto, quodam gigante nigerrimo cum capillis impellente maritus ejus ingressus est. Quo residente, cùm de statu suo interrogaretur, multùm tristis respondit. Pœnis verè æternis deputatus sum. Ad quod verbum illa multùm territa, respondit. Quid enim est quod dicis? Nonne eleemosynas magnas fecisti? Ostium vestrum peregrinis omnibus patuit, non prosunt vobis ista beneficia? respondit. Nihil prosunt ad vitam æternam, eò quòd ex vana gloria, & non ex charitate illa à me facta sunt. Cùm eum ex aliis interrogare vellet, iterum respondit. Concessum est mihi tibi apparere, sed non licet morari. Ecce ductor meus diabolus foris stat, expectans me. Si enim omnia folia arboris verterentur in linguas, tormenta mea exprimere non possent. Post hoc evocatus & impulsus, in ejus abscessu totum castrum ut priùs concutitur, vocesq; ejulatus ejus diutiùs audiuntur. 3. *Opponitur falsa & illicita Eleemosyna.* Est eā de his rebus dare, quæ non sui juris & dominii sunt, sed alieni, nisi in extrema necessitate; adeoquè servus, raptor, fur de alienis nequit facere eleemosynas, sed ablatas restituere suo Domino. Sicut etiam juxta *D. Bernardum*: Sunt quidam misericordes de his, quæ ad ipsos non pertinent: qui scandalizantur, quòd non datur omnibus abundanter: sic tamen ut ipsi nè in modico quidem graventur, qui si misericordes essent de suo facere deberent misericordiam: si non possunt de terrena substantia, de voluntate bona darent his, qui contra eos fortè peccare viderentur, indulgentiam: darent dulce signum: verbum bonum, quod est super omne datum optimum, ut eorum mentes ad pœnitentiam provocarent. Deniquè & his omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent & orationem. Alioquin misericordia illorum nulla est, & misericordiam consequentur nullam.

Rom. c. 12. Cæsarius libr. 12. cap. 19.

V D. Thom. 2. 2 q. 32. a. 1. 7. & 8.

S. Bernardus Epistol. 73. ad Rainold. Et in Sermon. 4. de Adventu.

2*dum Eleemosynæ Oppositum, est per Excressum,* quando juxta

D.Thom.2.2.q.32.a.10. D. Thomam sic abundanter Eleemosyna datur, ut accipiens superfluum babeat. Unde Apostolus dicit: Cor.13. Si distribuero in cibos pauperum. Ubi Glossa dicit: Per hoc cautela eleemosynæ docetur, ut non uni sed multis detur: ut pluribus prosit.

3tium Oppositum est per Defectum, vocaturquè *Obduratio affectûs*.

Proverb.21. Contra quam hæc accipe. Prov. *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Item: *Prov.28.* *Qui dat pauperi, non indigebit; & qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Item: *Psalm.108.* *Dispereat de terra memoria eorum; pro eo, quòd non est recordatus facere misericordiam.* *Eccles. cap.3.* Eccl. *Cor durum habebit malè in novissimo.* Jacobi: *Jacobi.2.* *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.* Deniquè Christus in *Matth.26.* illo die, hanc tremendam intonabit Sententiam: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. Sitivi, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me. Nudus: & non operuistis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere: & non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æter-* *Luc.16.* *num.* Epulo ille infelix, cruciatus flamma gehennali, super ardentem linguam, guttam aquæ à Lazaro impetrare nequivit, cui *S.Basilius Con. 4. de Elect.* micas panis impertiri neglexit. *S. Basilius ait*: Tot injuriâ afficis, quot tuis rebus, dum licet, non juvas. Respondent avari: Ecquem injuriâ afficio, si mea teneo? Respondet iterum S. Basilius: Quid ais tua? Unde ea in vitam attulisti? quemadmodum si quis in theatro sedilia occupet, ac deinde supervenientes excludat, sibi proprium vendicans, quod omnium usui patet; ad eum modum se divites gerunt. Cùm enim quod commune est, priores invaserunt, ex præoccupatione, id proprium sibi faciunt. Nonnè nudus ex utero elapsus es? nonnè nudus in terram reverteris? ista, quæ habes, unde tibi orta sunt? Si ultrò fortuitòque dicis, impius es, cum non agnoscis, qui ea creavit, nec gratiam illi habes, qui ea tibi dedit. Si verò confiteris ea à Deo profecta esse, dic mihi qua de causa acceperis? Num DEUS injustus est? qui ea, quæ victûs sunt, inæqualiter distribuit? Cur tu dives? ille verò pauper est? An ideò planè, ut & tu beni-

gnitatis, & fidelis dispensationis mercedem recipias, & ille magnificis tolerantiæ præmiis cohonestetur? Tu verò cùm omnino inexplebilem avaritiæ tuæ sinum infarcias, neminem putas injuriâ lædere, cùm tot defraudes? An non tu avarus es, an non fraudator, qui quæ dispensanda acceperis, ea tibi propria facis? Famelici panis est, quem tu detines; nudi vestimentum est, quod tu in tuis capsulis servas; decalceati solea est, quæ apud te putrescit; egeni pecunia est, quam tu defossam habes. Ergò totidem injuriâ afficis, quot præbere potuisti.))

Excusationes immisericordium perstringit & refutat *Sanct. Basilius* dicens: Quantopere Benefactori tuo DEO, gratiæ agendæ sunt, quàm hilaris nitidusquè esse debueras de eo honore, quòd ipse aliena limina non vexes, sed tua ab aliis occupentur. Nunc contrà mœstum te præbes, aditurquè difficilem, & occursus hominum vitas, nè quid vel pauxillum è manibus cogaris emittere. Unam nosti vocem: Non habeo, neque dabo, pauper enim sum. *S. Basilius hom. in divites avaros.*

Ista est *Prima Excusatio*, nè aliquid tribuat egeno, sed pulchrè respondet citatus *S. Pater*: Pauper es revera & inops omnis boni, inops charitatis, inops humanitatis, inops fiduciæ in DEUM, inops spei æternæ. *Iterum* his respondet idem *S. Pater*: At pauperem te esse respondes, & ego tibi adstipulor. Pauper enim est, qui multis eget. Multorum verò vos indigos, facit insatiabilis cupiditas. Decem talentis, decem altera apponere studes, ea cùm viginti fuerint, rursus totidem requiris, semper id quod additur, non impetum cupiditatis sistit, sed aviditatem incendit. *Ibidem.* *Idem hom. adversus divites.*

Secunda Excusatio est. Incertum, ais, est, num nos inexpectatæ necessitates invasuræ sint. *Respondet S. Basilius eleganter*: Incertum an defossi auri usuras requires, sed non incerta pœna est tuæ inhumanitatis. *Probat id ipse, & ostendit in particulari, dum addit*: Multos novi, qui jejunant, qui orant, qui gemunt, qui omnem quæ sumptu caret, pietatem præseferant; unum tamen obulum afflictis non præbent. Quid cômodi ex reliquis virtutibus? quandoquidem eos regnum cælorum non admittit. Quid Judici respondebis? Tu qui parietes vestis, homines non induis? qui equos exornas; fœdam miseriam fratris negligis? Qui frumentum longa *Ibidem.*

detentione putrefacis? famelicos non alis? Qui aurum defodis, & eum qui fame angitur, nihil respicis?

Tertia Excusatio obduratorum & immisericordium viscerum est, potissimùm cùm plures egeni concurrant: Non est, *ajunt*, in nostra potestate, ut petentibus sufficiamus. Respond. *S. Basilius*: Linguâ quidem ejuras hanc facultatem, sed à tua ipsius manu refutaris: Ea enim tacita tuum mendacium proclamat, cùm undique resplendeat fulgore annularis palæ. Quot potest unus tuus annulus ab ære alieno liberare, quot domos ruinosas instaurare? Una tua vestiaria arca universum populum algentem frigore, amicire potest. Tu tamen re infectâ pauperem ablegas, nec vereris justissimam illam Judicis talionem; non misertus es, non misericordiam impetrabis, non aperuisti domum, è regno ejicieris, non dedisti panem, non accipies vitam æternam.

Ibidem.

Quarta Excusatio est. Liberis nostris est providendum, & necessariæ sunt divitiæ propter illos. Respondet *Sanctus Basilius*: Hæc est illa speciosa causificatio avaritiæ; liberos enim in excusationem prætenditis, cùm animos vestros adimpleatis. Cùm à DEO postulabas fœcunditatem: Cùm cupiebas liberorum pater fieri: Nunquid & hoc apposuisti precibus tuis? Da mihi liberos, ut tuis præceptis non obediam, ut ad regnum cælorum non perveniam. Cæterùm quis de moribus pueri fidejussor erit? quòd ut oportebit, rebus hæreditatis utetur. Multis enim divitiæ flagitiorum administræ fuerunt. An non audis Ecclesiastem dicere. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, divitiæ conservatæ, in malum domini sui. Et rursus: Studiosissimè laboravi habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & solicitus fui. Vide igitur nè cùm infinitis laboribus divitias congregaveris, materiâ scelerum alios instruxeris; atque ob id duplici pœna afficieris, eò quòd & ipse peccâsti, & quòd aliis peccandi fomitem suppeditâsti: Nonnè tibi quovis filio anima charior est? nonnè illa longè omnium tibi proxima est? Quæ prima est, primogenia hereditatis à te accipiet. Opulentas ei facultates vivendi suppedita, & tunc liberis tuis divides bona, unde vivant.

Ibidem.
Ecclef. 5.
Idem 2.

Quinta Excusatio est eorum, qui liberis carent. Ego dum vixero,

vixero, bonis meis frui volo, & cùm per omnem vitam meis bonis usus fuero, à morte pauperes successores relinquam, & in testamento & codicillis dominos eos mearum rerum declarabo. Respondet *S. Basilius* : Cùm non ampliùs in humanis eris, tunc scilicet humanus futurus es ? cùm te cadaver videro, fraternæ charitatis studiosum appellabo ? Magna tibi gratia habenda de tuo officio, quòd cùm in sepulchro jaceas, & in terram resolutus sis, liberalis exstiteris, & magnanimus in sumptibus faciendis. *Addit denique & hoc responsum Vir Sanctus* · Atramento & literis beneficia polliceris, sed quis tibi renunciabit tempus exitûs tui ? Quis fidejussor erit de genere mortis tuæ ? Quot violentis casibus sublati sunt, quibus nè vocem quidem erumpere licuit ? Quot febris insanos fecit ? Quid igitur tempus expectas, in quo sæpè nec cogitationum tuarum compos eris ? Nox profunda, morbus gravis, opitulator nusquam. Hæreditatis insidiator in promptu, qui omnia ad suum commodum digerat, consiliaquè tua irrita faciat. *Hæc S. Basilius.* *Id. Homil. adversus divites.*

Igitur *in Praxi* Immisericors has & similes ratiunculas suas fulgore veritatis dissipans, promptè inclinetur ad opitulandum miseris.

Vide etiam suprà dicta, & hîc convenienter adhibe contra Opposita Misericordiæ, Beneficentiæ, & Eleemosynæ. *1.2. tract. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 1. & 2.*

§. II.

R*efectioni Esurientis, & Sitientis*, Opponitur vitium nempe *Excessivus & Superfluus apparatus cibi, & potûs* ; quo occasio datur ad transgrediendos limites Temperantiæ. Tum *Importuna Coactio* ad potandum usque in ebrietatem. Qui excessus & abusus apud mundi politicos vocatur Humanitas, Generositas. Quam turpia hæc virtutum decora ! Rex Assuerus Regalem munificentiam & liberalitatem in suos subditos ostensurus, fecit eis grande convivium In quo *nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum; Sed sicut Rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisq; quod vellet.* En discreta humanitas Gentilium confundat irrationalem profusionem illorū Christianorum, qui suos Convivas non tam exhilarant, quàm in corpore & anima mergere *Esth. 2.*

ac perimere nimio potu gestiunt. Deinde opponitur *per Defectum.* S. Ambros. ait: Pasce fame morientem, Si non pavisti, occidisti.))

e. pasc. d. 68.

Visitationi & obsequio infirmorum Opponitur Negligens cura eorum. De quo accipe exemplum. Pater Antonius Capucinus per mensem in sepulchro fratrum suum purgatorium in gravissimo fœtore cadaverum subire debuit, quòd vivens ægrotorum matulas & scaphia purgare nauseârit. Ex eodem Ordine alter omninò damnatus est, quòd ægrotantibus Superioribus diligentissimè, Fratribus gregalibus negligentissimè inservierit; cùm vi Regulæ cunctis debuisset æqualiter. Alter negligens visitare fratres infirmos, & ipse infirmatus, accedentes illum visitare occultâ vi repellebantur.

Bover. in Annal. A. D. 1579.

Ibidem.

Idem 1576.

Sepulturæ Mortuorum opponitur *Excessiva pompa, & apparatus ornandi ipsa cadavera, tumbas, feretra, mausolæa, &c.* Quæ magis obsunt animabus defunctorum, quàm prosunt: prodessent autem si ejusmodi sumptus inutiles potiùs in pauperes & pios usus converterentur. *S. Pachomius* videns quendam fratrem, qui negligenter suam vitam consumpserat, honorificentiùs sepeliri, conversus ad fratres suos ait: Desinite psallere, præcepitquè defuncti vestimenta splendida (quibus indutus erat) auferri, & coram omnibus exui, & ita cadaver efferri jussit præter aliquam psalmodiam; atque sepeliri. Fratres igitur cum Parentibus & universis qui tunc aderant, precabantur senem, ut consuetam super eum psalmodiam celebrari permitteret. Quibus cùm non acquievisset, cœperunt parentes dicere. Quid hoc est spectaculum novum? Noli quæsumus inferre mortuo, quod nec tuam penitus condecet Sanctitatem. Nam & nos hinc maximo notamur opprobrio. Quibus respondens Pachomius. Verè fratres ac filii plus vobis, quàm præsentis mortui misereor, quia vobis de visibili re ac temporali curantibus: ego de invisibili ejus substantia solicitudinem geram; & idcircò hæc circa ipsum fieri jubebam. Et vos quidem majores illi dolores per hunc honorem, quem putatis, acquiritis, ego autem quantulamcunque requiem vel satisfactionem per hanc injuriam præparabo. Sepelite ergo eum sine Psalmis, ut dixi: Potens est DEUS benignus pro supplicatione nostræ parvitatis eum in æternam suam requiem collocare.

Ex gestis S. Pachomii §. 39.

care.

care. Hæc cùm dixiſſet, abierunt, & ſicut Venerabilis Pater præceperat, fecerunt.)) Similiter nimius dolor & lachrymæ ex amore naturali profuſæ videntur retardare animas ab æterna requie, ut patet in quadam hiſtoria ſpeculi exemplorũ, dum ſcilicet filius apparens matri multùm ſe lugenti, madidis veſtibus à maternis lachrymis, dixit ſe gravari à velociori proceſſu procul dubio quin ad beatam felicitatem.

§. III.

CORrectioni fraternæ opponitur, *Imo Ficta Correctio*: quâ aliquis non ex amore & compasſione delinquentis, ſed ex ira & vindicta, ſub ſpecie correctionis alium invadit, & corripit. Hinc ait Eccleſiaſticus: *Eſt correptio mendax in ira contumelioſi.* Quare Plato rectè ad ſervum delinquentem inquit. *Caſtigarem te, niſi iratus eſſem.* *S. Auguſtinus* ſupra illud Pſalm. Bonitatem & diſciplinam doce me, ait. Bonitas ſine diſciplina, delictorum mater: & diſciplina ſine bonitate, crudelitas eſt. Bonitas facit amabilem diſciplinam, & diſciplina efficit inculpabilem bonitatem.) *Eccleſ. cap. 19.* *S. Auguſtinus Sermon. 14. in Append. de Diverſ.*

2do. Opponitur *Correctio per Exceſſum.* Contra quam ſervit exemplum & dictum *S. Odilonis Abbatis*: Qui miſericordiæ viſceribus ultra quàm dici poſſet, affluebat: & quantum in ſe fuit, nullum à beneficio miſericordiæ excludebat. Et ſicut in Epigraphe Sabiniani Papæ legitur. *Joan. Belland. in vita S. Odilon.*

Hic hominum vitia blando ſermone removit:
Nec culpis judex, ſed medicina fuit.

Erat certè in hac virtute in tantum diffuſus, ut ab imprudentibus in officio hujus dijudicaretur nimius. Sed ille ad hoc objectum eleganter alludere ſolitus erat. *Ego,* inquit, *volo magìs de miſericordia miſericorditer judicari, quàm de crudelitate crudeliter damnari.* Unde etiam Ambroſius ait. Bonus eſt miſericors homo, qui dum aliis ſubvenit, ſibi conſulit, & in alieno remedio vulnera ſua curat. Agnoſcit enim ſe eſſe hominem, qui novit ignoſcere. Et vias Chriſti ſequitur, qui carne ſuſceptâ, maluit in hunc mundum redemptor venire, quàm judex. Unde & iſte Sanctus Vir, ut prædiximus, malebat eſſe culparum indultor, quàm judex. *Aliud.* Legitur in vita S. Lutgardis quendam Abbatem Ciſterüenſis Ordinis, qui etſi ferveret deſiderio, tamen acerbiori zelo in ſubditos invehebatur, morteque immaturâ deceſſit. Qui à purgatorio preci- *Sur. Junii 6.*

precibus, afflictionibusq; S. Lutgardis ereptus, dixit: Undecim annis se in purgatorio pœnas fuisse luiturum, nisi ipsa suis precibus sibi opem tulisset. *Aliud*: Cùm Abbas quidam, qui admodum Religiosus habebatur, à Patre Anselmo de his quæ monasticæ Religionis erant loqueretur, & inter alia de pueris in claustro nutritis verba conferret, adjecit: Quid obsecro fiet de istis, non cessamus die ac nocte verberantes eos, & semper fiunt deteriores? Hebetes enim sunt, bestiales. Ad quem iratus Anselmus ait. Quàm benè nutrimentum vestrum expendistis, qui de hominibus bestias nutrivistis? Dic quæso Abba. Si plantam arboris in hortulo tuo plantares, & illam mox ex omni parte concluderes, ut ramos suos nullatenus extendere posset, qualis arbor prodiret? profectò inutilis incurvis ramis & perplexis; certè hoc facitis de pueris istis. Plantati sunt in horto Ecclesiæ per oblationem ut crescant, ut fructificent DEO. Vos autem intantùm eos terroribus, minis, & verberibus undique coarctatis, ut nullâ eis penitus liceat libertate potiri: unde fit, quòd nihil amoris, pietatis, dulcedinis, circa se in vobis sentiant, nec illi alicujus boni in vobis postea fidem habeant, sed omnia vestra ex odio & invidia contra se procedere credant. Contigitquè modo miserabili, sicut deinceps corpore crescunt, sic in eis odium & suspicio omnis mali crescat, semper proni & incurui ad vitia. Cumquè ad nullum fuerint in vera charitate nutriti, nullum nisi depressis superciliis, oculovè obliquo valent intueri.

Vincent. Bellov. spec. hist. l.25. cap. 70.

3tio. Opponitur vitium Correctioni *per Defectum*, *I. Contradictoriè.* De quo *S. Petrus Damiani* inquit: Philistæi de terra Israël fabros ferrarios tollunt, cùm maligni spiritus falsæ pietatis obtentu zelum correptionis de fratrum labiis auferunt. *Causam subjicit:* Sicut ferrum reliqua metalla fortiter edomat, ita correptionis malleus, vitia delinquentium reprimit, & quasi cudendo rigidæ mentis duritiem frangit. *Ex quibus concludit*: Si de sacro conventu correptionum censura subtrahitur, disciplinæ rigor funditùs eneruatur, & Religio tota destruitur; quia dum unusquisque propriæ sequitur voluntatis arbitrium, ad secularia rediens, spiritualis observantiæ violat institutum. *Deinde ad praxim cuique hoc pium dat monitum*: Unde quisquis est, cui regularis vitæ fervor inæstuat,

Lib.1. Epist. 18. quæ ordine est 106.

inæstuat, correctiones libenter amplectitur, & tum etiam cùm innocens est, suis reprehensionibus delectatur. Non ut eum conscientia peccâsse remordeat, sed quoniam hoc prodesse cæteris audientibus sperat; ut unde ipse innocens & mundus arguitur, alii qui vel lapsi, vel lapsuri fortè sunt, corrigantur.)) Porrò ulteriùs pro motivo vitandi negligentiam fraternæ correctionis accipe sequens exemplum. Vidimus in monasterio quodam Monachum naturali ingenio & scientiâ præditum, virtute castitatis, & omni morum honestate præclarum. In quo ille solus defectus erat, quòd nullam contra peccata rigiditatem habebat. Quem defectum in eo corrigendum sperantes Monachi, eum in Abbatem unanimiter elegerunt. At ille factus Abbas, ut antè in pusillanimitate & ignavia perstitit, & ex hoc ordo monasticus notam satis gravem dissolutionis incurrit. Superiores ejus ordinarii grave ducentes, illum ab officio removerunt. Quod ille supra modum graviter ferens, ad tantam paulatim impatientiam venit, ut manus iniquitati totaliter daret, & se impudentissimè nequissimus in dilapidationem Ecclesiæ sociaret. Nec diu post, cùm esset positus in agonia, importunos exactores sibi instare vidit, seque oportere reddere rationem non solùm de suis excessibus, verùm etiam de illorum excessibus, quos quandoquè corrigere debuit, & non correxit. Exactores ergo cùm declinare vellet, nec posset; clamans inter angustias exspiravit.

Canipratanus l. 2. cap. 17. p. 2.

II. Opponitur Correctioni *per Defectum cantrariè*, quod dicitur *Scandalum*, estquè aliud *Activum*, & definitur esse *dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis*. Dicitur; *minùs rectum*: nempe vel in sua natura, quale est omne peccatum, tale ex sua specie & objecto: vel ex circumstantia pusillorum, dum illud dictum, vel factum, non est ex se inordinatum nisi tantùm apparenter, estquè aliàs illud dictum vel factum licitum operanti, sed propter imperfectos, facileque suspiciosos & putantes verè esse malum, fit illicitum. Unde Apostolus, 1. Cor. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Aliud *scandalum est Passivum*; nimirum ipsum peccatum, in quod ex occasione dicti vel facti alterius, proximus cadit. Quod dividitur in *Datum* seu *Pusillorum*, id est Imperfectorum, oriturq; ex activo; & *Acceptum*, seu *Pharisaicum*, quod

non procedit ex activo, sed ex sumentis malitia; more Pharisæorum, qui odio, invidiâquè Christi dictorum, & factorum, ex ipsis sibi confingebant scandala. Contra Scandalum. 1mo Christus Dominus graviter minatur dicens: Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundũ maris. Væ mundo à scandalis! Necesse est enim, ut veniant scandala, verumtamen væ homini illi, per quem scandalũ venit! Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te, bonum tibi est, ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te, bonum tibi est, unum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Id est, ut *S. Hieronymus* explanat: Si ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & est utilis atque solicitus, & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est, ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas; nè dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum. *D. Chrysostomus*: Unius animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla eam ratio possit dignè æstimare: quandoquidem unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius DEI fieret homo, tantaquè pateretur. 2do. Scandalum persecutione Christi, & ejus crucifixorum sacrilegio est gravius. Ita *Doctor Mellifluus* supra illa verba Christi ad Saulum dicta: *Quid me persequeris?* inquit; An non persequebatur Christum, qui Christi membra trucidabat in terris? An verò persecuti sunt Christum, qui sacratissimum illud corpus crucis affixêre patibulo, & non prosequebatur eum, qui adversus corpus ejus, quod est Ecclesia (est enim corpus ejus ipsa etiam) odio furebat iniquo? denique si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum; non tibi videtur graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione malignâ, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas, quas redemit; quàm à Judæo, qui sanguinem illum fudit? Agnoscite dilectissimi & expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium,

Matth.18.

S. Hieronymus lib.3. in Matth.

S. Chrysostom. hom.3. in Acta.

S. Bernardus serm.1. in Conversione Pauli.

gium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis manus sacrilegas injecerunt. *Et deinde*: Quid & is, qui exemplo suo ad remissiùs agendum cæteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, & impatientia sua, vel murmuratione molestat, aut quocunque modo contristat Spiritum DEI, qui in eis est, scandalizans unum de minimis istis credentibus in eum, nonnè & hic manifestè persequitur Christum? Ut ergo persecutorum nomen & crimen longè semper sit à nobis, obsecro dilectissimi benignos semper & mites exhibeamus nos invicem supportantes in omni patientia, & ad id, quod meliùs & perfectius est alterutrum provocantes.))

SECTIO XVI.

De Zelo Gloriæ DEI, & Salutis Animarum.

ZElus, est intensus amor, quo impedimenta gloriæ DEI, & salutis animarum nititur aliquis removere. Hinc D. Thomas ait: *Amor amicitiæ quærit bonum amici: Unde quando est intensus, facit hominem moveri contra omne illud, quod repugnat bono amici. Et secundùm hoc aliquis dicitur zelare pro amico, quando si qua dicuntur, vel fiunt contra bonum amici, homo repellere studet. Et per hunc etiam modum aliquis dicitur zelare pro DEO, quando ea, quæ sunt contra honorem vel voluntatem DEI, repellere secundùm posse conatur*: secundùm illud 3. Reg. 19. *Zelatus sum pro Domino exercituum.* Et Joan 2. super illud: *Zelus Domûs tuæ comedit me*, dicit Glossa: *Quòd bono zelo comeditur, qui quælibet prava, quæ viderit, corrigere satagit: si nequit, tolerat, & gemit.*)) Materia zeli est tum finis supernaturalis seu Gloria DEI, Gloria Christi, DEIparæ, Cælitum; perfectio, sanctitas, beatitudo viæ & patriæ, propria, & proximi: Tum media ad eosdem fines, tam spiritualia, quàm corporalia, seu Bonum animi, corporis, fortunæ, &c. privatum, & publicum (nota Bonum publicum maximè incendens zelum) quà directè, quà indirectè conducibilia. Quanquam Bonum & pro fine, & mediis ejus sumi potest. Materiam zeli circa proximos in particulari Ven. Beda exprimit dicens. *Zelo domus Patris Salvator impios ejecit de templo, zelemus & nos fratres charissimi, domum DEI, & quantum possumus, nè quid in ea pravum geratur, insistamus. Si viderimus fratrem, qui ad domum*

D. Thom. 1. 2. q. 28. a. 4.

3. Reg 19.

Joan. 2.

Gloss. Aug. in Evang. Joan. tract. 10. inter medium & finem tom. 9.

V. Beda in Joan. cap. 2.

DEI pertinet, superbiâ tumidum, detractionibus assvetum, ebrietati servientem, luxuriâ enervatum, iracundiâ turbidum, si alio cuipiam vitio substratum, studeamus, inquantum facultas suppetit, castigare: polluta ac perversa corrigere: & si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis dolore sustinere, & maximè in ipsa domo orationis, nè quid ineptum fiat, ne quid nostram fraternamve orationem impediat, totis viribus agamus.

Gradus Zeli, 2dum quod importat Tristitiam de malo impeditivo Boni Divini, & Proximi, ex Formula aurea Seraphici Doctoris.

S. Bonav. de grad. virt. cap. 29.

Graduum doloris ut ad virtutem spectat.

Ordo I.

DOloris altus gradus est, tristari ex toto corde de omni incommodo proximorum corporali. Altior, tristari de omni incommodo proximorum spirituali. Altissimus, tristari de omni contumelia DEI.

II.

S. Bern. de Medit. cap. 3. ante med.

Item altus gradus est, contristari quòd animæ continuè in peccatis venialibus maculantur. Altior est, contristari quòd animæ frequenter peccatis mortalibus vulnerantur, juxta illud Bernardi. Agnosce homo, quàm aspera peccatorum vulnera, pro quibus oportebat Dominum Christum vulnerari. Altissimus, tristari quòd vulnera Christi quotidie innovantur, cùm peccati mortalis vulnere sauciantur.

III.

Item altus gradus est, tristari pronitate cadendi in malum. Altior, tristari de debilitate & raritate surgendi à malo. Altissimus est, tristari de tardìtate perseverandi in bono.

IV.

Item altus gradus est, tristari de debilitate perficiendi bonum. Altior, de debilitate desistendi à malo. Altissimus, de fortitudine consummandi malum.

V.

Item altus gradus est, tristari quòd tam parum curantur exempla bonorum hominum in terra. Altior, quòd tam modicum curantur exempla perfectiora in Patria. Altissimus, quòd tam parum curantur exempla perfectissima JESU Christi, per quatuor Evangelistas nobis testificata. *Hæc Seraphicus Doctor.*

S. Ambrosius in Psal. 118.

Motiva ad zelum pro DEO, & Proximo. *Imum S. Ambrosius:* Zelus, DEI gratia est, qui exquirit, qui supervenit, qui se justè infundit pectori. Zelus DEI vita est. Zelum DEI, qui habent,

bent, omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes DEI, quamvis patrem, fratres, sorores, *Eusebius Nierembergius* ait: Verus Dei amator, nihil avidiùs cupit, quàm amare DEum, quantum est infinitè amabilis. Et jam cùm cor suum exiguũ agnoscit, immensæ comparatum bonitati, omnes creaturas cupit amare propter eum quem ipse amat; atque inæstimabile super omnia æstimabilia mundi reputat, si per se alius amat ipsum illum, quem avidissimè cupit ab omnibus amari. Diversissimus est zelus Divinus ab humano zelo. Zelus humanus totùs in hoc est, nè alius concupiscat, & amet suum amatum. Ratio est; quia omnis decor humanus limitatus est nec sufficiens, ut satisfaciat integrè pluribus. Pulchritudo autem Divina infinita est, & à pluribus infinitè & integrè amabilis, atque cùm sufficiens sit omnium dilectioni, & ita sufficiens sit, ut à nemine diligatur, in quantum diligi est digna: Itaque is, qui ejus vivido amore tactus est, nihil optatius habet, quàm ut alii resarciant, quod sibi scit deesse. Hinc gaudet, si multi sint DEI amatores, & curat ut sint, nihilque æstimabilius sibi putat posse accidere, quàm si aliquis ampliùs DEum amâsset.

Eusebius Nieremb. de Doctr. Ascetic. lib. 1. Doctr. 6. c. 58.

2dum. *S. Chrysostomus*: Ponatur, inquit, quempiam jejunare, & martyrium comprobare, ac cremari; alium verò ad ædificationem proximi martyrium differre, nec differre modò, sed etiam absquè martyrio discedere, uter igitur post hanc peregrinationem major erit? non est nobis multis in hoc loco rationibus opus, cùm B. Paulus magnâ voce sententiam jam protulerit dicens: Cupio dissolvi, & esse cum Christo; meliùs autem mihi in carne adhuc permanere propter vos. *D. Thomas*: Consideratur fraternæ dilectionis perfectio ex affectu, quantò enim majora bona proximis impendimus, tantò perfectior dilectio videtur. Sunt autem circa hæc tres gradus considerandi: sunt enim quidam, qui proximis obseqvuntur in corporalibus bonis, puta, qui vestiunt nudos, pascunt famelicos, & infirmis ministrant, & alia hujusmodi faciunt, quæ sibi Dominus reputat exhiberi. Sunt autem aliqui, qui spiritualia bona largiuntur, quæ tamen non excedunt conditionem humanam; Sicut qui docet ignorantem, consulit dubitanti, & revocat errantem, de quo commendatur Job, cap. 4. Ecce docuisti multos, & manus lassas roborâsti, vacil-

S. Chrysostomus Hom. 78. in cap. 24. Matth.

Philip. c. 1.

S. Doctor Angelicus opusc. 18. c. 14.

Matt. 25.

vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortâsti.)) Sunt autem alii, qui spiritualia bona & Divina supra naturam & rationem existentia proximis largiuntur, scilicet doctrinam Divinorum, manuductionem ad DEum, & spiritualem sacramentorum communionem. Et de his donis Apo-
Epist. ad Galat. cap. 3. stolus mentionem facit epistolâ ad Galatas dicens: Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur in vobis virtutes. Et primâ ad Thes-
1. Thessal. 2. salonicenses. Cùm accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, ecce accepistis illud non ut verbum hominum, sed ut est verè verbum
2. Corinth. 11. DEI. Et secundâ ad Corinthios; Despondi vos uni viro. Et postmodum subdit: Nam si is, qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicavimus, aut alium Spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud Evangelium, quod non recepistis, rectè patere mini. Hujusmodi autem bonorum collatio ad singularem quandam perfectionem pertinet fraternæ dilectionis, quia per hæc bona, homo ultimo fini conjungitur, in quo summa hominis perfectio consistit. *Et paulò pòst:* Additur autem ad hanc perfectionē, si hujusmodi spiritualia bona non uni tantùm, vel duobus, sed toti multitudini exhibeantur, quia etiam secundùm Philosophos: Bonum gentis perfectius & divinius, quàm bonum unius. Unde A-
Ephes. 4. postolus dicit Ephesiis: Alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem
Richardus Victorin. lib. 1. de præpar. in Cant. c. 44. corporis Christi, scilicet totius Ecclesiæ)) *Richardus Victorinus ait:* Nescio, si potest homo aliquid à Deo in hac vita majus accipere, ignoro an possit hâc gratiâ, interim majorem aliquam Deus homini conferre, quàm ut ejus ministerio perversi homines in melius mutentur; ut de filiis diaboli, filii DEI efficiantur. An fortè cuiquam magis videbitur esse mortuos suscitare? Ergonè majus erit suscitare carnem iterum morituram, quàm animam in æternū victuram? Ergonè majus erit carnem revocare ad gaudia mundi, quam animæ restituere gaudia cæli? Ergonè majus erit restituere carni bona transeuntia iterum peritura, quam animæ reddere bona æterna, in æternum mansura? O qualis dos, quanta dignitas, talem gratiam à Deo accipere, non debuit DEI sponsa à sponso suo dotem aliam accipere; non decuit cælestem sponsum sponsæ suæ dotem aliam donare, quàm ut per adoptionis gratiam, possit

multos DEO filios gignere, & de filiis iræ, filiisque gehennæ, regni cælestis hæredes adscribere.)) *S Hieronymus*: Daniel in fine sacratissimæ visionis ait, justos fulgere sicut stellas, & intelligentes id est, Doctores, quasi firmamentū. Vides quantum inter se distēt justa rusticitas, & docta justitia. Alii stellis, alii cælo cōparantur. *S. Hieronymus Epist. ad Paulin.*

3tium est, 1 Exemplum Dei, & Christi. S. Chrisostomus ait: Nihil ita gratum est DEO, & ita curæ, ut animarum salus; sicut clamat Paulus dicens. Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et iterum DEUS ipse ait; Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Et propter hoc etiam creaturam hanc omnem producit, & nos formavit, non ut pereamus, neque ut supliciis nos torqueat, sed ut salvet, & ab errore liberatis, regno frui nobis concedat. Talem igitur habentes Dominum, tam misericordem, tam benignum, tam mansuetum, tum nostræ, tum fratrum nostrorum curam geramus. Nam & hæc nostræ salutis argumentum erit, & occasio, si non solùm pro nobis ipsis soliciti; sed & proximo utiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manu ducentes. Et ut sciatis, quantum bonum sit cum salute nostra, & alias lucrari, audi Prophetam ex persona DEI dicentem: Qui educit pretiosum à vili quasi os meum erit. Quid hoc? Qui ab errore ad veritatem, ait, manu duxerit, vel à peccato ad virtutem, proximum induxerit, pro virili humano me imitatur. Etenim ipse cùm DEUS sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, & omnia alia humana sustinuit, & crucem quoque suscepit, nisi ut nos peccato obnoxios à maledicto liberaret, & hoc quoque Paulus clamat dicens; Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Si igitur ipse, qui DEUS est, ineffabilis essentiæ, ob misericordiam ineffabilem, hæc omnia propter nos, & salutem nostram suscepit; Cur non & nos erga fratres justi sumus, agnoscentesque eos ut membra nostra, & eripientes ex diaboli faucibus, in viam virtutis inducimus? *S. Chrysostom. Hom. 3. in Gen.* *1. Timot. 2.* *Ezech. 18.* *Hierem. 15.* *Galat 3.*

II. Exemplum Angelorum. S. Ambrosius: Zelus charitas est; valida est sicut mors charitas: durus sicut inferi zelus: Durus zelus, quem nulla vincit hujus vitæ illecebra, Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, ut vivamus DEO. Angeli quoque sine zelo nihil sunt. Et substantiæ *S. Ambrosius in Psal. 118.*

suæ

suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent. III. S. Moyses admirandus zelotes gloriæ Dei, & salutis populi sibi commissi, prorsus oblitus sui, totus fertur amore in DEum, & proximum. Etenim Deus graviter offensus ob idololatriam Israelitarum, ait ad Moysen. *Cerno, quòd populus iste duræ cervicis sit: dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamquè te in gentem magnam.* Quid ad hæc Moyses? Non attendit ad proprios honores, sed orat non deleri populum, nè scilicet blasphemetur Deus ab Ægyptiis, quòd *callidè eduxerit eum ex Ægypto, ut interficeret in montibus, & deleret è terra.* Deinde reversus ad castra ait: *Si quis est Domini, jungatur mihi*, congregatisque ad ipsum omnibus filiis Levi, jussit eos, ut procedentes per medium castrorum gladio percuterent populum: *Cecideruntque in die illa, quasi triginta tria millia hominum.* Post hæc reversus ad Dominum, obsecrat eum ut dimittat illis hanc noxam aut inquit, *Si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Quod dictum de zelo heroico Moysis pulchrè explicans *Cornelius à Lapide* dicit: Moysen hìc tantùm comparâsse suam gloriam, ut sua propria erat beatitudo, & bonum cum gloria DEI, & salute Sancti populi, maluisseque suâ carere, quàm DEI gloriam periclitari, tum apud Gentiles, qui populo & DEO obtrectâssent, si DEUS populum suum in deserto delevisset, tum apud ipsos Hæbreos, qui omnes in æternum periissent, blasphemâssentque DEUM in inferno: neque ulteriùs quid spectavit Moyses, sed totus abreptus charitate DEI, & gloriæ ipsius, non considerabat alia huic voto suo annexa: vel certè cogitabat charitatem in via eandem esse, quæ in Patria, nequè illic essentialiter fore perfectiorem, aut intensiorem, quàm sit hìc: accidentalem autem charitatis perfectionem ex DEI fruitione manantem, utì & inclinationem ad DEO fruendum se ponebat, eaquè se hoc voto suo excidere permittebat, ut pote pro qua re poneretur, tum sibi major gratia, & charitas essentialis per istum actum tam heroicum, quo tantopere DEUM diligebat; nec dubitabat, quin DEUS eum per alias gratias copiosissimè remuneraretur: tum etiam reponeretur major gloria DEO, per tot millia hominum spargenda, quam proinde à DEO fervidè desiderabat, ut ad illius, & simul populi, cui pro DEO dux erat constitutus, incolumitatem

Exod. 32.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.
Cornel. à Lap. in Exod. c. 32.

à DEO impetrandam, cuperet suâ beatitudine privari; imò ut ait S. Chrysostomus homil. de Cruce & Latrone particeps esse cuperet supplicii idololatræ populo irrogandi, perdiquè cum iis optaret, ut idem ait hom. de amore erga persequentes q. d. Moyses; aut dimitte populo, aut si eum à te, domoquè tua ejicis, ejice me simul cum ipso: non enim possum, à populo hoc meo, & tuo avelli, ac separari, videre non possum, ut populus hic meus & tuus pereat, quin si perit, cum eo peream & ego, ut ita tester charitatem, quam erga populum tuum, & consequenter erga te ô Domine in pectore meo incensam gero. Hoc ergo Moysis votum manavit ex charitate, putabatquè Moyses charitatem tam DEI, quàm populi, hoc votum quasi à se efflagitare. Moyses enim hoc votum suum dirigebat ad hoc, ut per illud veniam populo impetraret; itaque magìs DEI gloriam in populo promoveret, ideoque illud ipsum ipsimet DEO placiturum non ambigebat. Itaque nullum fuit hìc peccatum: licèt enim Moyses petierit implicitè carere amore beatifico, non tamen amicitiæ cum DEO, aut charitatis imminutionem petiit; quin verò hæ ejus preces, maximæ charitatis indicium & incensum desiderium ostendunt. *Hactenus Cornelius à Lapide* IV. In hoc sensu intelligendus quoque est S. Paulus Apostolus dicens: *Optabam ego ipse Anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Supra quæ *S. Chrysostomus* ita inquit: Quid ais ô Paule? à Christo? illo inquam Christo; qui à te desideratur? à quo te, nec cælorum regnum, nec gehenna separabat, neque ea, quæ cogitari possunt? nec alia totidem: Ab hoc nunc precaris anathema esse? Quid accidit? num desiderium illud excussisti, ac deposuisti? Haudquaquam (inquit) sed pro fratribus meis, nec id utrumque volo, sed opto, multumquè desidero, ut fratres mei salvi fiant, optârim anathema esse: ego ipse, ipse ego, qui omnium magister sum effectus, qui merita infinita coëgi, qui coronas infinitas expecto, qui sic illum amo, ut meus erga illum amor mihi sit rebus omnibus antiquior, qui quotidie propter illum uror; unum enim per omnia considerabat, nempe quomodo pulchrum hunc amorem expleret. V. *S. Gregorius* ait: *Rectitudinis zelo contra vitia accendimur. Phinees: ante oculos deducatur, qui coëuntes gladio transfigens castitati populum reddidit,* &

Rom. 9.
S. Chrysostom. hom. 16. in Epist ad Rom. c. 9. tom. 4.
S. Gregorius in Ezechiel. hom. 5.

& iram DEI iratus placavit. Sibi verò promeruit sacerdotium sempiternum dicente Domino. *Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis avertit iram meam à filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israël in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem foederis mei, & erit tam ipsi quàm semini ejus pactum sacerdotii sempiternum: quia zelatus est pro DEO suo, & expiavit scelus filiorum Israel.* VI. Helias totus zelo DEI igneus, in pœnam abjecti cultus veri DEI, à Regibus & populo Israel, tribus annis pluere non permisit super terram; Tum prophetas Baal quadringentos quinquaginta interfecit. Deinde in monte DEI Horeb visione DEI recreatus, duos principes, singulos cum quinquaginta viris igne de cælo devorare fecit: Denique igneo curru & igneis equis in cælum subvectus servatur ad grande certamen cum Antichristo tum, quando opus erit maximè zelo fervescere pro vindicanda gloria Christi, & reducendis seductis tot millionibus animarum. VII. *S. Bernardo* Summa fuit solicitudo de salute multorum, quæ à primo die conversionis suæ tam singulariter sacrum illud pectus nescitur possidere, ut erga omnes animas maternum gerere videatur affectum. Erat ergo vehemens in præcordiis ejus Sancti desiderii, & sanctæ humilitatis conflictus. Modò enim seipsum dejiciens fatebatur indignum, per quem fructus aliquis proveniret. Modò oblitus sui æstuabat flagrantissimo ardore, ut nullam nisi ex multorum salute consolationem posse admittere videretur. Sanè fiduciam charitas pariebat, sed eandem castigabat humilitas.)) Hinc ille tam immensus fructus in Ecclesia DEI, quem ille vitâ, verbo, scriptis, miraculis ubique propagabat. Sed maximè quoque zelus ejus scriptis proditur. O quàm acerbè perstringit vitia Ecclesiasticorum, Religiosorum, nemini parcens, quantùm gemit & deplorat statum perversum Christianorum, & Prælatorum, prorsus miraculo tantus zelus est. VIII. *S. Magdalena de Pazzis* in spiritu rapta intellexit ex Christo Domino, quòd in recompensam afflictionis, (quâ intimè affligebatur de ingratitudine & offensis humanæ malitiæ, contra DEUM commissis) & Zeli gloriæ Divinæ vellet illi dare cor suum plenum castissimi amoris eo modo, quo & S. Catharinæ Senensi. Eadem Sancta tabescebat desiderio animarum salutis, & orabat.

Num. 25.

Regum lib. 3. c. 4.

In vita S. Bern. Abbat. Claræv.

In vita S. Magdalenæ de Pazz.

Con-

Conserva me Domine, quoniam in desiderio animarum consumpta est anima mea. Fuitque particeps doni illius, seu zeli quem habuit Christus in vita sua circa salutem animarum: quare in sua quadam extasi dixit: Collocavit me Verbum in desiderio, quod ipse habuit in Humanitate sua. Dicebat autem DEUM conqueri, quòd non haberet ejusmodi in hoc mundo, qui se opponeret contra iram ejus, eumque placaret: & addebat. Nos Sorores debemus DEO reddere rationem, quòd hodie in inferno tam multæ animæ ardeant. Nam si ego, & vos essemus ferventes ad faciendam orationem, & oblationem sangvinis JESU pro illis: & ad recommendandum illas cum ferventi affectu DEO, ille fortè placaretur, & non essent in illis tormentis. Imò intantum processit zelus hujus Sanctæ, ut protestaretur sæpè coram DEO paratam se esse, si placeret ejus voluntati, ut mergeretur in infernum pro salute animarum; ita tamen, ne ibi odio haberet DEUM, ac blasphemaret. Et ajebat. Quis mihi dabit millies mori pro salute animarum, & reviviscere, & iterum millies mori?

In Praxi imo; Comparatur zelus gloriæ DEI, & salutis proximi, illis motivis, quibus & Amor DEI & proximi (cùm zelus sit amor intensus) tum infra positis actibus. Porrò hic *amor* in proximum acquiritur quoq; consideratione summæ dignitatis animæ: quia ut ait *S. Chrysostomus. Nibil est enim, quod animæ possit æquiparari, nec universus quidem mundus.* Hanc igitur animæ nobilitatem sive splendorem sangvine Christi expiatæ (ut ait *Nierembergius*) cùm semel S. Catharinæ Senensi datum divinitus esset animo intueri, ita exarsit zelo animarum ut dixerit: Tanta est animarum dignitas, & pulchritudo, ut ad eas lucrandas nullus par labor esse possit; idque gloriosissimis factis à se in hunc finem gestis, maximisq; laboribus, periculisque susceptis, ita esse, ut dicebat, opere ipso ostendit.)) Sancta verò Magdalena de Pazzis zelum tribus in se motivis excitabat, augebatque. 1. Considerabat ineffabilem amorem, quem DEUS habet; & quòd multa sit perpessus JEsus cum inexplicabili amore propter animarum salutem: quodvè illæ sint datæ in hæreditatem JESU ab æterno Patre. 2. Considerabat, quàm pulchra sit anima in gratia Dei cōstituta; & quòd Deus in hoc magnū

S. Chrysostom. in cap. 1. Epist. ad Cor:

Nierembergius doctr. ascetic. l. 1. doct. 6. c. 57.

In vita S. Magdalenæ de Paz.

habeat gustum; quòdve ineffabilis sit fortuna talis animæ. 3. Considerabat magnam turpitudinem animæ in lethali culpa permanentis, tum summum periculum & infortunium ejusdem.

2do. In exercitio zeli summâ opus est prudentiâ, & discretione, nè dum quis juvare velit, potiùs & sibi & proximo noceat, gloriæquè DEI obsit: de quo infrà sub excessu zeli. Hinc videatur *Quis* est zelotes an superior vel inferior, & contra *Quem*, aut pro *Quo* zeles. Multa enim necesse est facere superiores in zelo, quæ non expediunt inferioribus: & aliqui sunt quos tuus zelus ut ignis ceram emolliet ad bonum, aliqui quos idem ignis ut lutum indurabit in malo. Consideres cur aliquid zeles: nam si DEUS, vel æternitas, vel quæ ad hæc ordinantur non sunt in causa zelus hic minùs est laudabilis, minusquè proficiet. Consideres opportunitatem *Loci, Temporis*, & potissimùm nè *in Modo* erres, nè scilicet *in spiritu vehementi conteras naves Tharsis*, seu peccatores in hoc mari magno & spatioso mundi fluctuantes, nimio terrore in pusillanimitatis, vel desperationis abyssum mergere facias: Habeas mistam cum severitate spiritûs lenitatem, imitans Christum, quem prædixit Propheta *Linum fumigans* seu peccatorem aliquâ spe emendationis spirantem, *non extincturum*: Nisi fortè in duros & obstinatos, & nè alios corrumpant, fulmina essent jacienda, ut sit *spiritus grandis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum.* Sicut & Christus flagello ejecit è templo ementes & vendentes, & mensas nummulariorum subvertit, Pharisæos hypocritas, sepulchra dealbata, generationem pravam ac perversam, progeniem viperarum, &c. appellavit. Sicut & Helias 450. falsos Prophetas Baal occidit. Et Sancti Reges ac Principes ferro, imò Tribunal s. inquisitionis hæreticos igni compescunt; Judices zelo justitiæ iniquos perimunt. Cæterùm in zelando & corrigendo observet, quæ *S. Gregorius* proponit dicens: Vera justitia compassionem habet, falsa justitia dedignationem: quamvis & justi soleant rectè peccatoribus dedignari. Sed aliud est, quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. Dedignantur etenim, sed non desperantes: persecutionem commovent, sed amantes, quia etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intùs tamen dulcedinem per charitatem servant.

Psalm. 47.

Isai. 42.

3. *Reg.* 19.
Matth. 21. & *Joan.* 2.
Matth. 23.
3. *Reg.* 18.

S. Gregorius hom. 34. *in Evangel.*

Præpo-

Præponunt sibi in animo ipsos plerumque, quos corrigunt: meliores existimant eos quoque quos iudicant. Quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos & per humilitatem custodiunt semetipsos. At contrarii, qui de falsa justitia superbire solent, cæteros quosque despiciunt, nullâ infirmantibus misericordiâ condescendunt; quò se peccatores esse non credunt, eò deterius peccatores fiunt. Dequorum profectò numero Pharisæi exstiterant, qui dijudicantes Dominum quòd peccatores susciperet, arenti corde ipsum fontem misericordiæ reprehendebant.)) Jam verò in dubio an zelandum, vel non; an multùm, vel parum; potiùs recurre ad ferventem orationem, precando instantissimè DEUM pro amotione malorum: & citiùs sic proficies, cedetque ad votum tuum, quàm agendo intempestivo zelo.

3tio. Supple etiam hìc proportionatè ex suprà dictis. I. 2. tra. I. c. I. sec. 4. subs. 2. §. 2.

Actus zeli circa propriam salutem in via Incipientium, & Proficientium.

DEus meus, ô quanta felicitas ex virtute vivere! Te in tempore, & æternitate contemplari, amare, de Te, tuisquè bonis gaudere! O quanta infelicitas peccatis, & pro illis millies hìc, & in æternum cruciari! Amo, desidero intensissimè, mibi, & proximo illam felicitatem; ut nimis fugio istam infelicitatem. Et tamen nec hanc evadere, nec illam assequi ut vellem, valeo, sed in vitiis & imperfectionibus, meis coangustor. Hinc ingens tristitia, & continuus dolor cordi meo: hinc gemitus, suspiria, lachrymæ, lamenta, super amarissima contritione mea, hinc conatus, iræ impetus in obstacula, sed in cassum. Et quod, inconsolabiliter me cruciat, & graviùs exacerbat, est, quia tot annis pene in senectam, non modò de virtute in virtutem, & amorem Tui proficio, quin potiùs à pristino fervore deficio: & interim quanta beatæ æternitatis detrimenta patior, in singula momenta, quis edisserat? Quid ergo agitur? Usquequo Domine oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam à me? Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi me Domine DEUS meus. Usquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, & non salvabis?)) Heu! Heu mihi! Quæ causa tanti mali? Ego, ego infelix

Psal. 12.

Habac. I.

infelix homo, qui non sum dignus exaudiri à Te, vel in pœnam peccatorum meorum, vel quia tepidè & trepidè oro: Ego, ego qui occasiones peccatorum plenè non fugio, qui obstructam virtutis viam, non resolutè, non magnanimiter, non per fortia eluctor perrumpere, contentus aliquantum delibâsse virtutes. Quid igitur? Itane deficiet in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus?)) Psalm 30. *Itane peribit spes mea? Absit, absit. Dum spiro, spero. Quidquid verò*, ut Tuus Bernardus inquit, *Minus est fervoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Fidelis est DEUS, si confiteamur iniquitates nostras, si miserias nostras exponamus, si non excusemus infirmitates nostras, dimittit nobis peccata nostra.))* S. Bernardus serm. in Nativit. S. Joan. Baptist. *Cæterùm DEUS meus, jam omninò ab hoc momento, nihil mihi prorsus & mundi hujus bonis, negotiis, tumultibus, vel saltèm moderatiùs cùm illis pro exigentia statûs mei, eo in solitudinem & silentium, agere poenitentiam, & totis viribus dare operam perfectioni virtutis. Adjuva me DEUS efficaci gratiâ tuâ. Succurre pia Mater DEI. Succurrite S. S. Patroni mei.*

Actus zeli circa propriam Salutem in Via Perfectorum.

O Summum Bonum & Pulchrum! quàm jucunda tui visio, quàm suavis dilectio, quàm beata fruitio! si ad rarissimum & momentaneum fulgoris tui instar fulguris coruscantis radium, exultaverunt omnia ossa mea, defecit caro mea, & cor meum, id solùm ingeminans: Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.)) Psalm. 72. *Quantò magìs totus abirem in vivam amoris tui flammam, & ardens incendium, dum mihi clariùs, diutiùs, frequentiùs faciem tuam ostenderes. Sed heu! heu! tanto bono tantùm frui usque adhuc dignus non sum, adhuc nitidiùs depurari à pulvisculis terrenorum oculos mentis opus, adhuc fortiora agere, & pati, adhuc diu noctuquè ardentissimis desideriis inclamare cum Moyse: Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te.* Exod. 33. Et: *Ostende mihi gloriam tuam.)) Item cum Psalmista: Sitivit anima mea, ad DEUM fontem vivum; quando veniam, & apparebo ante faciem DEI? fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie; Ubi est DEUS tuus?))* Psalm. 41. *Quid igitur cunctaris*

ctaris anima? Quid ultra dissimulas? Tolle citiùs impedimenta, da in cælum gemitus ac lamenta: & perge totus in DEUM Summum Bonum & Pulchrum.

Actus interni zeli Honoris DEI, & Salutis animarum, ex Thesaur. indefici: Blasii Palma.

ZElosissime DEUS meus, qui gloriam tuam alteri non das, & omnes animas solus creâsti; ideoquè inter alia tua nomina etiam Dominus zelotes, & DEUS æmulator vocari voluisti; doleo & summè crucior nomine omnium illorum hominum, qui in suis operationibus relinquentes verum, & rectum finem, qui solus es Tu, summum & unicum bonum, magis res temporales, & caducas hujus mundi quærunt, & amant, quàm Te; & continuò peccantes, tradunt se in potestatem diaboli crudelis ipsorum inimici: id quod sine magno moerore, & poena cogitare, & loqui non possum.

Quare DEUS meus, ego vilissimus peccator, nullius præmii respectu apud Te, offero pro Gloria Nominis Tui, ac pro salute totius mundi, merita omnium Electorum, qui fuerunt, sunt, & futuri sunt, usque ad finem mundi. Et si ego solus ob amorem, & honorem tuum, sustinere possem omnes poenas, omnia tormenta, quæ omnes servi tui passi sunt, modò per ejusmodi perpessionem efficere possem, ut nullus unquam te ampliùs offenderet, toto corde rogarem, ac supplicarem tibi pro hac gratia. Quin potiùs amore tui integrè (si ita tibi placeret) abdico me omnibus, si quæ fortè exstant apud te meritis meis, & bonis operibus: (si tamen unquam aliqua tibi verè grata præstiti) & offero illa tibi æterno Patri, unita cum meritis Filii tui, pro conversione totius mundi, ut sic ab omnibus honoreris in terra, sicut in cælo. Et si possent omnia flagella, quæ aliis debentur, propter sua peccata, meo tergo imponi, ut ipsis parceretur, & meritum hujus mei supplicii in bonum ipsorum cederet, etiam hæc te rogarem; & si ita expedit, jam humiliter te rogo: ut pro hoc, qualicunque meo obsequio des omnibus gratiam perfectissimè tibi serviendi; itaque te amando, ut nullus ampliùs te offendat: Sed perpetuò omnes te laudent, ac benedicant, non minùs quàm faciunt tui Angeli, & Sancti in cælo.

Præ-

Præterea tanti facio honorem, & gloriam tuam, ut eligam potiùs manere æternùm in inferno, & pati omnia tormenta, quàm ut Tu vel unico momento priveris tuo honore: cùm tibi omnes honores debeantur, mihi autem omnes poenæ, anxietates, & dedecora: & nè defrauderis tuo debito honore, veniant obsecro super me omnia mala animæ, anxietates, & miseriæ. Etsi hoc non sufficiat ad Te honorandum, veniant super me omnia mala animæ & corporis absque peccato: eaque talia, & tanta, qualia, & quanta, tu scis posse inveniri, sive in inferno, sive in terreno hoc mundo, sive in purgatorio: & si qua fieri possunt, iis adhuc majora gravioraquè. Sed Tu interim ô Amor meus nè oblivìscaris mei, sed des mihi gratiam, & fortitudinem ad sustinendum illa, sicuti ego libenter, pro amore & honore tuo paratus sum illa acceptare.

Actus externi zeli salutis animarum, ex Blasio Palma Thesaur: indefic.

1. STatas preces pro Ecclesia, nominatim pro Magistratibus cùm Sacris, tum Politicis; itemque pro religiosis Ordinibus tibi indicito: plurimùm interest boni publici Personis, quæ ad multos spectant, consuluisse.

2. Angelos hominum improborum, hæreticorum, infidelium obtestare, suos ut juvent: hi enim in istos multum possunt.

3. Libris editis, erectis seminariis &c. Item Cathechismis, exhortationibus, concionibus &c. Seu per te, seu per alios, quibus artibus, & opibus vales, bonum animum promere.

4. Si quis mortale crimen admittit, vel jam admisit, omnem lapidem move; ut impedias, aut tollas; ita cura, ac si ipsemet vulnus accepisses.

5. Animas purgatorii ignibus cruciatas solare, subleva oratione, jejunio, eleemosyna.

6. Domesticorum curam singularem habe: hi ad te propiùs pertinent. Liberos à teneris erudi. Nutricem probam, bonos Magistros advoca. Hìc res magna agitur; sed filiarum præsertim pudicitiam perdius & pernox excubitor observa, & serva...; nihil eo thesauro expositum magis.

7. Familiam piè & religiosè sic instituęs. Manè à singulis privatim, vel etiam communiter oretur. Hi quibus vacat, rei sacræ

ſacræ interſunto. Veſperi conſcientiam excutiunto. Singulis minimùm menſibus, peccata ritè expiantor, ſacræ menſæ accumbunto. Hæc familiæ lex eſto. Quiſquis has ædes habitat, Sobrietatem, Caſtitatem, Juſtitiam, Religionem, Probitatem denique omnem colito. Nè mentitor. Nè pejerato. Nè blaſphemato. Nè aliis detrahito. Nè poculis ac luſibus intendito. Nè verbis factisvè cujuſquam oculos, aures, animum lædito. Qui ſecus faxint, abſcedunto.

SECTIO XVII.

De Oppoſitis Zelo Laudabili.

PRimo. Opponitur *Pſeudo-zelus*. Qualem habuit Saul, qui occidit Gabaonitas, ex zelo quaſi pro filiis Iſrael & Juda (porrò Gabaonitæ non erant de filiis Iſrael, ſed reliquiæ Amorrhæorum, filii quippe Iſrael juraverunt eis, nè percuterent eos, ut legitur in Ioſue c. 9.) Verùm ejuſmodi zelum DEUS punivit in Iſrael fame, tribus annis jugiter. Unde ad placandum Dominum dedit Rex David Gabaonitis ſeptem filios Saul, ut crucifigerentur. Ejuſmodi zelotes ſunt & Judæi, de quibus Apoſtolus inquit: *Æmulationem DEI habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.* Hinc *Origenes* ait: Nihil prodeſt habere zelum DEI, & non habere ſcientiam DEI. Judæi putantes ſe zelum DEI habere, Sacrilegi exſtiterunt in Filium DEI: quia non ſecundùm ſcientiam zelati ſunt.)) In numerum Pſeudo-zelotum & illi referendi ſunt, qui zelo quaſi bono ducti, prorumpunt in impatientiam contra DEUM, in proximi calumnias, detractiones, maledictiones, contentiones, rixas, ſeditiones, ſchiſmata, &c. Per quas inordinationes non unus probus & pius periit, ſeductus à ſathana transfigurante ſe in Angelum lucis. Quare conſule hoc in paſſu Regulas S. diſcretionis de quibus infra. Pſeudo-zelus quoque eſt, imperfectum hominem ad exemplum aliorum velle ſuis virtutibus publicè lucere, cùm ingens ruina à flatu vanæ gloriæ ipſi immineat. Unde *S. Bernardus* ait: Singulariter Apoſtolis & Apoſtolicis viris dicitur Matth. 5. Lu- ceat lux veſtra coram hominibus, nimirum tanquam accenſis, & " vehementer accenſis, & quibus non timeatur à flatu quolibet, aut impulſione ventorum.))

2. Reg. 21.

Rom. 10.

Origen. in Epiſt. ad Rom.

Cap. 9. ſub gratiis gratis datis.

S. Bernardus in nat. S. Joan.

2do. Opponitur *Zelus per Exceſſum*, qui & ipſi zelanti eſt no-

civus, vel nimiâ tristitiâ seipsum consumendo, vel irâ nimis alterando, &c. Et proximo, aut ipsum intempestivo impetu ad impatientiam provocando, aut in malis duriorem reddendo, &c. Hinc *S. Bernardus* inquit: Importabilis absque scientia est zelus. Ubi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis; semper quidem zelus absque scientia minus efficax, minusque utilis invenitur: plerumque autem & perniciosus valde sentitur. Quò ignis zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorquè charitas, eò vigilantiori scientiâ opus est, quæ zelum reprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.))

S. Bernardus in Cant. serm. 49.

3tio. Opponitur *Zelus per Defectum.* Hic defectus maximè in Prælatis Ecclesiæ & Superioribus, omnium defectuum, & totius perditionis mortalium origo. Cur enim pereunt homines? quia infideles, vel improbi. Cur infideles, & improbi? quia non corriguntur fraternè, paternè, indiciariè ab erroribus suis. Cur non corriguntur? quia in correctoribus friget zelus, seu fervens amor veri Boni, & ex eo procedens implacabile odium mali. Cur friget zelus Boni, & odium mali? quia mente non penetratur immensa magnitudo veri Boni, & summa malitia peccati. Unde *S. Magdalena de Paz* videns causam adeò exigui zeli pro salute animarum in servis DEI esse ignorantiam magnitudinis offensæ DEI, hisce inclamat verbis: O malitia! quàm modicum, & non à multis penetraris? O Bone DEUS! illa non est agnita! Multi illorum dicunt, quod sis offensus: sed non vident nec percipiunt, quid sit offensa. Illa sola bene penetrabat magnitudinem offensæ DEI, videns enormia scelera mundi (quæ sæpe illi DEUS ostendebat) unde in quadam exstasi ita lamentabatur: Circumdederunt me dolores mortis, dolores inferni circumdederunt me: comedit me dolor inferni pro multitudine iniquitatū nostrarum.))

In vita S. Magdal. de Paz.

Prælatus absque zelo, *ô Pastor, & idolum! derelinquens gregem:* vivum cadaver sine spiritu DEI, fœtens in conspectu DEI, abominatio cæli & terræ. Infelix domus, congregatio, cui præest mente cæcus, surdus, mutus, frigidus, stupidus. Vide plura de oppositis statui Curatorum animarum, de oppositis fraternæ correctioni, & vindicativæ justitiæ.

Zachar. 11.

l. 2. tra: 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

Vide etiam suprà posita, & hic convenienter applica contra Opposita laudabilis zeli.

SECTIO

SECTIO XVIII.
De Dono Sapientiæ.

SApientia pertinens ad charitatem, est donum Spiritûs Sancti, quo per altissimam causam, seu secundùm regulas & rationes divinas, potest homo omnia rectè judicare, & agibilia adpraxim probè ordinare. Unde dicitur: Spiritualis judicat omnia. *Item ibidem:* Spiritus omnia scrutatur etiam profunda DEI. *Et S. Bonaventura* inquit: Est sapientia, quæ desursum est, sicut dicit Jacobus Apost. c. 3. in Epist. sua. Desursum est, quia à Patre luminum est creata. Et hæc est vera sapientia. Quia ipsa est veri splendoris, & boni saporis. Splendor dirigit intellectum ad veri cognitionem, & sapor erigit affectum ad boni saporosam dilectionem. Igitur quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, ait Apostolus. Objectum ergo doni sapientiæ principale est DEUS, non sub ratione veri absolutè, sed sub ratione veri, in relatione ad rationem boni, ut est exercitativum voluntatis, ad ejus saporosam dilectionem. Actus autem sapientiæ, est contemplari DEUM, non quocunque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suavitate, & affectu. Unde *August.* dicit: ubi nulla est dilectio scilicet gratuita, quis illam sapientiam esse dicet? Et Isidorus dicit: Sapiens dictus est à sapore; quia sicut gustus, aptus est ad discretionem saporis ciborum; sic sapiens ad dignoscendum sapores rerum, aut causarum aptus est. Ex his igitur apparet, quòd *donum sapientiæ, est habitus supernaturalis animæ, à Spiritu S. infusus ad DEUM cognoscendum, & saporosè diligendum.* Hæc D. Bonaventura.

V. D. Thom. 2. 2. q. 55. a. 1.
1. Cor. 2.
S. Bonavent. Tit. de donis Spir. S. de sap. c. 1.
Coloss. 3.
S. Augustinus l. 15. de Trin. c. 7.
Isidorus l. 10. Etymol.

Illicia ad Sapientiam expetendam. *S. Bonaventura* inquit: Sapientia animam facit DEI-formem; illustrat enim intellectivam, inflammat affectivam; roborat operativam. Facit intellectivam speciosam, affectivam amœnam, operativam robustam. *S. Bernardus:* Multa bona fiunt, quæ non sapiunt facientibus: quia sapor carnalis seu mali, non est totaliter exterminatus. Sed nunc assiduè sapientia vincit malitiam in mentibus, quas intraverit, saporem mali, quem malitia invexit sapore meliore exterminans. Intrans enim sapientia, sensum carnis infirmat, & infatuat, & intellectum purificat, & cordis palatum sanat & reparat.

D. Bonavent. de dono sapient. c. 11.
S. Bernardus in Cant. serm. 85.

Sanato palato jam sapit bonum, sapit & ipsa sapientia, quâ est in bonis nullum melius. *Hæc ille.* S. Bonaventura: Sensu autem gustûs reparato per sapientiam, omnes sensus spirituales convalescunt, & vegetantur. Sicut infirmato sensuali gustu, alii quoq; deficiunt sensus corporis, illo reparato & isti reformantur. Et paulò pòst de hujusmodi sapientia dicit Jacobus: Sapientia quæ desursum est, primùm quidem pudica est; quia vitat corruptelas peccati, pacifica & modesta est, in omnibus tenens medium, suadibilis est, bonis consentiens, plena misericordiâ, & fructibus bonis, judicans sine simulatione, fructus autem justitiæ in pace seminantur facientibus pacem. Igitur donum sapientiæ non solùm docet secundùm rectum judicium contemplari Divina; sed etiam docet regulari humanos actus excellentiori modo, quàm sapientia, quæ est virtus intellectualis.

S. Bonaventura de Bono Sapientiæ. c. 2.

Jacob. 3.

Sapientiæ copiosior descriptio, conditiones, gradus, motiva, praxes, & ad eam dispositiones, in Præliminaribus Operis hujus habentur: Tum ubi agitur de donis Spiritûs Sancti in genere; & maximè de Contemplatione ac Mystica Theologia.

1. 2. tract. 1. c. 1. sect. 4. subsc. 1. §. 4. & 10.

SECTIO XIX

De Oppositis Sapientiæ.

P*Ræsupponendum est*, hìc nos agere de oppositis sapientiæ, non ut præcisè donum est, unum ex septem donis Spiritûs Sancti, verùm ut simul sapientia communiter à spiritualibus pro omni virtute seu vita sancta ac perfecta accipitur.

Imum itaque *Oppositum* sapientiæ est *Pseudo-Sapientia*, quâ vel ex ingenii naturalis subtilitate ac perspicacia, complexionis bonitate ac teneritudine, vel ex illusione diabolica transformante se in Angelum lucis circa Divina speciliores quasdam videtur sibi homo percipere illustrationes, animi sensus, sensibiles dulcedines, mentis extases. De quibus Vide sub Discretione spirituum infra.

Item *Pseudo-sapientia illa est, quæ præstituit sibi finem ultimum in re aliqua creata.* Quia secundùm *D. Thomam* sicut circa ea, quæ sunt verè

V. D. Thomam 2. 2. q. 45. art. 1. ad. 1.

verè bona, invenitur aliqua altisſima cauſa, quæ eſt ſummum bonum, quod eſt ultimus finis per cujus cognitionem dicitur homo verè ſapiens: ita etiam in malis eſt invenire aliquid, ad quod alia referuntur, ſicut ad ultimum finem; per cujus cognitionem dicitur eſſe ſapiens ad malè agendum ſecundùm illud Hierem. 4. Sapientes ſunt, ut faciant mala, benè autem facere neſciêrunt. Quicunque autem avertitur à fine debito, neceſſe eſt, quòd aliquem finem ſibi indebitum præſtituat, quia omne agens, agit propter finem. Unde ſi ſibi præſtituat finem in bonis exterioribus terrenis, vocatur *ſapientia terrena*; ſi autem in bonis corporalibus, vocatur *ſapientia animalis*, ſi autem in aliqua excellentia, vocatur *ſapientia diabolica*, propter imitationem ſuperbiæ diaboli: de quo dicitur Job 41. Ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.)) Hujusmodi ſapientiæ terrenæ, animalis, diabolicæ, ſectatores ſunt Pſeudo-Politici, ſeu Machiavelliſtæ, aliàs Statiſtæ, quibus pro ultimo fine quisque eorum ſibi ipſe: & finalis cauſa agendorum eſt *Ratio Statûs* non communis (quamvis ſe de eo jactitent) ſed proprii ſeu privati boni, etiam cum everſione publici intentio, ac per fas & nefas quæſitio. Principia eorundem Pſeudo-ſapientum deſcribit *Dobroſielſcius* dicens: Principia politica, vel aliàs Regulæ ſapientiæ mundanæ ſunt in triplici differentia. *Primæ differentiæ* principia pravæ politicæ, puta eſſe omnia dogmata hæreticorum, per quæ nimirum & ipſa doctrina veræ fidei Catholicæ depravatur, & ipſius carnis ac ſenſualitatis habenæ laxantur. *Secundæ differentiæ* principia pravæ politicæ, per quæ ſimplicitas ac ſinceritas Chriſtiana expreſsè ſubvertitur, & boni mores apertè funditùs corrumpuntur, ſic deſcribit *S. Gregorius* dicens: Deridetur juſti ſimplicitas. Hujus mundi ſapientia, eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia uſu à iuvenibus ſcitur, hæc à pueris pretio diſcitur, hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt, hanc qui neſciunt, ſubjecti & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perverſitas, Urbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quærere, adeptâ temporalis gloriæ vanitate gaudere,

Dobroſielſcius in Summa Aſcet. & Myſt. Theolog. Medit. de inferno praxi 9.

S. Gregor. Moral. lib. 10. c. 16

irrogata ab aliis mala multipliciùs reddere; cùm vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, cùm virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. At sapientia justorum est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt, diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libenter tolerare quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur, quia ab hujusmodi sapientibus, puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur: & quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Quid namq; mundo stultius videtur, quàm mentem verbis ostendere, nihil callidâ machinatione simulare, nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam præbere?)} *Tertiæ differentiæ* principia politica hujus loci propriæ, quæ nimirum principiis Christianæ politicæ tum occultè tum apertè adversantur, ac vitæ spirituali dissentiunt ista esse puta. Vitam scilicet, possessiones, propriam excellentiam, corporis commoditates, & his similia tueri cum dispendio legis Divinæ, si aliter fieri non potest. Ante omnia curam habere proprii statûs, prolis, familiæ, ac eniti ut bona acquisita retineantur, aut quoq; augeantur, etiamsi leges Ecclesiasticæ aut Divinæ obsistant. Libenter Divina ignorare, ut in peccatis excusatio habeatur. Non reputare pro peccato voluntariam transgressionem legis æternæ, ubi conscientia non vult DEUM ostendere. Omnibus bonum pro bono, & malum pro malo velle ac rependere. Nemini nocere innocenti velle, nisi aliàs ipsi nocenti. Pacificè se habere cum pacificis, & turbulenter cum turbulentis. Benedicere benedicentibus, & maledicere maledicentibus, &c.

Concionator hist. p. 3. hist. 140.

Rever. P. Michaël Pexenfelder, Pseudopoliticorum aliquot genera describit dicens: Horum quatuor potissimùm genera reperiri docet Theophilus Ragnandus noster in Criticis sacris operum Tom. II. Partitione I. Primum genus est eorum, qui frontem ita perfricuerunt, ut inficiari audeant, ipso naturali lumine adversante, nullum cælo inesse Numen; sed omnia casu & fortunâ regi; quod nefarium dogma ita tamen occulunt, ut impiâ

mentis

mentis apud seipsos agitatione, propudiosum sensum omni ratione verbis quamvis ostendant, factis studeant celare. Alii rectius Atheismi larvâ velati sunt, qui tametsi Christiano videantur gaudere nomine, eis tamen Religio ludus est; Sine rubore, sine pudore facetos, vel potiùs scurras agunt in rebus fidei sanctissimis, ita ut quamvis apertè sacra Religionis mysteria & cultum Numinis non proscindant, scommatibus tamen & impiis jocis adeò protervè procaciterquè traducant, ut satis prodant, nullo apud se loco esse, quidquid ad Religiosum DEI obsequium promovendum spectare possit. Tertiò sunt quidam, qui licet de Deo sileant; quædam tamen dogmata convellunt, sine quibus non potest constare dignitas, & majestas DEI; ut est Providentiæ Divinæ, judicii extremi, immortalitatis animarum, æternæ vitæ vel mortis assertio. Qui enim DEUM improvidum statuit, DEUM negat, vel amore operum suorum, vel potestate eis prospiciendi, vel cognitione eorum indigentiæ carentem. Quartò hac maximè tempestate, seu Politici, seu Pseudopolitici vocantur, qui Religiosum cultum eatenus probandum ac retinendum censent, quatenus ad continendos populos in civili disciplina, & obedientia politica potest conducere, & opportunitati vel firmandi, vel amplificandi Principatus servire, non secus ac in scenam prodeuntes & inde redeuntes Actores, aliam atq; aliam personam assumunt. Ex his principiis deduxit sua dogmata Machiavellus, ejusque discipulus Leontius. His ego quintam Politicorum sortem addo, qui bonum suũ privatum non modò præ bono publico & communi politiæ statu, sed præ quavis honestate habent. Vultis scire quales sint? Loquela illos sua prodit: Attendite, quid cogitent, quid loquantur. Quod Ovidius olim cecinit.

Quidquid conabar dicere, versus erat.

Hoc isti canunt: *Quidquid conabor dicere, fucus (aut fumus) erit.*

Axiomata Pseudopoliticorum.

Sub vafro pectore, sedet abdita vulpes, omnia referuntur ad astutiã, fraudem, commodũ proprium, Magnatum gratiam: huic vento velificantur; huic serviunt scenæ. Summũ apud eos artificium mentiri, & in mendacio non deprehendi; tanquã de hoc supremus non curaret Prætor. Officiorum ajunt, largum esse oportere, quæ nihil habent impendii, polliceri liberaliter, præstare nihil; quoties de re augẽda agitur, vel patri esse verba danda; vel ad ejus latus se assentando

tando adjungere, quem noveris esse gratum Jovi; vultum domi componere, & cujuslibet fortunæ larvam fingere; nullum apertè lædere; id enim securiùs à tergo fieri; decipere alios, urbanum & civile esse; è prudentiæ dictamine, commoditatibus ubique invigilandum, & ubi ubi lucrum venandum, injurias silici, benefacta pulveri inscribenda. Curandum, nè cuiquam obnoxius sis *Et paulò pòst idem Author ait.* Athenis rediisse videntur si moribus ac artibus peregrinis imbuti, didicerunt vanitate verborum, fallaciâ promissorum, simulatione officiorum, circumventione amicorum, implicatione negotiorum, interpretatione dictorum, ambiguitate sensuum, calliditate suspensionum deludere virum bonum alios suâ probitate metientem. *Hæc ille.*

Incitamenta execrandi & cavendi Pseudo-sapientiam, seu *Proverb. 6.* Pseudo-politiam. *1mum Prov.* Homo Apostata vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat. Huic extemplò veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec ha- *Eccles. 2.* bebit ultra medicinam. *Eccle.* Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malè facientibus & peccatori terram ingredienti duabus viis! Væ dissolutis corde, qui non credunt DEO, & ideò non protegentur ab eo! Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pra- *Jerem. 7.* vas! Et quid facient, cùm inspicere cœperit Dominus?)) *Utiq; pro sua duplicitate recipient à Vindice Numine duplicia mala juxta illud Prophetæ:* Induc super eos diem afflictionis, & duplici con- *Rom. 8.* tritione contere eos. *Apostolus:* Sapientia carnis inimica est Deo: *1. Cor. 3.* Legi enim DEI non est subjecta, nec enim potest. *Item:* Sapientia hujus mundi stultitia est apud DEUM. Scriptum est enim: *Job. 5.* Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum: Novit *Psalm. 93.* Dominus cogitationes Sapientum, quoniam vanæ sunt. *Seraphi- S. Bonaventur. de donis Spiritûs S. eoque sapientiæ c. 1. cus Doctor* rationem dat, cur stulta sit mundi sapientia: quia hæc sapientia pejus meliori præponit. Stultus itaque esset, qui cuprum eligeret præ auro. Sic isti faciunt: Nam bona temporalia præponunt æternis, sicut divitias, honores, favorem mundi & laudem. Unde meritò diabolica vocatur hæc sapientia: Nam sicut diabolus semper studet ad perditionem hominis, si tales ad pro-

priam

priam perditionem ſtudent. Nec dicuntur Sapientiæ ſapidæ, ſed ſtultæ & inſipidæ.))

2dum. Quia Pſeudopolitia eſt univerſitas iniquitatis, ut patuit, & patebit. *Ratio* enim *ſtatûs*, ſeu inordinatus Amor ſui, (qui maximè locum habet in Principe ordinante bonum publicum finaliter in proprium bonum) & boni temporalis, *Imo* degenerat in contemptum DEI; *2do* idem Amor avertens hominem ab ultimo fine, & ſummo Bono, convertit ad infima bona honorum, divitiarum, deliciarum; illaque conſequi licitis vel illicitis mediis potenter incitat. Ex quo quid ſequitur, niſi quia circa finem & media malè eſt diſpoſitus homo, eum in barathrum omnium ſcelerum criminumquè ruere eſt neceſſe. Omnes enim leges Divinæ, & humanæ, in moralibus circa finem & media verſantur, quæ Pſeudopoliticus ſemper eſt paratus tranſgredi, dum aliter ei ad votum non ceſſerit. Et quia à principio maximè horrendis conſcientiæ æſtuat procellis, nè ſupremum Numen iratum, in præſenti tum in futuro in eum deſæviat: deficit in Atheiſmum, perſuadens ſibi non eſſe providentiam DEI, ultricem ſcelerum, omnia caſu, fatoquè fieri, & alia ſimilia ſomniat deliria, ad leniendam conſcientiæ torturam. Hi perditisſimi homines Paganis ſunt deteriores: apud quos nulla ſcientia potior, quàm Ethica, ſeu de virtute & vera Beatitudine. Antiquis ſeculis nihil pretioſius quàm fidelitas & ſinceritas, unicum humanæ ſocietatis vinculum. Aſt Pſeudopoliticis virtus nulla, vel fucata; fides, veritas, ſinceritas ejurata. Præſtat ergo non vivere, quàm cum infidis, doloſis, perverſis, incarnatis dæmonibus, omne fas & ius evertentibus, vivere. Imò citiùs cavetur diabolus, quàm Pſeudopoliticus.

3tium Ab exemplis. Quoniam in Pſeudo-ſapientia ſeu Pſeudo-politia judicio omnium excelluit Machiavellus, placet hic breviter afferre ejus notitiam, quis, unde fuerit, quid, quantaquè mala docuerit, & quo fine deceſſerit. *P. Petrus Ribadineira S. J.* hæc profert: Nicolaus Machiavellus in politia, & ea Reipublicæ gubernandæ, imperiique regendi ſcientia, quam plerique omnes ſtatus Rationem vocant, plurimum laboris ſtudiiquè collocavit; eaquè de re libros ſcripſit, & poſteritati reliquit; in quibus

Ribadineira de principe Christiano ex Hiſpanico idiomate trãslatus in Latinum à Joan. Orano S. J. Theologo.

quibus hanc civilem, & politici statûs artem explicat, & fortem magnanimumquè Principem formandum suscipit; præcepta tradens, quæ ad retinendum, augendumquè statum observare debeat. Sed ut fuit vir vafer, impius, ac verè Atheus; ita & illius doctrina, tanquam ex corrupto pestiferoquè fonte deductus latex, subdola est, turbida, & venenata, & iis qui ex ea biberint, inficiendis, perdendisquè accommodata. Illud enim tanquam initium & fundamentum ponit, propositum & scopum, in quem Princeps collimet, & cætera omnia referat, statûs & imperii conservationem esse; eam proinde in rem adjumenta omnia, sive ea honesta sint, sive inhonesta, justa æquè ac injusta, dum tamen utilia, nullo delectu aut discrimine, adhibere posse. Numerat autem in ea subsidia Christianam Religionem: cujus eatenus solùm habendam Principi rationem docet, quòad statui suo expedire judicaverit. Quare fronte & vultu, ad speciem præse ferre nonnunquam debere pietatem, tametsi ab illa prorsus abhorreat; interdum etiam complecti quamcunque simulatam religionem, quantumvis absurdam.)) *Et infrà idem Ribadineira hæc subnectit de Machiavello*: Nefarius iste nebulo, verusque dæmonis administer, hanc suam perniciosam, detestabilem, planèque diabolicam doctrinam in Italia primùm disseminavit. Fuit enim Florentinus civis, & Reipublicæ à secretis, ut titulus ejus operum indicat. Deinde latiùs longiùsquè simul cum hæresibus propagata, alia regna & provincias pervasit, ut cùm hæresis calamitosum incendium, quo Gallia, Flandria, Scotia, Anglia, & plures aliæ Regiones jam diu flagrant, tam multas clades, ærumnasquè invexerit: nec tot tamen sint, nec tantæ, quot, quantasquè exitialis hæc politici statûs disciplina, & dogma Machiavellicum excitavit. Nam tot discipulos habet passim pestifer hic Magister, tam multi sunt politici, qui solo nominis Christiani obtentu, Christum acriter insectantur, ut supra fidem sit eorum numerus; vixquè credas, quàm multis damnis, Respublicas afficiant, & miserando deplorandoquè loco, & statu hactenus collocârint.)) *Thomas Bozius* universam Machiavelli doctrinam hoc tanquam palmario ejus axiomate dicit contineri. Principibus viris habendam semper in ore virtutem quamlibet, ac potissimùm Religionem, promissorum

Judicium Ribadineiræ super Machiavello & ejus politica.

Thomas Bozius de imperio virtutis.

ſorum obſervantiam, liberalitatem, manſuetudinem; Sed omnia nihil facienda, cùm datur occaſio ditionis augendæ, aut lucri faciendi. *Et pauculis interpoſitis, Machiavelli argutias ſic perſequitur.* Concludit homines mediocribus acquieſcere debere, ſed niſi eſſe optimi ac ſanctisſimi eſſe queant, præſtare ut ſint ad flagitia potentisſimi. Atque ita vult ex hominibus non ſolùm vulpes eſſe, lupos, ac viperas, qui non unum modò vel alterum necent, ſed peſtilentisſimos dracones, ac venenatisſimos baſiliſcos, qui regiones totas, atque humanum genus afflatu ſuo perdant, atque exterminent, optimos namque eſſe paucisſimis datur.)) *Judicium Thomæ Bozii.*
P. Henricus Wagnerez ad finem operis ſui Vindicias politicas contra Pſeudopoliticos intitulando hæc addit: Rectâ ratione, verâ Religione, ſacris literis, & ſummis tum Divinæ tum naturalis veritatis Magiſtris conſentientibus: Machiavellum ſcriptorem impium, naturalis & Divinæ veritatis adverſarium, virtutis, veræquè politices everſorem eſſe, jure quàm optimo pronunciamus. Et in eo inter ſcriptores prohibitos referendo, Summorum Pontificum, & Sanctæ Eccleſiæ ſaluberrimam cenſuram ac Judicium veneramur, & amplectimur; conſpirantibus nobiſcum omnibus, quibus Religio, Veritas, & Reipublicæ ſalus cordi eſt.)) *Lib. I. Vindiciarum politicarum c. 8. § 2.*
Porrò Machiavellus ut politicè vixit, politicè quoque fatis cedere voluit. Etenim cùm rememoraret, quòd viri illi illuſtres, Alexander, Plato, Ariſtoteles aſſererentur damnati: & alia ex parte eos, qui inter Beatos cenſentur, conſiderans fuiſſe homines ut plurimum in oculis ſeculi deſpectos, quales fuêre Apoſtoli viles & illiterati: ſuperbiæ ſpiritu dementatus in hanc inſanam erupit vocem: *Malo cum illis illuſtribus viris in infernum deſcendere, quàm cum his infimis in cælo degere.* Quid? ſapuit ne iſte Coryphæus Pſeudoſapientum? Imò an non totus delirus & fatuus? Quaſi verò infames criminibus animæ ſua imperia, quin & cadavera in terra vermibus relicta, exeuntes, miſeræ & inermes aliena regna obtinebunt. Niſi dixeris Potentes terræ Luciferi & Antichriſti comites futuros, adeoque comitum ſuorum aſſeclam eſt propiorem adſtare igneo throno principis tenebrarum. Magnus honor! cedo illum tibi Machiavelle, cui & in orco placet auliciſmus. Experire nunc, an non *Marchant Turbæ ſacerdot. trac. I. Lect. 4.*

stultam DEUS fecit sapientiam mundi, & tuam? an non cum potentibus in ima abyssi prostitutis, potenter tormenta patiaris? an non quantum se glorificavêre, & in deliciis fuêre, tantum iis & tibi cum eis addatur tormentorum & luctûs? particeps enim loci, particeps est bonorum vel malorum loci.

Aliud. Fidus suum Magistrum sequatur discipulus, Machiavellum Leontius. De quo *à P. Michaële Pexenfelder* hæc accipe. In quadam urbe Italiæ (nomen loci ab Historicis non exprimitur, ut unius infamiâ totam familiam non maculet) erat Juvenis perillustri stemmate oriundus, magnarum opum hæres, dignitate Comes, ut hodie Dynastas appellare solemus; Leontium vocant, qui hanc historiam scriptis mandârunt. Hic, ut erat ætate moribusque duci facilis, in disciplinam obtigit cuidam, nomine Nicolao Machiavello, Reipublicæ Florentinæ (nondum enim Medicæi Principes eam urbem suo dominatui subjecerant) à secretis; homini longè vaferrimo, & Pseudopoliticorum suæ nostræque ætatis antesignano. Cujus principia in speciem politica, revera diabolica avidiùs hausit, paulatim cœpit Numinis metum excutere, (solet enim virus serpere) & Divinæ Providentiæ arcanum ex fortuna, casu, & calliditate ingenii moderari; eò tandem dementiæ delapsus, ut nullum Numen vel agnoscere, simularet. Jamque omni lege solutus, & juvenili licentia elatus, unum libidinis impetum sequebatur, regula illi fuit nullam pati, actiones cunctas ad vanitatis & voluptatis sensum referre. Unde frequens in ore habebat illas perditorum hominum voces apud Ecclesiasten. cap 3. *Quis novit, si Spiritus Filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum? Et deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?* Ad modum scilicet illius Athei Epicuri summum bonum in voluptate ponentis; cujus vox fuit.

Concionator: historici p. 3. hist. 40. Et P. Paulus Zehenner in promontor: malæ spei lib. 2. §. 21.

Ede, bibe, lude; post mortem nulla voluptas.

Contigit, ut voluptarius Juvenis, apparato dapsili convivio (nam ferè vicina sunt, turpis voluptas, & lautæ fercula mensæ, juxta Siracidem cap. 13. qui DEUM alloquens petit: *Aufer à me*

ventris

ventris concupiſcentias, & concubitûs concupiſcentiæ nè apprehendant me. Concupiſcentia ventris eſt gula: concupiſcentia concubitûs, fœda libido) famem obſonaturus, quam rarò ad menſam adferre ſolebat, ambulatum iret. Tranſiverat fortè cœmeterium, & quia juxta viam Calvaria jacuit(ſive caſu,ſive Divinæ Nemeſeos inſtinctu poſita) offenſus credo tam triſti aſpectu (neque enim mortis,quam communem cum beſtiis rebatur,meminiſſe voluit) initio eam pede protrudit, quid enim aliud faceret impius ex Atheorum ſchola nepos? deinde in re maximè ſeria jocabundus in hæc verba prorumpit: Audi teſta arida, quæ interrogo, & reſponde: Verumnè illud eſt, quod paſſim credunt mortales, immortalem ſpiritum humano claudi corpuſculo, illudquè ab anima totum vitæ beneficium accipere? quodſi te aliquando etiam talis hoſpes inhabitavit, dic obſecro, poſtquam exceſſit, periitnè totus, an ſupereſt? & ſiquidem ſuperſtes eſt, ubi moratur, & quibus in locis? ſalvusnè eſt, an plectitur? num alter orbis æternitatem habet? num Rhadamanthos, & Æacos? num DEUM Judicem ad ſeverum tribunal ſedentem? piorum merces hominum, & ſceleratorum ibi pœna eſt aliqua? an etiam ſemper duratura? an fabulæ ſunt manes, & quidquid de illa mortuorum regione garriunt Myſtæ, deliria ſunt, an ſomnia? Hæc talia, ubi projectæ audaciæ Comes non ſine amaro ſplene effutiit, ipſam hominis mortui Calvariam (cui loquebatur) inter reliquos convivas menſæ ſuæ adeſſe juſſit, ad propoſitas quæſtiunculas velut convivales, daturam reſponſum inter pocula & dapes, more veteribus recepto. Interea ambulationis ſatur, cibiquè ac potûs appetentior revenit domum, contemptor ſuperûm perinde ac inferûm. Nec opus erat longâ expectatione hoſpitum, velut vultures ad cadaver advolabant. Excipiuntur conſuetæ urbanitatis officiis, mutuæ fiunt ſalutationes, præmittuntur cætera parerga, quæ vel ad invitantem, vel ad invitatos pro more pertinent. Diſcumbitur, inferuntur longo ordine fercula, initium datur epulo, & communi gaudio. Alii & alii mutantur miſſus, miniſtrantium oculi, manusque ſunt ad omnem nutum intenti, apponitur vinum domeſticum & peregrinum, primæ utrumque notæ: perſonant ſuaviter ſymphoniaci;

niaci; estur, bibitur genialiter: eunt in orbem pocula, & cum fœcundis calicibus oris malè facundi dicteria, prolatu, audituque impia, impura, scelerata, uno verbo diaboli sputa, ut quidam Doctor Asceticus ea vocat, & tartari vomitus. Dum ferueт hilaritas convivalis, dum omnia licere putantur, quæ libent; quidam è servitio domestico famulus citato gradu, anhelo spiritu, pallido vultu hero refert, ante fores adstare non tam peregrinum hominem, quàm vivum mortis simulacrum ex solis ossibus compactum, & admisšionem petere. Territis omnibus ad suspicionem, metumquè spectri, Comes malè sibi conscius, imperat famulo ut examinet monstrum, quid sibi velit? cur id temporis adsit? cur ingressum petat? quæ jussa famulus ut exequitur, intelligit, adventorem illum osseum unum ex Convivis esse, & quidem ab hero suo vocatum hodiè, cùm cœmeterium transiret; quanquam verò non condixisset, venire tamen, ut super gravissimis quæstionibus, suam quam rogabatur sententiam diceret; materiam vix aliam fore digniorem convivali dissertatione. Dum hæc Domino suo servulus renuntiat, nimiùm expalluit herus, memor calvariæ, quam in matutina ambulatione offendit, petulanterque habuit. Itaquè ex famulitio mittit animosiores, qui hominis mortualis larvam ad corvos & corvorum pabula ablegent; nullum illi in tam splendida hospitum mensa locum superesse; alios interim jubet festinos currere ad obserandas fores, & pessulum obducendum, si vim moliretur spectrum: ridiculum mandatum à præclaro Machiavelli discipulo editum! tanquam si spectra ac spiritus seris possent & repagulis excludi, aut minis terreri, aut armis arceri. Hoc certè spectrum, quod per æneas Erebi portas prorupit, minimè se per ligneas forium valvas præpediri sivit, ut invito quamcunque ædium Domino, gradum intro non ferret. Vana ergo famulorum & sine viribus machinatio, majori potentiâ quàm primùm, velut ad unum flatum cesserunt omnes obices, viamque aperuerunt suspecto hospiti, qui sibi ipse admissionem fecit. Vbi verò simillima mortis imago exucca, pallida, & velut ex osse continuo longa fabrica, intravit convivii locum, magnisquè passibus ad Comitem properavit, ejus jam

lateri proxima, jussit considentes prosequi, quam cœperant ante lætitiam, gulamquè raris deliciis pascere; multum jam temporis fluxisse, quando nullum aut cibum, aut potum admisisset, solâ satur inediâ: Nunc tamen se adesse velut hospitem, chorum ducendi & alios ad præbibitos haustus animandi gratiâ. Quis hìc satìs describat quantus pavor convivas istos, ob præsentem convivatorem invaserit; quis pallor in vultu, tremor in membris, sudor per artus omnes dimanârit? Jam nemo esurire, nemo sitire; hoc unum singuli agere, quomodo se periculo subducant. Ubi nunc ô epulones splendidi, vestræ illæ facetiæ, illi scurriles joci, illa de animorum immortalitate ludibria? ubi disputata in partem utramquè de superûm & inferorum locis problemata? Si viri estis, pergite pocula tenere manu, linguam exercere dictis impiis, & homini Christiano non pudendis modò, sed execrandis ac detestandis. Verùm omnis hæc Epicurea animositas in pedes fluxit; vesani Atheismi temeritas salutem in sola fuga repositam habuit. Igitur alius post alium è triclinio se proripere, nemoquè in mensa remanere cum Leontio (cui monstrosus assessor fugam interclusit) præter mortualem illam larvam ipsumquè Machiavellum, qui funeri similior, quàm vivo homini, ipse quoque parabat abitum, frustra obsecrante Leontio, ne Magister in extremo discrimine desertum iret discipulum, à quo fortunis, honoribus, opibus copiosè semper auctus fuisset. Sed surdo cantilena, nam hic quoque in angustias se redactum cernens, horrescebat doctrinæ suæ didactron à formidabili monstro accipere, & quia juxta Scholæ suæ scita & placita, fides humana hactenus esset servanda, quatenus prodesset, relicto sub cultro discipulo, ipse quoque fatalis convivæ præsentiæ se subduxit. Quid ages jam miser Leonti? qua effugies? in massa hæres; injicit manum tremebundus hospes, nunc apparet quem invitaveris ad tuas epulas. I nunc & proculca calvariam vitâ cassam, pulverem, & umbram, cum inhabitante anima pariter sepultam: ecce adest, qui tecum disputet: Utrum spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum? Utrum sint Rhadamandi & Æaci? num alter orbis æternitatem habeat? num

num impios ſequantur pœnæ, pios præmia? num mens ſit aliqua, quæ mundum gubernet, & æquâ lance benè malevè hominum acta expendat? num rebus humanis inſit Numen aliquod, an caſu omnia procedant? num vigilet Divinus oculus? an DEUS (ſi tamen aliquem eſſe credis) velut cœcus, & in caligine circa cardines cæli perambulet? Job. 22. Sed quid? ut video, obmuteſcis; & qui paulò antè diſſertisſimus eras in omnis generis Sophiſmatis, & contortis concluſiunculis ad humanæ Divinæquè fidei veritatem elidendam, nunc taces. An priores loquendi partes vis dare hoſpiti? vereor nè paulò pòſt vocem tibi intercipiat, quem tanquam aridam teſtam jocularitter, in menſam & exitium tuum invitâſti. Sed jam totus pallor es, totus tremor, alterâ manu te apprehenſum tenet diſputator, alterâ ad argumentandum protensâ, parumnè humaniter compellat? Et, Heu! inquit, ego ſum ille, quem hodie in calva ludificando ad convivium, & acroama philoſophicum proponendum vocâſti: Theſis eſt: an æternitas maneat aliqua vitâ functos? an commiſſa à viventibus piacula ſuum vindicem; & rectè facta ſuum ſint habitura Remuneratorem? Adſum juſſu DEI, cujus tu providentiam protervè exſibilas, ut tibi demonſtrem non omnia cum homine mori. Vitam ſuam in alterum orbem transfert anima, ſemper ibi ſuperfutura vel inter gaudia perennia, vel inter perpetuos ignes, pro conditione ejus ſententiæ, quam in Divino tribunali acceperit. Et, nè dubites, meam tibi fidem juro eò certiorem, quia cognatus ſanguis fallere non poteſt. Ego enim ſi neſcis ſum Avus tuus, tu Nepos meus. Sed heu! uterquè infelix; ſceleribus meis factum eſt, ut jam dudum ſtygiâ flammâ urar; utinam comburar aliquando in ſiccos mortuosquè cineres! nunc ignis mihi immortalis eſt, vita quoque ſemper renaſcens ad juge ſupplicium, juſto Numinis decreto. Idem eheu! te nepotem meum jam feriet, poſtquam excuſſâ pietatis diſciplinâ, ſine ratione, ſine lege, ſine DEO, ſine conſcientia, in præceps flagitiorum omnium prolapſus es. Sed adhuc profundiùs cades, mox ad plures, quos jam orcus habet iturus: para te itineri ſanguis meus, abeundum eſt hinc, commutandus orbis iſte cum ignoto, mortalis hæc vita cum æternitate. Hæc ubi

fatalis

fatalis larva dicendo finivit, medium complexa Leontium, & trepidantem inter cognatas manus, tam validè parieti vicino allisit, ut dispersum adhæserit cerebrum, triste totius, quæ peracta est tragediæ argumentum. Certè quia reliqvum Corpus nusquam comparuit, creditur à spectro illo funus inferis fuisse illatum.))

In Praxi hæc omnia contra Machiavellismum serviunt. *Imo. Elice actus, & affectus.* O infelicem & maledictam Pseudosapientiam! O crudam & barbaram Pseudopolitiam! Quid calamitosius, quid exitialius invehi poterat in genus humanum? Pax, totius boni consummatio, sine qua nihil boni, hac peste perimitur. Societas fida, unio animorum, communio mutua bonorum tollitur. Nulla securitas, nulla quies, nulla animi hilaritas permittitur. Omnia plena timore, anxietate pro servandis bonis, fama, vita; mutuæ enim suspiciones, diffidentiæ, hinc concepti rancores, aversiones animi quid aliud parerent? Dissidentiam, astutiam, fraudes, dolos, mendacia, hæc & alia monstra Pseudosapientia seu politia, sive ratio statûs, ut genuinos fœtus edit: ut taceam ipsius Pseudopolitici extremam miseriam, qui nunquam sibi providere satìs queat in depellendo metu & angore: *Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.* Sap. 17.

Piissime DEUS doleo beatissimum animi candorem & sinceritatem me aliquantùm maculâsse, doleo à tramite veritatis me subinde recessisse. Pseudopoliticorum perversissimus modus agendi intolerabile mihi tormentum; cum quibus æternùm juratæ mihi inimicitiæ. Non veniat anima mea in consilium & amicitiam eorum, securiùs belluis cohabitare, quàm fraudulentis. *Simplicis* cognomen mihi dilectum, hinc ad ima abyssi gehennalis apage omnis duplicitas seu diabolicitas! *2do.* Caveas consortia Pseudopoliticorum, *nè cum perversis pervertaris.* *3tio.* Psal. 17. Radicem Pseudopolitiæ, inordinatum amorem tui, ac inordinatum appetitum temporalium tolle, & interibit germen maledictum. *4to* Denique lege eos, tum qui contra Machiavellum, tum qui pro vera Politia scripsêre, quos *Pat. Paulus Zebentner* enumerat dicens. Et quidem inter Orthodoxos præter Ribadineiram, ex instituto contra Machiavellum, ejusque *In Promontor. malæ spei lib. 2. §8. n. 7.*

principem scripsêre, sunt Osorius, Catharinus, Joan. Lensæus, Joannes Boterus. Huc spectat Thomas Bozius tractatu de imperio virtutis, de robore belli, de Italiæ statu, de ruinis gentium & regnorum; Adamus Contzen in politicis, aliiquè. Quos inter jure merito triumphat S. Thomas Aquinas, qui jam olim aureum opus concinnavit de regimine Principum, & quasi clypeum adversus secuturas Machiavelli imposturas opposuit.

2 dum Oppositum Sapientiæ est *per Excessum*, quo aliquis in studio & usu sapientiæ non ductum Spiritûs Sancti, sed naturæ, vel maligni spiritûs sequitur instinctum; scilicet absque requisita puritate, humilitate, scrutando supernaturalia. Unde Apostolus: *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Et illud: *Mel invenisti* sapientiæ, *comede quod sufficit tibi, nè fortè satiatus* inordinato ejus, qui est per naturam, & non per gratiam usu, *evomas illud* cum pernicie salutis animæ tuæ.

Rom. 3. Proverb. 25.

3 tium Oppositum Sapientiæ *per Defectum* Stultitia, & Fatuitas, vel Insipientia est, *Stultitia, est sensuum obtusio, & cordis hebetudo. Fatuitas verò, est totalis spiritualis sensûs privatio.* Quia sicut sapiens habet subtilem ac perspicacem sensum judicandi: ita stultus habet sensum sed hebetatum. *Fatuus* autem absolutè caret sensu judicandi.

V. D. Thomam. 2. 2. q. 46.

Motiva præcavendi stultitiam habes in Præliminaribus suprà; Et sub Hebetudine sensûs. Evitatur verò stultitia per prudens & diligeus studium Sapientiæ. *Deinde vide suprà dicta, & hic proportionatè adhibe contra Opposita Sapientiæ.*

1. 2. Tract. 1. cap. 1. Sect. 4. subs. 2 §. 2. & 3.

FINIS DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Sequitur Continuatio hujus Tractatûs Secundi, in Prima Secundæ, Theologiæ Spiritualis.

In Prima Secundae [illegible]
Fol.
160.

[illegible]

No 3